

T8c



John Carter Brown.



NOVI ORBIS PARS DVODECIMA.

Sive

DESCRIPTIO INDIÆ OCCIDENTALIS,

Auctore

ANTONIO DE HERRERA,

Supremo Caſtellæ & Indiarum authoritate PHILIPPI III. *Hiſpaniarum Regis Hiſtorigrapho.*

ACCESSERVNT ET ALIORVM Indiæ Occidentalis Deſcriptiones, vti & nauigationum omnium per Fretum Magellanicum ſuccincta narratio.

QVIBVS COHÆRENT

PARALIPOMENA AMERICÆ, IN QVIbus res plurimæ memoria & obſeruatione digniſſimæ, imprimis regionum natura, aeris conſtitutio, temperamenta elementorum, incolarum ingenia quæ in magno opere hiſtorico aut omittuntur, aut leuiter attinguntur, iucunda non minus quam erudita deſcriptione pertractantur.

FRANCOFVRTI,
Sumptibus Hæredum Iohan. Theodori de Bry.
Anno Salutis M. DC. XXIV.

RPJCB

NOVI ORBIS PARS DVODECIMA.

Siue

DESCRIPTIO INDIAE OCCIDENTALIS,

Auctore

ANTONIO DE HERRERA,

Supremo Caſtellæ & Indiarum authoritate PHILIPPI III. *Hiſpaniarum Regis Hiſtorigrapho.*

ACCESSERVNT ET ALIORVM INDIÆ Occidentalis Deſcriptiones, vti & nauigationum omnium per Fretum Magellanicum ſuccincta narratio.

QVIBVS COHÆRENT

Paralipomena Americæ, in quibus res plurimæ memoria & obſeruatione digniſſimæ, imprimis regionum natura, aeris conſtitutio, tempera menta elementorum, incolarum ingenia quæ in magno opere hiſtorico aut omittuntur aut leuiter attinguntur, jucunda non minus quam erudita deſcriptione pertractantur.



FRANCOFVRTI,
Sumptibus Hæredum Iohan. Theodori de Bry.
Anno Salutis M. DC. XXIV.

RPJCB

RPJCB


AMERICA SIVE NOVVS ORBIS RESPECTV EV
AMERICA 1492 à Christophoro Columbo nomine Regis Castellæ primum detecta.
Anno Dnj.
MEXICANA
Tolm regnum
Estreto de Anian
C. de Corrientes
Agama
Bergi regio
C. de Corrientes
C. Blanco
B. hermosa
C. de S. Francisco
B. de S. Juan
C. Roxo
C. Blanco
Cioiic
Las dos Harmanas
Los Monges
La Vecina
La Desgraciada
Baixos de Sanct Bartholome
MAR DEL
Los Jardines
I. de Corales
I. dos Reis
I. de Paxaros
Barbudos
J. de S. Petro
Miracomo Vaz
J. de los Nadadores
Circulus Aequinoctialis
La Barbada
Bolcanas
Ysabella
Nombre de Ihesus
Malarta de la Aguada
ZVR
S. Thiago
Insulæ Salomonis
Y di S. Pedro
Tropicus Capricorni
EL MAR PACIFI
Hanc continentem Australem nonnulli Magellanicam regionem ab eius inuentore nuncupant.
Hæ regiones cuidam Hispano apparuerunt cum disiectis a classe in hoc Australi vagaretur Oceano
TERRA AVSTRALIS
MAGAL
Polus
Chris tophorus Columbus Genuensis. 1492.
1519
Magellanus
Francofurti ad M


ROPAEORVM INFERIOR GLOBI TERRESTRIS PARS · 1596
Arcticus
Groenlandt
Circulus Arcticus
NOVA FRANCIA
Tropicus Cancri
La Bermuda
Hispaniola
Cuba
Golfo Mexi
Florida
Hesperides insulæ
Tercera
Cabo Verde
MAR DEL NORT
S·Paulo
Brasili
Peru
Potosi
Chile
Tisnada
Portus regalis
Frecum Magellanicum
Terra del fogo
Antarcticus
Americus Vesputius Florentinus · 1497 ·
1526 ·
Franciscus Pisard ·
Theod. de Bry

RPJCB

ADMODVM REVEREN-DO ET NOBILISSIMO VIRO DOMINO IOHANNI-LVDOVICO AB HAGEN, SAC: CÆSAR: MAIEST: NEC NON REVERENDISSIMORVM ATQVE ILLVſtriſſimorum Principum, Electoris Moguntinenſis & Principis Bambergenſis, &c. Conſiliario, SS. Theologiæ Licentiato Clariſſimo, Prothonotario Apoſtolico, Comiti Palatino, Sac: Sedis Apoſtolicæ, Cæſareæque Majeſtatis in re libraria Generali Commiſſario, inclytæ vniuerſitatis Moguntinenſis Cancellario, Eccleſiæ Cathedralis S. Bartholomæi in Imperiali Mæno-Francofurto Cuſtodi & Cantori, ibidemque ad S. Leonhardum & Moxſtadij Decano celeberrimo, Domino in Cons, Ugny & Culmont, &c. magnifico, Domino ac Mecœnati meo perpetua obſeruantia honorandiſſimo,

SALVTEM ET OMNE OBSEQVIVM.

N*EMO tam ab Eruditorum & Hiſtoricorum ſcriptis peregrinus, tam à literis & libris alienus,* REVERENDE ADMODVM, NOBILISSIME ATQVE CLARISSIME VIR, DOMINE ET MECOENAS PERPETVA OBSERVANTIA HONORANDISSIME, *vt fructus Muſarum cum ſacrarum tum profanarum non accipiat, emolumenta non percipiat, merita non perſentiſcat. In cœlum ideo ſunt adſcitæ, vt ſplendore ſuo ac lumine non ſecus atq; ab vno illo Sole, reliquorum moderatore ſiderum, in terras lux omnis, omne decus, omnis ornatus deriuaretur in veras illas tam ſacras quam profanas Hiſtorias & ſplendidas artes, quæ inſtruere animum Hominis atq; perficere dicuntur. Hiſtorices ſtudium florem & theſaurum experientiæ, magiſtram vitæ & formatricem cognitionis probe nuncupauit magnus ille Strabo.*

Sentio autem (expertus loquor) inter ea, quod admodum Reuerenda Nobilitas & Excellentia Tua ſuam erga literas & earum cultores prouehendos, in me quoq; benignitatem & beneuolentiam non claudit, ſed plurima neceſſariorum librorum adminicula liberali fouet manu. Imo bene mereris de omnibus, VIR MAGNIFICENTISSIME, *dum literas cum libris admittis & conſeruas. Quanta cura, quanta conſilij & ingenij magnitudine præclara & induſtria ingeniorum monumenta promoueas & Sacr: Cæſar: Majeſt: diuo nomine ſpecialibus* PRIVILEGIIS *adornes, loquitur hæc vrbs, teſtatur Orbis, loquetur ætas, quæ in rebus humanis auxilio tuo erit, imo hactenus videtur fuiſſe: ita Poſteros è futuro in obligationem trahis. Maiores è præterito.*

Et hæ ſunt cauſæ, quæ vel ſolæ compellant ad illuſtrem hanc nominis præſertim & auctoritatis Tuæ præſcriptionem! Submiſſe itaq; precor, vt nuncupationem imò DVODECIMAM ET POSTREMAM HANC AMERICÆ HISTORIÆ PARTEM *(quam ceu Tabellam obligatoriam in poſita ara ſuſpendo) vultu ſereno ſuſcipias, nec munuſculum hoc tenue & abiectum Tua authoritate, ſed donantis animo æſtimes, nō ſolam ſpeciem, ſed rem ipſam, non ſolum externam actionem, ſed internum agendi habitū perpendas. Sūmopere etiā peto, vt mihi Tuā clementiā & beneuolentiā conciliare, tum ipſemet ex animo fauere pergas. Sic vale,* ADMODVM REVERENDE, NOBILISSIME AC CLARISSIME VIR, DOMINE AC MECOENAS PLVRIMVM COLENDE, *meq; cum omnibus meis* TIBI *commendatum habere non dedigneris. Dabam in nobili Mœno-Francofurto, d. I. M. Auguſti, Anno: M. DC. XXIII.*

Admodum Reueren. Nobilit. & Excell. T.

obſeruantiſſimus

Iohann-Theodorus de Bry, Ciuis Bibliopola & Chalcographus Francofurtenſis.

PRÆFA-

PRÆFATIO AVCTORIS
AD
PAVLVM DE LAGVNA
Licentiatum, præſidem Supremi Senatus Indici.

IOhannes de Ouando *Licentiatus, Dominationis Veſtræ anteceſſor, quo Præſide primum munus Chronographi Indiarum inſtitutum fuit, vt maiori fide ac laude res ab Hiſpanis in Nouo Orbe geſtæ litterarum monumentis traderentur ſumma diligentia & labore acta omnia & inſtrumenta publica, quæ ad hanc rem facere poſſent, & prouinciarum detectiones, vrbium ac coloniarum fundationes concernerent, non ex Hiſpania ſolummodo, ſed & ex ipſa India Occidentali in vnum collegit. Verum eo mortuo, accidit, vt aliorum negligentia, ad annos aliquot intermiſſa fuerit Hiſtoriæ iſtius deſcriptio. Sed poſtquam ad præſidis munus ac dignitatem euectus eſſes, ratus nihil eſſe indignius, quam res præclariſſimas perpetuo ſilentio inuolui cum Hiſtoria tanto picturis ſit excellentior, quanto anima corpore, omnem operam, induſtriam ac diligentiam quin & libertatem contuliſti, ad hiſtoriæ iſtius conſummationem. Quid; quod & tua opera factum ſit, vt luculentum ſtipendium Chronographo decretum ſit, quo & hoc & laudis inſuper ſtimulo incitatus, maiore diligentia munus tam præclarum & arduum exequeretur. Quare & huius tibi Hiſtoriæ laus potiſſimum, & immortales inſuper gratiæ debentur, ab iis præſertim, quorum maiorum laudes & res geſtæ expreſſis ipſorum nominibus hac hiſtoria dignis præconiis celebrantur: Barbara enim eſt, & vniqu plane* Iohannis Baptiſtæ Ramuſii *ſententia, quem non puduit in tertio Nauigationum libro ſcribere: Vanum ac ridiculum eſſe ſcriptores rerum Indicarum adeo eſſe anxios in recitandis ac annotandis nominibus ac patria illorum, qui rebus laudabiliter iſthic loci geſtis inclarauerunt. Profecto inuidiæ ac liuoris morbum ac maleuolum ſuum in reges ac populum Hiſpaniarum animum prodit. Etenim præcipuus Hiſtoriæ ſcopus eſt, bene meritos laudibus proſequi, & male meritos ea, qua digni ſunt, infamia notare, idque in poſterorum exemplum. quod tamen, ſi Baptiſtæ obtineat ſententia fieri neutiquam poteſt. Verum ſecus ac rectius iudicat Dominatio tua, cuius vt intercidat vllo tempore memoria ac laus non patietur Hiſpanorum natio, quæ hoc nomine æternas ſe tibi debere gratias ingenue fatetur. Deus Opt. Max. D. T. incolumem ſeruet. Datum Valladolitij,* XV. *Octob. Anno* 1601.

ANTONIVS DE HERRERA.

HOC OPERE CONTENTA.

I. *Antonij de Herrera* Indiæ Occidentalis deſcriptio.
II. Deſcriptio omnium quotquot in hunc vſque diem per Fretum Magellanicum inſtitutæ ſunt Nauigationum.
III. Itinerarium Indiæ Occidentalis auctore *Petro de Ceuallos* Presbytero ex Hiſpanico Latinitate donatum.
IV. Deſcriptio Americæ excerpta ex Tabulis Geographicis *P. Bertij.*
V. Paralipomena Americæ, recens huic operi Indico ſubnexa.

DESCRI-

DESCRIPTIO INSVLARVM & CONTINENTIS maris Oceani, quæ vulgo India Occidentalis vocantur,

AVTHORE

ANTONIO de HERRERA

magno Indiarum & Caſtellæ Chronographo.

CAP. I.

De Indiæ Occidentalis diuiſione.

Ambitus Terræ.

Terræ partes.

Hiſpani nauigandi arte ſupra alias gentes excelluerunt.

Quis primus Indiam hanc detexerit.

VNiuerſus Terræ ambitus 360. gradibus abſoluitur, qui ſecundum Caſtellanorum menſuram leucas conficiunt 6300. Terram cum dicimus, mare quoque ipſum includimus, quæ juncta Sphæram terreſtrem conſtituunt, cuius hinc inde conuexa ſuperficies partim mari partim terra conſtat. Veteres in tres partes Terræ globum diſpeſcuerunt, inditis ſuis vnicuique parti nominibus. Prima eaque omnium celeberrima Europa dicta eſt. Secunda, omnium maxima & vaſtiſſima, Aſia, quæ magnum Chinenſium imperium continet. Tertiam Africam vocarunt. Inualuerat ſiquidem opinio tribus iſtis partibus contineri quicquid eſſet terrarum. Verum non contentus animus humanus tam arctis ſpatiis, aliumque adhuc orbem præconcipiens, nauigandi artem excogitare cœpit, & dum in exſtruendis nauibus aciem defigit, ejus formæ ac tantæ magnitudinis nauigia fabricauit, quæ irati maris procellas ac tempeſtates abſque noxa tuto ſuſtinere poſſent. Atque hac quidem arte maxime Hiſpani excelluerunt, aliiſque gentibus laudem iſtam præripuerunt. Etenim regnantibus Ferdinando quinto & Iſabella Caſtellæ ac Legionis regibus Catholicis, necnon D. Ioanne eius nominis ſecundo, Luſitanorum rege laudatiſſimo; Chriſtophorus Columbus primus Indiæ Occidentalis præfectus, Hiſpanam coniugem & ſoli jus nactus, adhibito in conſilium Martino Bohemo Luſitano, Aſtrologo celeberrimo ac acerrimi judicij viro, cui patria erat Inſula *Fayal*, aliiſque quam plurimis, quartam nobis Orbis terrarum partem eamque maximam detexit. Soluens enim ab oppidulo *Palos*, quod ad littora *Andaluſiæ* ſitum eſt, ac Comiti Mirandæ paret, atq; inſtituto Occidentem verſus itinere, tandem nauigando ad has terras appulit. Interſecat has medius Æquator, & Auſtrum verſus, ad gradum 52. cum ſemiſſe porriguntur, at Aquilonem verſus ſub ipſum polum Arcticum ſe abdunt, vt vbi terminentur, incognitum adhuc ſit; magnitudine vero ac vaſtitate tanta, vt neminem non in admirationem rapiant. Ac huius quidem terræ deſcriptionem perſequi in animo habemus, idque titulo *Continentis ac Inſularum Oceani*, quæ mari vndique cinctæ ac in Occidentali mundi parte ſitæ, vulgo *India Occidentalis* ac *Nouus orbis* vocantur, eamque terræ portionem conſtituunt,

quæ regibus Caſtellæ ac Legionis eſt adiudicata. Hæmiſphærio ac dimidia orbis parte deſcribitur, hoc eſt gradibus 180. idque à Meridiani Toletani grad. 39. aut 40. per quos ducta linea Occidentalis latitudinis tranſit per oſtia fluminis *Maranion*, & ad Orientalem plagam per ciuitatem *Malaccam*. Atque hæc mundi portio ab Occidente in Orientem extenſa, leucas Caſtellanorum conficit 3900. aſſignatis vnicuique gradui leucis 20. vnicuique vero leucæ paſſibus 3000. qui ipſi paſſus quinque Geometricis pedibus apud Caſtellanos receptis menſurantur, ita vt ſinguli gradus miliaria Italica 60. conſtituere credantur. Iſta vero menſurandi ratio, quæ gradibus ſingulis 20. attribuit leucas, cum Ptolomaica menſura conuenit, multorumque hæc curioſius examinantium calculo comprobatur. Nonnullis videtur 70. miliaria Italica gradum vnum facere, eaque nonniſi 17. leucas cum dimidia conſtituere, quæ ipſis optima videtur menſurandi ratio.

Gradus longitudinis, qui in linea Æquinoctiali numerari ſolent, ab Oriente nempe Occidentem verſus, per mediam Sphæram, non ita facile fuit obſeruare, quia nullo hic certo ac fixo cœli ſigno iuuamur. Gradus altitudinis ij ſunt, qui ab ipſis polis deſcribuntur, ſuntque certi ac definiti, propter poli immobilitatem. Atque ad hos gradus nobis in hac deſcriptione reſpiciendum erit.

Indiæ cognitæ longitudo & latitudo.

Nauigatum eſt, ac detectæ ſunt hæ terræ, à Septentrione Meridiem verſus, à gradu 60. Septentrionalis latitudinis ad 53. Auſtralis, qui gradus conficiunt terræ leucas 1977. quæ harum regionum ac continentis ipſius eſt longitudo. Qua vero parte latiſſima eſt 1300. leucas habet, qua anguſtiſſima 18. Eſtque hæc anguſtia ſiue Iſthmus interiectus inter vrbes *Nombre de Dios*, ſiue *Porto belo* ac *Panamam*, & in duas fere partes æquales Orbem hunc diuidit, quarum altera Septentrionem, altera Meridiem ſpectat. Tertiam partem conſtituunt Inſulæ & ea continentis pars, quæ ad Orientalem *Malaccæ* plagam vergit, per quam abit linea inſtitutæ inter Reges Caſtellæ & Luſitaniæ diſtributionis; ſuntque pars Indiæ Orientalis, licet Caſtellæ reſpectu India Occidentalis vocentur, vti videre eſt in tabula ſequenti.

Magneti adſcribitur regionum harum detectio.

Et harum quidem regionum inuentio, ex quibus tam immenſæ opes aduectæ ſunt, tantaque ad dictorum Regum theſauros facta eſt acceſſio, magneti adſcribenda eſt, cuius admirabilem vim ea tempeſtate deprehendit ac in lucem produxit *D. Antonius Oſſorius*, Eques Valladolitanus. Ea autem hæc erat, videlicet maiorem vim attrahendi ferrum à magnete ferro communicari, quam ipſe habeat magnes; cum ferrum admotum magnetis parti efficaciori maius pondus attollat, quam ipſe per ſe poſſit magnes. Qui enim magnes duarum librarum ac vnius quadrantis, non niſi ſex vnciarum pondus attollere poterat, me adſpectante, quatuordecim libras ferri attollere potis fuit. Sed non eſt ea vis ac efficacia magneti, quem dat Hiſpania. Certe hæc res crucem fixit Philoſophis, ac luculentum penitius hæc arcana ſcrutandi argumentum præbuit.

Inſeratur hic Tabula notata Numero I.

CAP.


DESCRIPCION DE LAS INDIAS OCIDENTALIS
PARTE ORIETAL
PARTE OSCIDENTAL
MERIDIANO DE LA DEMARCAÇION POR LA
TROPICO DE CANCER
EQVINOCIAL
TROPICO DE CAPRICORNO
MAR DEL SVR
MAR DEL NORTE
CHINA
Canton
Cory
Iapon
Filipinas
Mindoro
Malucas
gilolo
Borne
celebes
y.as d ladrones
Noua Guinea
S.ta ysabel
y.ts de Salamon
Roca partida
y.s de çedros
C. de fortun
California
NVEVA ESPANA
Nauidad
Mexico
A Capulco
Florida
la Vermuda
Cuba
Jamaica
S. domingo
P. rico
Honduras
Panama
Dominica
Trinidad
Caro
Tierra firme
y.de cocos
y. de galapagos
P. Viejo
C. Pasao
R. de las amozonas
Rio maranon
PERV
Callao
Arica
P.to de chile
P. de baldiuia
R. de plata
C. de S. Maria
C. Blanco
Prouincia de estrecho
C. de las Virgines
Estrecho d Magallano
BRASIL
C. S. Augustin
C. Frio
S. Vincente
BACALLAOS
lisboa
Canarias
S. Anton
R. de loro
C. Blanco
C. Verde
Quicquid spacij intra duos illos Meridianos signator terra mariq; eſt navigationibus detectum, aut detigetur impoſterum, Caſtiliensibus aſsignatum eſt.
Was zwiſchen diſen Beiden gezeichneten Meridianē oder Linien zu Land vnd waſſer durch ſchiffarten entdeket; iſt Caſtilianern zu erkant.

RPJCB

Cap. II.

De inſtitutis in Indiam Nauigationibus.

MAre, quod in Orientem excurrit, *Mar del Norte*, quod in Occidentem *Mar del Sur* vocatur. Hoc nouam Hiſpaniam & Peruanam regionem, illud eas regiones alluit, quæ ad Auſtrale Braſiliæ latus verſus fretum Magellanicum ſitæ ſunt, potiſſimum vero ad Septentrionalem Braſiliæ plagam Caſtellam verſus, alioſque Boreales tractus. Hæc duo maria vaſta alioquin, in minora maria ac ſinus diſtribuuntur, ac quatuor ad ſummum diuerſorum terminorum nauigationibus nauigantur. Prima eaque omnium celebratiſſima eſt ea, quæ à *Caſtella* in *Terram firmam* ac *Nouam* vergit *Hiſpaniam*. Secunda à *Caſtella* ad *Rio* (fluuium) *de la Plata* & fretum Magellanicum abit. Tertia à finibus nouæ Hiſpaniæ, à *Guatamala* & *Pamana*, in *Peru Chili* & fretum ſupradictum tendit. Quarta eaque nouiſſima à noua Hiſpania ad Inſulas Occidentales & Chinenſium mercatui dicata loca inſtituitur, vti tabula præſens indicat.

Diuerſi nauigationum in Indiam tractus.

Prima nauigatio, quia maxime viget, *Carrera de las Indias* appellatur, partimque in portum S. Ioannis de Vlua in noua Hiſpania ſitum abit, & Hiſpali ſi ſoluas, 1700. habet leucas, ac duorum menſium ſpatio cum dimidio conficitur: partim ad *Nombre de Dios*, & *Porto belo* tendit, loca ſita in regno, quod *Terram firmam* vocant. atque hæc nauigatio leucas continet 1400. ac duobus menſibus conficitur. vtraque vno curſu ac recto tramite pergit, vſque dum ad inſulas maris Septentrionalis ventum ſit, ſoluendo à portu *S. Lucæ de Barræmada*; vnde æquor tuto non conſcenditur, abſque Palinuro, nec niſi ſecundo vento, & pleno maris æſtu, ac de die, aut præuio lucernarum lumine, ad deprehendendas Syrtes & vada.

Tempora nauigationibus idonea.

Tempora his nauigationibus opportuna (Latini *tempeſtiuitates* vocant) diuerſa ſunt. In nouam Hiſpaniam itur exacta jam hyeme, ineunte Aprili ad finem vſque menſis Maii, nec ſoluendum ſerius, cum poſt menſem Auguſtum ad Inſulas vſque Oceani Septentrionalis peruenire non detur, propter ventos Aquilonares & *Vracanos*, qui tunc flare incipiunt. Sunt autem Vracani tempeſtates ortæ ex conflictu & concurſu contrariorum ventorum.

Quid ſint Vracani.

In *Terram firmam* itur, priuſquam adventet bruma, toto menſe Auguſto ac Septembri, quia finito Nouembri commode ad *Porto Belo* peruenitur, quo tempore iſtarum regionum littora Aquilonibus flare incipientibus minus valetudinem frangunt. A portu *S. Lucæ* in inſulas *Canarias* decem dierum aut octidui iter eſt 200. leucarum, idque per ſinum *de las Yeguas*, quæ nauigatio brumali tempore propter crebras tempeſtates periculoſiſſima eſt. Quod ſi vero ad portum magnæ Canarię pertingere ipſis detur, in eum ſe recipiunt, ſin minus, ad inſulam *Gomeram* contendunt.

Nauigatio in Terram Firmam.

A Canariis inſulis porro nauigatur in inſulam *la Deſſeada*, poſitam in latitudine grad. 15. paulo altius. aut in inſulam *la Dominica*, ad quam per Oceanum leucę 700. numerari ſolent. Hic loci viginti quinque diebus aut paulo plus morari ſolent, nec hinc regredi licet, propter ſtatos ventos contrarios, quos *Briſones* vocant. Innuuntur hac appellatione omnes ſupradicti venti orientales, & cauſa, propter quam ſtati hi ſint ac fixi, hęc eſt, quod rapidiſſimus motus primi mobilis etiam ipſum aeris Elementum ſecum in orbem raptet, vti alios quoque ſupra aerem poſitos orbes. Hinc fit,

Quid ſint Briſones venti.

fit,vt,dum aer motum ſequitur,primi mobilis ſiue diurnum ab Oriente in Occidentem, qui perpetuus eſt,etiam ſecum rapiat eodem motu exhalationes ac vapores è mari ſublatos,qui iſtorum ventorum materies ſunt & alimentum. Hæc nauigatio à *Canarijs* in inſulam *S.Domingo*,primum inſtituta eſt Anno M.D.XIV. à *Petraria Dauila*, cognomine *Gentil*,qui deſignatus Gubernator & præfectus regni *Caſtellæ de l'oro*, quod nunc *Terra Firma* dicitur,inſtructa nauium claſſe eo contendit. Nec diſſimilis omnino eſt hæc nauigatio illi,quæ hactenus obſeruata fuit.

Quia vero edicto cautum eſt, ne vel ligna, vel recentiores aquæ ex Inſulis *Deſſeada* & *S.Domingo* petantur,hinc in portum Inſulæ *Hiſpaniolæ Ocoa* dictum abit Hiſpanica claſſis,idque refectionis ergo. Cur vero iſtic aliquamdiu ſubſiſtat,hæc eſt cauſa,quod Vracanos ventos hoc in tractu à *Cuba* & *Noua Hiſpania* flantes nanciſcatur. Etiam de recentibus ſibi aquis proſpiciunt in Inſula *Guadalupa*,atque hic ad iter denuo ſe apparant. A noua Hiſpania abit claſſis ad promontorium *Santanton*, ſitum in finibus & Occidentali parte Inſulæ *Cubæ*,vnde vt plurimum viginti diebus 500. leucas nauigando conficit, in conſpectum ſe dantibus inſulis *S.Iohannis de Porro Rico*, & *Hiſpaniola*, duorum miliarium à portu de *S.Domingo* diſtantia,lectaque ora juxta promontorium *Nizao*, medio inter inſulas *Cubam* & *Iamaycam* itinere contendit, quo loci vitandi ſunt ſcopuli *Iardines* dicti,poſiti in medio littore *Cubæ*,in quos plurimæ naues illiſæ naufragium fecere. Hinc porro in altum vehuntur in conſpectu Inſularum *Pinos* & promontorii *Corrientes*, duodecim à promontorio *Santanton* leucis, vnde duplex via patet ad portum *Veracruz*, vtraque decem aut duodecim dierum itinere. Et prior quidem via mediterranea 250. leucarum eſt,& æſtiuo tempore à menſe Maio ad Septembrem vſque nauigatur, cum nulli flant Aquilonares,qui in littus *Iucatam*,quod præternauigatur naues protrudunt: poſterior vero per Oceanum & vaſtum mare ante hyemis aduentum nauigatur, eſtque pene 280. leucarum, ſi altitudinem poli metiaris. Optima vero & commodiſſima nauigatio ad portum *S. Iohannis de Vlua* inſtituitur,lecto littore *Floridæ & Almeriæ*,hoc conſilio, ne ab aduerſis ventis retardemur, vtque portum S.Iohannis de Vlua ſuperare tempeſtiue poſſimus. Claſſes,quæ antea ab inſula *la Dominica*, nunc vero à *Guadalupa Terram firmam* petunt,ſpacio 400. leucarum,itinere vero quindecim dierum, vt Cartagenam perueniant,Terræ firmæ oram radunt,vbi perpetuo fere flant aduerſi nauigantibus *Briſones*, & æſtiuo tempore Zephyronoti,brumali vero Septentrionales,qui ex obliquo littus feriunt. Deprehenditur via ex promontorio *de la Vela* interiecto inter S. Martham & Venezuelam,& ex promontorio *del Aquia*, prope *Cartagenam*, vbi exonerari ſolent merces adſportandæ in *Nouum regnum*,quæ vero in *Peru* abituræ ſunt, in *Porto Belo* deferuntur, quæ *Cartagena* diſtat leucis propemodum 90. itinere quatuor aut ſex dierum, obſeruato promontorio *Catina*. à Canariis vero inſulis diſtat *Cartagena*, quantum triginta quinque diebus adnauigari poteſt.

Quæ commodatiſſima ſit à Promont. Santanton in inſulam S.Iohannis de Vlua, nauigatio.

Quæ vero ad *Honduras* & *Guatemalam* abeunt, vna cum nauibus nouæ Hiſpaniæ promontorium *de Tiburon* petunt,maxime Occidentalem *Hiſpaniolæ* partem, à qua abeuntes iuxta inſulæ *Iamaycæ* latus Boreale ad extremitates promontorii *Nigrello*, ad promontorium de *Cameron* contendunt,& prouinciam *Honduras*, vnde nauibus ſtatio quæritur in *Truxillo*, 15. leucis Occidentem verſus, vbi merces iſtic manſuræ exonerantur, reliquæ vero ad portum de *Cauallos* deferuntur,aut in ſinum dulcem (*Golfo Dulce*) iuxta oram ſinus de *Honduras*,vt in *Guatemalam* hac via deuehantur.

Iter in prouinciam Honduras & Guatemalam.

CAP. III.

In quo reliqua, quæ ad nauigationes haſce attinent, pertexuntur.

Alia via in Caſtellam remeant Claſſes.

NEc vero eadem, qua iſtuc commeant, in Hiſpaniam remeant via, verum altius polum verſus dirigendus curſus, vltra Tropicos, ad captandos ventos Septentrionales. Conueniunt claſſes in portu *Hauanæ*, circa medium menſis Iunii, vt hinc ante aduentum hyemis in Caſtellam nauigent. Etenim Apeliotes aduerſus eſt, ac recta in proram flat, ex obliquo vero in Canali ipſo, vti & Auſter ex obliquo ferit littora promontorii *S. Vincentij* vſque ad S. Lucæ portum. Claſſis *Terræ firmæ* in Maio à *Porto Belo* ſoluit, ceſſantibus Aquilonibus, mox Cartagenam reuertitur, partim ad conuaſandum quicquid auri ac argenti è nouo regno *Granadæ* aduectum eſt, partim vt declinet tum littora *Veraguæ*, tum impetuoſos defluxus aquarum de *Nicharachua*, ex quibus difficulter ſe expediunt naues, ſi quando in hos à Briſonibus ventis, qui circa hos tractus periculoſi ſunt nauigantibus aut aduerſo maris æſtu propellantur.

Quo tempore ſoluere debeant Claſſes Caſtellam repetentes.

Quo claſſes Cartagena ſoluentes contendant.

Cartagena diſcedentes ad promontorium *Santanton* contendunt, Occidentalem Cubæ partem itinere 200. pene leucarum, quod, propter vada occurrentia circa *Serranam, Serranillam*, & *Quitaſueno* decem diebus conficitur. Promontorium *Santanton* diſtat *Hauana* 50. circiter leucis: Naues quoque è prouincia *Honduras* ſoluentes hac iter ſuum inſtituunt ad obſeruandum promontorium *de Santanton*.

Quo anni tempore è Noua Hiſpania diſcedant claſſes.

Nauigatio è portu Hauanæ in Caſtellam.

E *Noua* vero *Hiſpania* abeunt naues ineunte Maio, flante Aparctia, qui *Hauanam* redeuntibus inſeruit, inſtituto altius curſu vsque ad *Sondam*, quam *las Tortugas* vocant. in quem vſque locum 300. pene leucæ 15. dierum ſpatio decurruntur. Naues, quæ à S. *Martha & Venezuela Caſtellam* petunt, inter *Cubam*, & *Hiſpaniolam* vela faciunt, ad deprehendendum promontorium *S. Nicolai*, (*Cabo S. Nicolas*,) in Auſtrali inſulæ iſtius parte. vnde per medias inſulas *de los Lucayos* iter dirigunt, vt eundem, quem Claſſes, curſum teneant, moxque viſo promontorio *Santanton* ad *Auanam* contendunt, ne in piratas incidant. Hinc deinceps Caſtellam proficiſcuntur, & egreſſi è Canali *de Bahama*, qua primum nauigaſſe perhibetur nauarchus *Antonius de Alaminos* anno 1519. mare traiiciunt, quod *Mar del Norte* aut de *Sargas* vocant, ſpatio 800. pene leucarum, itinere 25. aut 30. dierum. Ventis feruntur ordinariis ac ſtatis, ac duplicem ſeruant curſum. Vnum æſtate ineunt ad altitudinem grad. 38. aut 39. aut paulo altius, in qua altitud. ſitæ ſunt *Azores*, vel *Flandricæ* inſulæ: alterum brumali tempore tenent, non vltra 39. gradus altitud. propter frequentes imbres, qui iſtuc decidere ſolent, in qua altitudine poſita eſt inſula *S. Mariæ*, vna ex *Azorum* numero. Vno vero gradu altius *Terceram* itur, vbi Claſſes refectionis cauſa conuenire ſolent, nec vlli hic exſcendere conceſſum. Ab his autem *Azorum* inſulis vſque ad *S. Lucas de Parrameda* leucæ à nautis conſtituuntur 300. quas quindecim diebus, alii vero triginta confici poſſe credunt, propter crebros ventos Orientales, qui in iſto Azorum mari imperium tenent. Atque hinc nauigant vſque dum ad littora Portugalliæ perueniant, ac præteruectæ promontorium *S. Vincentij*, ac ſeruatis ſemper in conſpectu Hiſpaniæ littoribus in portum tandem *S. Lucar* ſe recipiunt.

Claſſium iter à Canariis vſque ad S. Lucar.

Nauigatio verſus fluuium de Plata.

Nauigatio quæ è *Caſtella* inſtituitur verſus *Rio de Plata* diſtantia 1600. leucarum, aut in fretum *Magellanicum*, diſtantia leucarum 2000. longius tempus requirit, quam viæ

longi-

longitudo exigere videtur, quia in iſtas regiones non niſi æſtate deueniendum eſt, quæ iſtic à menſe Septembri initium ſumit. Nequaquam circa ea tempora ſoluendum Caſtella eſt, quibus ſi ſoluamus, futurum ſit, vt Iunio aut Auguſto menſibus tranſeunda ſit linea æquinoctialis, qua anni tempeſtate maxima illic eſt aeris tranquillitas ac placidum ventis ſtat mare. quæ cauſa eſt, cur quinque menſes depoſcat hæc nauigatio, quæ alias duobus aut tribus conficitur, ſi Hiſpali ſoluamus menſe Auguſto aut citius, & ſuperatis Canariis inſulis, vbi Auſtrales ac Septentrionales flant venti, octo aut nouē trans Æquatorem gradus nauigemus; vnde quidam curſum inſtituunt Occidentem verſus, ad deprehendendum promontorium *S. Auguſtini in Braſilia*, & ſeruato terræ conſpectu in *Rio de la Plata*, & fretum *Magellanicum* pergunt. Alii recta per medium mare ad gradus octo nauigarunt, deflectentes ad Auſtrum verſus fretum Magellanicum, quanquam pauci ante exactam æſtatem hac via Oceanum traiicere potuerint, cum breuiſſima hic ſit æſtas, & frigida ſubinde, propter ſitus altitudinem, quæ hanc nauigationem difficiliorem reddunt.

Nauigatio per mare Auſtrale inſtituta fuit lecto littore, partim propter perpetuos Auſtros, partim propter ordinarios maris æſtus à Freto Magellanico verſus Septentrionem. Nauigatio è *Panama* in *Cuidad de los Reyes* duobus menſibus abſolui ſolet, reditus vero minus triginta diebus, & ſimiliter à *Cuidad de los Reyes* vſque ad *Chile*, vnde ad *Panamam* numerantur leucæ 900. nauigatur minus duobus menſibus, cum eo abeuntes octo exigant menſes, quæ tamen nauigatio nunc ſolito compendioſior eſt, quia mare altius conſcendentes magis idoneos & fauentes ventos conſequuntur.

Nauigatio in inſulas Moluccas & Philippinas.

Nauigatio in inſulas Occidentales, *Moluccas* & *Philippinas* à Caſtella per fretum Magellanicum leucas habet 4000. eſtque moleſtiſſima, partim propter viæ longitudinem, partim propter freti Magellanici diſcrimina. E *Noua Hiſpania* ante nauigatum fuit per mare Occidentale, quod mari Auſtrali continetur, idque è portu de *Natiuidad* ſiti ad littora Nouæ Hiſpaniæ, nunc verò è portu *Acapulco* nauigatur, & hinc porro in Moluccas ac Philippinas itur, diſtantia 1600. aut 1700. leucarum, quæ duobus menſibus, aut duobus & dimidio conficiuntur, ſi menſe Nouembri ſoluas, quo tempore maxima eſt malacia. Reditus vero in Nouam Hiſpaniam diutius durat; cum enim eadem via redire non detur, ad gradus triginta nouem contendendum eſt, & ſoluendum menſibus Maio & Iunio, quibus rari flant *Briſones* venti. Habetque hæc via 200. leucas, & quatuor menſes huic conficiendæ impenduntur.


Inſeratur hic Tabula 2.

Cap. IV.

De India Septentrionali.


POſtquam Indiam Occidentalem interuentu Iſthmi ſui interiecti inter *Porto Belo* & *Panama* idem in duas partes diuiſimus, quarum alteram in Boreali, alteram in Auſtrali mundi plaga collocauimus, eam porro Septentrionalis & Auſtralis Indiæ nominibus indigetabimus.

Reges Caſtellæ ac Legionis ſuffragante ſupremo rerum Indicarum Concilio, decreuerunt, vt vtraque Indiæ pars ſuum haberet Pro-Regem, vna cum Cameris, Hiſpani *Audientias* vocant, præfecturis ac Epiſcopatibus ſuis. Primum autem dicendum nobis


NORTE
DESCRIPÇION DE LAS
INDIAS DEL NORTE
2
MAR DEL NORTE
La Florida
Lucayos
Tropico
de Cancro
Cuba
Xamica
Espanola
S. Iuan
Audj.a de la Cspanola
Yucatan
Audj.a d la nueua Galizia
Audj.a de la nueue Cspaña
Audj.a de Guatimala
MAR DEL SVR
Venezuela

RPJCB

RPJCB


NORTE
DESCRIPTIŌ DEL DESTRICTO
DEL AVDIENCIA DELA ESPAÑOLA
3
Cuba
1 Baracoa
2 p.to delprincipe
3 Baiamo
4 Santiſpirtus
Xamayca
1 Seuilla
2 Oriſtan
3 Melilla
4 p.to de xanta
5 p.to del Guayamo
La Eſpanola
1 Elzeibo
2 higuei
3 Santiago
4 p.to de la plata
5 monte xpī
6 el cotuy
7 la concepcion
8 puerto Real
San Juan
1 Clarrecibo
2 Guadianilla
3 Golfo de S. Germ
MAR DEL NORTE
Tropico
de Cancro
C. de S.te elena
R. de S. matheo
Santaguſtin
R. de mosquitos
R. de la matança
p.ta del Cañaueral
Rays
Canal de babama
y.as de los Lucayos
yucayoneque
babama
Cigateo
Curateo
Guanima
Guanihana
triangula
yuma
Samana
Xumeto
babacoa
Lequesta
bimuy
Cabeça de los martires
P.ta de los martires
los teſtigos
b. de tampa
B. de Carol
B. de toco baga
p.ta de mupa
Iardin del Rey
hobabaya
Habana
matancas
C. de S.t anton
Cuba
Cubana
Santiago
C. de Ctux
C. de corrientas
y.a de pinos
xagua
dos hermanas
Iardin de la Reyna
Caymā grande
los caymanes
C. del falcon
xa maica
p.ta del negrillo
p.ta demorāta
lanabaca
C. de tiburon
abreoſo
frailes
Camito
Guanabo
Ca. royo
Eſpanola
C. d S.t nicolā
S.t domigo
Azua
yaguana
yaqmo
ynbaque
hormigas
biuoras
la ſerrana
la ſeranilla
los viciosas
qtaſueno
Roncador
S.ta Catalina
Santandres
honduras
Yslas de la mar del norte
Ocoa
labeata
altobelo
p.ta de nizao
Rocania
S.ta catalina
la ſaona
mira pocos
ynagua
yabaque
mayaguana
Amana ycaneiba
Caycos
latortuga
Canaman
maçarey
abreoſo
C. frances
G. de Samana
C. del dengāno
S. Iuan
C. roxo
Beyeque
S.ta cruz
Saba
S. eſtacio
S.t Bartholome
San martin
clanguilla
barbada
la redonda
monſerat
Ouadalupe
todos Santos
la deſeada
marigalante
la dominica
matinino
San Vic.te
barbudos
Granada
tabago
la trinidad
p.ta de lagalera
p.ta redonda
Golfo de paria
las Aruacas
R. orinoco
Cumana
Cordoua
maracapana
Valentia
Xerez
Segouia
tocuyo
Veneçuela
Trugillo
Coro
Golfo triſte
C. de San Roman
Cura caute
Curacao
boinare
aruba
los monges
C. de Coquibacoa
elportete
C. la Vela
R. de la hacha
Stiago
Golfo de Cariaco
Roca
orchilla
tortuga
Cubagua
la margarita
los fraylos
los teſtigos
TIERRA FIRME
Cartagena

nobis de India Septentrionali, quæ vulgo *Noua Hiſpania* vocatur, hanc ob cauſam, quod qui primi eam detexerunt, (fuere autem hi *Iohannes de Gryalua* aliique expeditionis iſtius ſocii) in inſulis nullas vidiſſent domos lateritias, aliaque plurima, quæ in Hiſpania obtinent, in hoc autem Continentis tractu illa ipſa reperiuiſſent, vti & amictam veſtibus gentem moribuſque ad ciuilitatem & humanitatem compoſitis præditam. Hinc *Nouam Hiſpaniam* appellare libuit. Præcellit hæc reliquis Indiæ climatibus pratorum ac paſcuorum abundantia, ideoque innumerabilem hic omnis generis beſtiarum multitudinem inuenias. Præſtat adhæc agricultura, & fructuum vbertate. Nulla hic colliguntur vina, quæ ob creberrimos per Iulium & Auguſtum imbres matureſcere nequeunt. Inſulæ de *Barlouento* paſcua quoque habent vaſtiſſima, & aſpectu amæniſſima, vtpote quæ toto anno virent ac florent, ventiſque perflantur plurimis. Syluas & lucos habent incredibilis magnitudinis, denſis vndique arboribus veluti circumſeptos, in planitie lacus ſunt ac paludes maximæ. Nulla hic Cerealium frugum meſſis, nulla vindemia, propter natiua ſoli huius vitia, quæ maturitatem illis inuident. Fluuii magna parte auriferi ſunt. *Florida, Nicaragua*, & *Guatemala* fere eiuſdem ſunt genii ac indolis, vti omnes pene reliquæ; de quibus ſpeciatim ſuis locis agetur. Sequens vero tabella ob oculos nobis ponet Indiæ Septentrionalis tractus & ſitum. *Cur Noua Hiſpania dicta.*

Cap. V.

In quo fines ac termini Cameræ ſiue Supremæ Curiæ S. Domingo *delineantur.*

CAmera ſiue Curia Inſulæ Hiſpaniolæ (Eſpagnola) quæ & tempore, & quia Caſtellæ reliquis inſulis vicinior eſt, ſitu prima eſt, juriſdictioni ſuæ ab Oriente in Occidentem ſubditas habet leucas 550. & à Septentrione in Meridiem plus quam 300. quo ambitu continentur inſulæ & præfecturæ Inſularum *Eſpagnola, S. Iuan, Jamayca*, & *de Margarite*, necnon margaritarum piſcatura, prouincia *Venezuela*, & confines prouinciæ *Noua Andaluſia, Guyana* & *Florida*, vna cum omnibus inſulis maris Septentrionalis, quarum plus quam centum nominibus ſuis propriis diſcriminantur, ſexcentæ vero & plures numero ſunt, partim minores, partim maiores. quæ vero ſitæ ſunt ad littora *Terræ firmæ*, à nautis *Sotauento* appellantur, reliquæ *Barlouento*. Omnes temperie cœli ſunt humidiore ac ſupra modum calida. & quanquam fertilitate pratorum ac arborum excellant, nequanquam tamen à ſeminum Caſtellanorum fæcunditate commendantur, vti nec à tritico, hordeo, vino, oliuis. Vaccis tamen, equis, porcis, ouibus abundant, & præcipuam mercaturam exercent coriis ac ſaccharo. & quanquam illarum plurimę aurum ferant, tamen in publicum vſum hic loci non conuertitur. *Deſtrictus Cameræ de S. Domingo.*

Inſeratur hic Tabula 3.

Cap. VI.

De Inſulis Hiſpaniola & Cuba.

INſulam *Eſpagnola* indigenę *Ayti* & *Quiſqueya* vocarunt, hoc eſt, ſi interpreteris, *aſperitatem*, aut *terram magnam*. figuram habet inſtar nuclei caſtaneę. poſita eſt in altitud. grad.

grad. 19. cum dimidio. ambitus 400. circiter leucis circumſcribitur, & in latum ab Oriente in Occidentem fere ad 150. leucas porrigitur: à Septentrione in Meridiem ad leucas 30. & qua parte latiſſima eſt ad 60. Sacchari, pecudum & *yucæ* feraciſſima eſt, ex cuius radicibus conficitur *Cazabi*, indigenarum panis. Nec mayzum (leguminis hoc genus eſt) nec triticum fert, quanquam nunc in intimis ac frigidioribus partibus has fruges proferre incipiat. Ditiſſima eſt æris aliorumque metallorum fodinis, necnon auri mineris, quanquam, propter foſſorum inopiam, raro hic eruatur. Pagos habet Caſtellanorum decem.

S. Domingo. Ciuitas *de S. Domingo* ſita eſt ad mare plagæ Auſtralis, ad ripam fluuii *Ozanæ* in altitudine grad. 19. cum ſemiſſe, & longitudine Occidentali grad. 70. à Meridiano Toletano, vnde in hanc ducta linea recta leucas habebit 1247. Incolas habet plus quam 600. In hac ciuitate Camera eſt, ſiue ſuprema Curia & Officiales ærarii regii, officina monetaria, & templum Cathedrale. Habet Archiepiſcopatus hic ſuffraganeos Epiſcopos, *de Conception de la Vega*, quæ ſociata eſt cum *S. Domingo* incolis, nec non cum incolis *S. Iuan, Cuba, Venezuela*, & Abbatia *Iamaycæ*. Habet Cœnobia ordinis Franciſcanorum, Dominicanorum, Mercenariorum, & duo Monialium, Collegium Grammaticorum reditus habens annuos peſorum 4000. & Xenodochium cum reditibus 2000. peſorum. Portus ampliſſimus eſt & multarum nauium capax, poſitus in oſtio fluuii *Ozanæ*, ad ciuitatis latus Orientale. Quam anno 1494. condidit præfectus *D. Bartholomeus Columbus* in parte Orientali, ſitu meliore & ſalubriore, & magnus *Commendador de Alcantara Nicolaus de Ouando*, Gubernator Eſpagnolæ anno 1511. in eum, vbi nunc eſt, locum tranſtulit, in vlteriorem nempe ſupradicti fluminis ripam: idque hac occaſione, quod terræ motu concuſſa ac colliſa concidiſſet.

Peſos vox Hiſpanica eſt.

Salualeon. Vrbs *Salualeon de Yguey* 28. leucis à S. Domingo Orientem verſus diſtans; parſque Archi-epiſcopatus, à duce *Iuan de Eſquivel* Hiſpanorum colonia facta eſt.

Zeybo. Vrbs *Zeybo*, 20. à S. Domingo diſſita leucis ad Orientem, verſus inſulam *de la Saona* ab eodem duce *Iuan de Eſquivel* Hiſpanis incolis donata fuit, quo tempore imperabat *Nicolaus de Ouando.*

Cotuy. Vrbs *Cotuy* 16. à S. Domingo remota leucis Septentrionem verſus, territorio ſuo vbertim profert herbam iſtam, quam *Collexo* vocant, à *Rodrigo Mexia de Trillo* Hiſpanorum facta eſt colonia.

Azua. Vrbs *Azua* in *Compoſtella* ad Auſtrale latus, 24. leucis à *S. Domingo* diſtat, & territorio ſuo multas habet ſacchari molas. Coloniam huc traduxit Admiralius *Deruo Velazquez*, qui *Compoſtellam* vocauit, in gratiam Gubernatoris *Gallego*, qui hæreditatem hic adiit. Eſt enim *Azua* pagi nomen ab Indis inhabitati. Qui primi in Indiam ſacchari cannas advexerunt, eaſque in vſum conferre didicerunt, fuere *Atienca* & quidam *Bacchiller Velloſa.*

Yaguana. Vrbs *Yaguana*, cui nomen inditum *Santa Maria del Puerto*, in Occidentaliore inſulæ littore ſita, 50. aut 60. leucis à *S. Domingo* diſtat, fere inter Occidentem ac Septentrionem. Coloniam fecit magnus gubernator *Nicolaus de Ouando.*

La Conception. Ciuitas *de la Conception de la Vega*, in regno *de Guarinoix* ſita eſt. Condidit illam *Chriſtophorus Columbus* primus Indiarum Admiralius, & prope hanc memorabili illo prælio *de la Vega Real* victor fuit. viginti leucis à *S. Domingo* diſtat verſus Aparctiam Orientalem. Templum habet Cathedrale, ſed Prælato carens, quia in ſocietatem Eccleſiæ *de S. Domingo* ſe dedit. Cœnobium hic quoque Franciſcanorum viſitur, in quo Crucis lignum aſſeruatur, quod nec igni exurere nec ferro diſſecare poterant

Palus Crucis de la

Indi.

Indi. Huius quoque virtute maxima hic edita ſunt miracula.

Sant Iago de los Caualleros, 10. leucis à ciuitate *de la Vega* diſtans, recta Aparctiam Orientalem ſpectat. primum arx fuit, exſtructa à primo Admiralio in ditione *del Cazique Guanaionel*, ad ſecuritatem ciuitatis *de la Vega*, & in maiorem tutelam ac defenſionem propugnaculi *de la Madalena*, quod quatuor inde leucis diſtat. *Sant Iago.*

Portus *de Plata* dictus, in Septentrionali eſt inſulæ ora 35. aut 40. leucis à *S. Domingo*. Coloniam huc traduxit magnus Gubernator *de Alcantara Nicolaus de Ouando*, Anno Domini 1502. vt tanto commodius hic negotiari poſſent naues Caſtellanorum, & quia decem ſolummodo leucarum interuallo à magna *Vega* abeſt, à qua aliis inſuper 10. leucis ſita erat vrbs *Sant Iago*; ciuitas vero *de Conception* 16. & opulentæ fodinæ *de Cibao* 12. Municipium eſt Epiſcopatus *de la Vega*. Ad altitud. grad. 20. aut paulo altius aſcendit. *Portus de Plata.*

Vrbs *de Montechriſto*, ad Septentrionem 14. leucis verſus Occidentem à portu *de Plata*, & 40. à *S. Domingo* diſtans, ſubeſt Epiſcopatui *de la Vega*. Portum habet commodiſſimum, nec non ſalinas. Conditor fuit *Nicolaus de Ouando*. *Montechriſto.*

Fuit olim in hac inſula ciuitas *Yſabela*, ſed alio nunc translati incolæ. Condiderat illam primus Admiralius Anno Domini 1493. Vrbem *Verapaz* in *Xaragua* condidit *Diego Velazquez* Anno Domini 1503. *Iſabellæ.* *La Verapaz.*

Eodem quoque anno incolas accepit *Saluatierro de la Zabana*, quod *planitiem* & *campum* Indica lingua ſignificat. Eſtque plana omnis hæc regio, nec montibus aut rupibus præruptis aſpera. *Saluatierra.*

Traducti ſunt etiam coloni in vrbem *de S. Iuan de la Maguana* in medio inſulæ poſitam inter inſignes & celebratiſſimos fluuios *Neyba* & *Yaqui*, quo loco hodie adhuc Templum ſpectatur. Imperabat hic *Caonabo*, qui captiuum abduxerat *Alonzo de Oieda*. Idem hic coloniam duxit in *Villaneuva de Yaquino* ſupra portum, vbi *Oieda* captus in naui & duobus compedum paribus vinctus natando euaſit. Sita eſt ad oram Auſtralem, quam Admiralius oram aut portum *Braſiliæ* vocauit. *La Maguana.* *Villaneuva.*

Ciuitatem *Bonao* vicinam *Cotuy*, coloniam quoque fecit primus Admiralius, qui hic propugnaculum tuendis fodinis, quas primas in hac Inſula inuenerunt, exſtruxit. *Bonao.*

Vrbs *Buenaventura* 8. leucis à S. *Domingo* diſtat, ad Septentrionem ſita, & *Lares de Guahaba*, in quam colonos deduxit *Nicolaus de Ouando*. Adeo floruit hæc Inſula, vt incolas Caſtellanos habuerit quatuordecim mille, magnam partem nobilitate claros. Verum detectis ac inuentis aliis Americæ partibus, factum fuit, vt confluente eo ex hac inſula & *Cuba* incolarum multitudine, hæc rariores habuerit. *Buenauentura.* *Hiſpaniola 14000. Caſtellanorum habuit.*

Portus, promontoria, & nauium ſtationes maximè celebres, nec non Inſulæ quæ ad oram huius Inſulæ ſitæ ſunt ad Meridionale littus promontorii *de Nizao* conſpiciuntur, 10. à *S. Domingo* leucis Occidentem verſus. Portus *Ocao* 11. à *S. Domingo* leucis remotus fidam nauibus ſtationem præbet, & de nouo commeatu iis proſpicit, qui in *Nouam Hiſpaniam* abeunt, niſi forte anchoram figant in vicino ſinu *Zepezepin*, aut in portu, qui *Puerto Hermoſo*, portus pulcher dicitur, duabus à portu *Ocao* leucis. *Promontoria & portus huius Inſulæ.*

Aza portus, & pagus 24. leucis ad vlteriorem portus *de Ocao* ripam recedit. *la Calongia*, promontorium eſt latum leucas circiter 30. è regione inſularum *Boaca* & *Altobelo*, 5. à littore, & *la Beatados* leucis. *Yaquino* fere 34. plus leucis Occidentem verſus abit, vti & *Abaque*, inſula prope promontorium *Tiburon*, maxime Occidentalem Hiſpaniolæ tractum.

B *Nabaza*

Nabaza inſula 10. leucis à promontorio *Tiburon* abeſt, verſus Zephyrum Orientalem, promontorium vero *Royo* 12. inde leucis diſſidet, Septentrionem verſus. *De Roques* ſiue *Fratrum* Inſulæ circa eam littoris partem, quæ in Orientem recurrit, ſpectantur. Inter has & Inſulam *Guanabo* latam 8. leucas in ſinu *Yaguanæ* poſita eſt *Caymiro* inſula. Portus & promontorium *de S. Nicolas* in maxime Occidentali parte inſulæ eſt, verſus Septentrionalem plagam. Vlterius ſi tendas, occurrit portus de *Moſquitos* ad littus Boreale, & 20. adhuc leucis vlterius portus eſt *Valparayſo* ſiue *de la Conception*, ad Septentrionem & Meridiem vergens, necnon *Tortuga* Inſula, ſub ipſum littus poſita, latitudinem habens 5. leucarum. *Porto Real* 12. leucis verſus Occidentem à *Montechriſto* diſtat, quæ ipſa 24. leucis aut paulo amplius ab *Iſabella* abeſt, nec non 12. inſuper leucis à portu de *Plata*. Promontorium *Frances* & *de Cabron* redeuntibus occurrunt, circa littora inſulæ orientalia, ante ſinum *de Hamana*, qui ad 5. aut 6. leucas in ipſam inſulam excurrit, ad eum vſque locum, in quo pagus de *Santa Cruz* fuit. In hoc fluuio *Hamana* primum cum indigenis Indis hoſtiliter agi cœptum eſt, poſtquam vi adorti eſſent Admiralium *Columbum*. Promontorium *del Engano* ad maxime occidentalem Inſulæ partem eſt, vbi littus in ſe redit ab Auſtro verſus Occidentem, circa cuius initium inſula iacet *la Saona*, quam obſeruant claſſes diſcedentes, paulo longius à *S. Domingo* abeſt, quam à promontorio *del Engano*.

Vbi primum contra Indos arma ſumſerint Hiſpani.

Conſpicitur quoque circa hæc littora inſula *S. Catalina*. Atque hæc quidem nomina omnia primus indidit Admiralius.

Cuba.

In Inſulam *Cubam*, quæ ante *Iuana* dicta fuit, de nomine patris *Don Iuan*, & poſtmodum mandato ſuperiorum *Fernandina* appellata fuit, mutuato à patre ipſius nomine navigari cœptum anno 1508. Peragravit hanc Capitaneus *Sebaſtianus de Ocampo*, anno 1511. iuſſu *Nicolai de Ovando*, qui adduci nunquam potuerat, ut crederet undequaque inſulam hanc eſſe, ac mari cingi. Admiralius *Diego Velazquez* comitatus 300. Caſtellanis juſſu ſecundi Admiralij hanc quoque adijt, ut ad obſequium flecteret. Promontorium *Sant Anton* à promontorio *Mayzi*, terreſtri itinere 230. leucis abeſt, quanquam reſpectu ſolis & maris tanta non ſit ejus latitudo. A promontorio *de Cruzes* uſque ad portum *Manati* 45. leucarum diſtantia eſt, à quo loco in anguſtum cogi incipit ac ad ultimum uſque promontorium occidentale vagatur, ubi 12. leucarum latitudinem habet, paulo plus minus, nempe à *Matamana* vſque ad *Auana*. Situs eius eſt intra Tropicum Cancri à gradibus 20. vſque ad 21. Tota fere plana & æquali eſt ſuperficie multis ſaltibus ac ſyluis iiſque denſis admodum vmbroſa. Triginta à promontorio *Mayzi* leucis montes ſpectantur altiſſimi, etiam in meditullio Inſulæ, qui in Septentrionem excurrunt. Ad Meridiem vero fluuios habet permultos & lacus piſcoſos. Ad Auſtrale quoque latus Inſulas videre eſt, quas primus Admiralius vocauit *el Iardin de la Reyna*, *reginæ hortum*, aliaſque ad Septentrionem ſitas, quas *Diego Velazquez el Iardin del Rey* vocauit, *hortum regis*. Varii generis arbores habet, necnon vineas agreſtes, craſſitudine humani corporis. Triticum non fert. nec Caſtellana ſemina, verum pecore abundat. æris ac auri fodinas habet maximas, quod ipſum in fluminibus quoque reperitur, licet parui admodum valoris.

Sant Iago.

Don Diego Velazquez primus in ciuitatem *Sant Iago* colonos miſit. Sita eſt ad littus Meridionale 40. leucis à promontorio *de Tiburon*, 2. verò à mari leucis, non longè à portu quodam, quo neque vehendis nauibus tutiorem nec maiorem videt orbis. Incolas quondam hæc ciuitas habuit bis mille, at nunc rariores habet. Præeſt vrbi

quidam

quidam Vice-gubernator, ſedemque hic fixit Cathedralis Suffraganeus de *S. Domingo.* Cœnobium hic quoque eſt Franciſcanorum.

Baracoa vicus eſt ad Orientalem *Cubæ* partem, ad littus Inſulæ Septentrionalis, 60. ab vrbe *Sant Iago* leucis, pene ad Cæciam, atque hanc coloniam fecit Admiralius *Diego Velazquez.* *Baracoa.*

Vrbs *Bayamo*, ab eodem *Diego Velazquez* condita, 20. à *Sant Iago* leucis ad Thracio-zephyrum ſita eſt, tractu totius Inſulæ ſaluberrimo, agro fertili, & laudatæ indolis. *Bayamo.*

Vrbs & portus *del Principe*, ad littus Septentrionale 40. fere leucis à *Sant Iago*, Thraciozephyrum quoque ſpectat. *Portus del Principe.*

Vrbs *Santi Spiritus*, portus eſt ad Meridiem, inter *Trinitad* & *Cayo de Baſco*, *Porcallo de Figueroa*, 50. pene leucis à *Sant Iago.* Coloniam fecit *Diego Velazquez.* *Santi Spiritus.*

Vrbs & portus *de Sinte Chriſtoffel de Abana* in littore Septentrionali, fere è regione *Floridæ* in altitudine 22. grad. cum ſemiſſe, plus quam ſexcentos habet incolas. Sedem hic fixit Inſulæ gubernator aliique officiales Regii. Portus cum propter amplitudinem, tum propter ſecuritatem ſuam admirabilis eſt, præcipue ab eo tempore, quo eo miſſi fuerunt à Rege *Philippo* ſecundo, *Meſſe de Campo, Iuan de Texeda*, & *Baptiſta Antoneli*, ad muniendum propugnaculis locum, quo tuto iſtic conuenire poſſent claſſes Indicæ, & ſaluæ in *Caſtellam* traiicere. Vocata fuit ante portus de *Carenias.* Hæc, vti & aliæ omnes Inſulæ huius vrbes, à *Diego Velazquez* exſtructa eſt, commodante ad hanc rem operam ſuam *Bartholomæo de las Caſas*, poſtmodum Dominicano religioſo & Epiſcopo *de Chiapa.* *Habana.*

Portus, & promontoria littorum *Cubæ*, nec non vicinæ inſulæ, præter iam memoratas, maxima ſui parte ad Meridionale latus ſitæ ſunt, nempe vrbs *Sant Iago* ad grad. 20. & 25. leucis occidentem verſus: *de Santi Spiritus, Cabo de Cruz* 12. leucis vlterius, necnon *Iardines de la Reyna*, Inſulæ iſtius ſcopuli ac Syrtes: Portus *de la Trinidad* ad grad. 31. euehitur; 30. circiter leucis à promontorio *de Cruz*, & 10. magis verſus Occidentem. Occurrit hic ſinus de *Xagua*, maximum maris diuerticulum, vna cum inſulis aliquot in medio eius poſitis, nec non inſulæ *las dos Hermanas* circa initia Syrtium quas *Camarco* vocant, inter littora & Inſulam *Pinos*, quæ longa leucas 10. lata vero 7. 12. à *Cabo de Corrientes* leucis, vti & aliæ, abeſt. reſpectu vero promontorii *Sant Anton*, ad maxime occidentalem Inſulæ partem ſita eſt.

Ad Septentrionalem oram portus eſt *del Abana*, & 30. verſus Orientem leucis portus de *Matanças*, vbi colonia fuit. Dicta fuit *Matancas*, ob cæſos iſtic ab Indis Caſtellanos aliquot, cymbulis ſuis ac lintribus, quos *Canoas* vocant in vlteriorem ripam auectos, ſaluis euadentibus viro vno, & duabus fœminis, quas aliquandiu apud ſe detinebant. A *Matancas* ad portum vſque *Tucanaca* leucæ ſunt 50. vſque ad *Iardin del Rey* inſulæ iſtius vada, & vſque ad Inſulam *Obahaba* 8. leucæ, aute portum *del Principe*, 4. aut 6. ab *Hernando Alonſo*, & hinc Orientem verſus 6. leucæ numerantur. *Cubana* promontorium eſt. Portus de *Varacoa* 20. fere leucis à promontorio *Mayzi* maxime Occidentali parte *Cubæ*, necnon à *Puerto*, & ſinu *Eſcondida* abeſt, propè promontorium *Royo*, ferè 20. à portu de *Palomas* leucis, qui 10. ferè à *Sant-Iago* leucis diſſidet.

Cap. VII.

De Inſulis, Iamayca, S. Iuan, los Lucayos, & los Canibales.

INſula Iamayca ab annonæ & commeatus vbertate celebratur, ſufficit hæc magna abundantia goſſypium, equos, porcos, & *Cazabi*. Primus Indiarum præfectus eam cum detegeret *Santiago* appellauit; primuſque eo colonos deduxit *Iohannes de Eſquivel* militum dux, Anno reparatæ ſalutis 1509, auſpiciis ſecundi Admiralii *Don Diego Colon*. ſita eſt in altitudine grad. 17. cum dimidio, 20. à *Cuba* leucis Meridiem verſus, & totidem ab *Hiſpaniola* Occidentem verſus. Ambitus eius eſt 150. leucarum, lata eſt leucas 20. longa ab Oriente verſus Occidentem 50. Vrbes continet tres; *Sevillam*, in qua Collegii ſedes eſt, verſus oram Borealem, in partem ſiquidem inſulæ Occidentalem incolas traduxit *Iohannes de Eſquivel*, eques Hiſpalenſis. Præterea *Melillam*, ad littus Septentrionale, 14. à *Seuilla* leucis verſus Orientem. Denique *Oriſtan*, ad Auſtralem oram, verſus Occidentalem partem, 14. à *Seuilla* leucis. Coloniæ ſunt gubernatoris *Franciſci de Garay*, qui iſtic iura dedit. Verum de vrbe *de la Vega*, à qua Admiralii huius Inſulæ titulum Ducum ſibi aſſumſere, nec non de aliis duabus coloniis, quæ in quibuſdam tabulis geographicis annotantur, nihil compertum habeo.

Seuilla, Melilla, Oreſtan vrbes Iamaycæ.

Ad littus huius Inſulæ Promontorium ſiue cuſpis (Latini Lingulam ac linguam terræ vocarent) de *Moranta* ſita eſt, maxime Orientalis earum, quæ ad Borealem oram conſpiciuntur. Decem verſus Occidentem leucis, portus de *Ianta* occurrit, & 10. vlterius portus de *Melilla*, ad quem primus præfectus appuliſſe perhibetur. qui illi nomen *Santa gloria* indidit, poſtquam aberrans à *Veragua* rediret. Atque hic loci oborta fuit ſeditio *de los Porras de Seuilla*, primum ciuile in India bellum. 10. leucis vlterius portus eſt de *Sevilla*, ante cuſpidem (ſic poſthac vocabo id, quod Hiſpanus *Puntam* vocant) de *Negrillo*, vnde ad promontorium de *Falcon* reflectitur littus, prope vrbem *Oreſtan*, & in Auſtrum abit vſque ad portum de *Guayano*. Quinque vero hinc leucis ſitæ ſunt *las Hormigas*, maris puluini & ſcopuli perículoſiſſimi, & 7. inde leucis *las Viuoras*, inſulæ Breuibus vndique & vadis obſeſſæ, & qua parte hæ Meridiem ſpectant *la Serrana* iacet, inſula ſcopulis circumcirca horrens, necnon aliæ quatuor aut quinque numero; qua vero Caurum reſpiciunt, *la Serranilla* viſitur, & ad Occidentem alius ſcopulus *de Roncador*, & pene ad Zephyronotum *de Santandros* Inſula, ſcopulis cincta ad Auſtralem & Septentrionalem plagam. *Nombre de Dios* 40 ferè hinc leucis diſſidet. Eſt & alia, *Santa Catalina* dicta. *Caymanes* in Occidentali parte *Iamaycæ* ſunt, 25. leucis à Negrillo. Sunt autem *Caymanes*, inſulæ duæ, quarum altera ab altera 6. leucarum ſpatio abeſt. Magna vero inſula *Cayman* longa leucas 7. à dictis inſulis de *Caymanes* Occidentem verſus 15. leucis abeſt. Ad oram Borealem inter *Cubam* & *Hiſpaniolam* alius occurrit ſcopulus, cui nomen *Abreio-jo*.

Portus & promontoria huius Inſulæ.

In Iamayca primæ ciuiles turbæ ſunt exortæ.

Inſula *S. Iohannis de Puerto Rico*, Indis *Borriquen* dicta, à 12. ad 15. leucas ab *Hiſpaniola* abeſt, qua Orientem ſpectat, longa ab Oriente in occidentem leucas 45. à Borea in Meridiem à 20. ad 30. leucas extenditur. Fructuum, quos Hiſpaniola fert, feraciſſima eſt, nempe *Mayzi* & *Iucæ*. Auri fodinas habet plurimas; aerem temperatum, & eandem toto fere anno cœli tempeſtatem, præterquam Decembri & Ianuario menſibus. Tres pagos habet Caſtellanorum, præfecturam, & Epiſcopatum. Hanc inſulam luſtrauit gubernator *Iohannes Ponce de Leon* anno 1508. præfectus prouinciæ

Inſula S. Iohannis de Puerto Rico.

Yguey

Yguey,ante *Nicolaum de Ouando* Hiſpaniolæ gubernatorem, moxque iuſſu *Regis* ad deducendam eo coloniam Anno ſalutis 1510. reuerſus eſt.

Ciuitas *S. Iohannis*,qua tractus Borealis inſulæ incipit, ſita eſt altitudine poli gradu um 18. paulo plus. Nomen illi eſt *Puerto Rico*, propter portus excellentiam. Hic Epiſcopus,Gubernator,& redituum Regis adminiſtri ſedem fixere. Suffraganea eſt *S. Domingo*. *Arrecibo* à *Puerto Rico* occidentem verſus 30. leucis diſſidet. Vrbs *Guadianilla*, ſiue *S. German el nueuo* ſita eſt ad littus occidentale 33. à *Puerto Rico* leucis verſus Zephyronotum. Fuit olim in hac Inſula pagus dictus *Guanica*,ad Meridiem ſitus, vbi nunc portus eſt de *Moſquitos*,perquam commodus; vnde alio translatus fuit, ad oram videlicet occidentalem,quæ *El, Aguada* dicitur, ſortitus appellationem *de Sotomayor*. In hac Inſula montium eſt tractus, à quo interſecatur, ab Oriente in Occidentem ad mare vſque; & territorium (*Comarca* Hiſpani vocant) *S. Germain*. Hic reperire eſt arborem *Tabernaculo*, è qua alba reſina fluit inſtar *Anime* (ſpecies eſt gummi Indici odoriferi) inſeruitque cum picandis nauibus,tum foco. Facultatem habet attractiuam, & ſanandis vulneribus proprietate quadam conducit.

Ciuitas S. Iohannis.

Arrecibo.

Arbor Tabernaculo.

Paucos hæc Inſula portus habet,propter puluinorum, (Virgilius dorſum maris vocat Belgæ *Bancken*,) quibus totum Boreale latus cingitur,frequentiam; idque à *S. Iuan* Orientem verſus. Fluuium habet *Luyſam*,& alium nomine *Canobam*, & *la Cabeſa* cuſpidem inſulæ maxime Orientalem,prope ſcopulum *los Loquillos*,in qua portus eſt dictus *S. Iago*, & 3. vlterius leucis alius occurrit,cui nomen *Yabucoa*, & in eodem tractu tribus à littore leucis, Inſula *Paſiaye* conſpicitur,& in huius inicio verſus Auſtrum alia, *Boyqui* dicta & paulo vlterius Inſula *Santana*. *Guaſana* portus eſt. Poſt hæc videre eſt fluuios *Neabon* & *Xauia*, 6. leucis à portu *de Guadianilla*,qui à flumine *de Moſquitos* Orientem verſus,3. leucis remouetur. In huius oſtio eſt fluuius *Guanica*, & 4. inde leucis promontorium de *Roxo*,maxime Occidentale oræ Auſtralis. Ad Occidentem verſus *Hiſpaniolam* inſula *Mona* eſt,ad Septentrionem inſulæ *el Monico* & *Zecheo*. Sunt hic portus *de Pinos*, & *Mayaguez*,& *la Bahia de S. Germain el Vieio*, & oſtium fluminis *Guanabo* ſiue *la Aguada*, & vlterius portus *de Guahataca*; atque inſuper,qua Boream adſpicit, portus de *Camay*, & portus *Cibuco* & Zoa,prope *Puerto Rico*,& circa mediam oram maris Auſtralis ſub ipſum littus 4. aut 5. inſulæ iacent *de Haberianas*. Multum hic zingiberis colligitur. radix eſt ſimilis rubiæ aut croci radicibus,ex Oriente in hanc inſulam *de Barlouento* à Luſitanis tranſmiſſa.

Portus huius Inſulæ.

Inſula,quæ ad Borealem *S. Iuan*, *Hiſpaniolæ* & *Cubæ* plagam iacent, quarum quaſdam Caſtellani inhabitant,*de los Lucayos* vocantur. Vna earum maxime ad Boream vergens ad grad. altitud. 27. eleuatur, dictaque eſt *Lucajoneque* ſiue *Yucajoneque*, ad cuius Occidentalem partem inſula *Bahama* ſita eſt altitud. grad. 26. longitudine 30. latitudine 8. vnde nomen ſuum habet Canalis *Bahama* inter *Floridam* & ſcopulos *de los Nimbres*, ex quo perpetuo in mare verſus Boream tanto impetu aquarum æſtus erumpit,vt eum, ne quidem ſecundo vento actæ naues ſuperare poſſint, quæ tamen flante aduerſum vento prono vndarum alueo mare conſcendunt.

Inſula de los Lucayos.

Canalis Bahama.

Scopuli *Bimini* ita dicti ſunt, propter inſulam in medio illorum poſitam, 5. leucarum longitudine. *Columbus* prima ſua in *Cubam* nauigatione hoc illi nomen indidit. Eſtque hæc illa ipſa, in quam colonos deducere in animum induxerat *Iohannes Ponce de Leon*. *Abaco* inſula in iiſdem quoque iacet ſcopulis longa leucas 10. *Cigateo* 25. leucarum eſt. *Curateo* alia,ſed minor, Inſula in altitud. grad. 25. poſita eſt, vti & *Guanima* 15. leucarum longitudine,latitudine 10. & iuxta eam *Guanahani*, quam primam in

Nouo orbe detexit *Columbus*, vocauitq; *S.Saluador.Yuma* 20. leucarum eſt, ſi longitudinē metiaris, ſi latitudinem 8. altitud. grad. 24½. quam Admiralius *Iſabellam* appellauit, in gratiam Illuſtriſſ. Reginæ Iſabellæ patronæ ſuæ, cuius auſpiciis has terras detectum ibat.

Iumeto in altitud. grad. 23½. poſita, lata eſt leucas 15. ad Borealem *Hiſpaniolæ* partem. *Sumana* leucas numerat 7, inter *Iumeto* & *Guanimam* ſita, *Triangulo* 8. leucas lata, ad gradus polares 24. eleuatur. *Yabaque* 10. leucarum, altitudinem poli habet 22½. grad. *Miraporuos* tres Inſulæ vocantur, forma triangulari, vadis cinctæ ad Auſtrale latus inſulæ *Iumeto*. *Mayaguana* 20. leucarum longitudine eſt, latitudine 10. altitudine 23. grad. *Ynagua* 10. leucarum, altitudinem habet 20½. grad. *los Gaycos*, inſula 5. leucarum, altitudine 21. grad. & ad huius partem Borealem *Hamana* iacet, & *Conciua*. *Macarey* 20. grad. altitudine ſcopulis immerſa eſt. *Abreoio* ſcopulus eſt ad 15. leucas excurrens, cuius pars media altitudinem attingit 20. grad. Has inter hic illic complures iacent minoris magnitudinis inſulæ ἀνώνυμοι.

Inſulæ Canibales. Inſulæ, quæ ab Inſula *S. Iohannis de Puerto Rico* Orientem verſus, ad oram vſque *Terræ Firmæ* mari innatant, *los Canibales* vocantur, propter *Caribes* antropophagos, qui has incolunt. *Canibal* autem ipſorum lingua *hominem robuſtum* ſignificat, tales enim ab Indis aliis habebantur. Inſulæ ſunt vadoſæ omnes & Syrtibus formidabiles. Maxime vicinæ ſunt S. *Iuan Santa Cruz*, ad Zephyronotum reſpectu *S. Iuan* poſita, altitud. grad. 16. longitudine leucarum 16. & *Sabalas Virgines*, duæ inſulæ, ſcopulis obſeſſæ, aliæque inſuper 8. aut 10. inſulæ, leucarum 10. Adhæc *Virgen-Gorda*, & *Isleos blancos* ad Occidentem *de Virgen-Gorda*. *La Anegada* longa eſt leucas 7. altitudine 18. graduum cum dimidio, itidem vadoſa, qualis etiam eſt *Sombreno*. Has verò Inſulas, *de Barlouento* dictas, aperuit primus Admiralius.

Indigenæ *Santa Cruz* aliarumque inſularum, in inſulam *S. Iuan* traiicere ſolebant, ad capiendos homines, quorum carnibus ferinam rabiem explebant, quod & hodie factitant incolæ *S. Dominicæ*. A mulierum eſu abſtinebant, verum iis, tanquam mancipiis, vtebantur. Perhibet fama, comeſtum aliquando ab ipſis fuiſſe Monachum, hoc euentu, vt quotquot carnes ipſius guſtaſſent diarrhæa ac alui profluuio exſtinctæ fuerint; atque hanc ob cauſam ab humanarum carnium eſu ipſos abſtinuiſſe. Fidem huic rei hoc facit, quod, cum minori periculo homines poſſint, equos iam & vaccas mactent iiſque veſcantur.

Anguilla. *Anguilla* longitudinem habet 10. leucarum, altitudinem grad. 18. *S. Marten* altitudinem habet graduum 17½. longa leucas 16. cincta ab omni parte inſulis minoribus. Prope hanc iacent Inſulæ *S. Euſtatii*, *S. Bartholomæi*, & *S. Chriſtophori*, quarum vnaquæque longitudinem habet leucarum 10. *la Berbada* ad altitud. grad. 17. attollitur, vadoſa valde, & vicina inſulæ *de la Redonda*, *de las Nieres*, & *de Monſerrate*, longitudinem habet 5. leucarum, altitudinem 15. graduum cum dimidio. *Antigua*, *Guadana* & *Todos Santos*, poſitæ ſunt inter grad. 14. & 15. *La Deſſeada*, ad orientale latus *Guadalupæ* pene 6. leucarum eſt. Fuitque hæc prima, quam *Columbus* ſecunda ſua in Indiam nauigatione detexit. poſita eſt in altitudine grad. 14½. adque ad hanc è Canariis venientes claſſes contendunt. *Marigalanda*, quod nomen naui fuit, quæ Columbum vexit, 5. leucis à *Deſſeada* & *Dominica* verſus Zephyronotum abeſt, altitudine graduum 16. longitudine 12. in quam aquatum & lignatum abeunt naues, propter ſtationum commoditatem, quanquam periculum ſit, ne in *Caribes* incidant. Vicinæ *Dominicæ* ad Auſtrum ſunt, *Matinino*, *Santa* & *los Barbudos*, quas quoniam à læua ſui parte relinquunt Claſſes, inſulæ *de Sotauento* dictæ ſunt, pertinentque ad oram *Terræ Firmæ*. Harum autem

amplif.

ampliſſima & maxime Orientalis eſt *la Trinidad*, 200. circiter ab *Hiſpaniola* leucis, è diametro oppoſita *Dominicæ*, & 60. ab ea diſtans leucis, longa leucas 50. ab Oriente in occidentem, lata ferè 30. Aperuit eam Columbus anno 1498. iam tertium in Indiam nauigans, & *la Trinidad* vocauit, propterea, quod multum mari iactatus, & in ſummo diſcrimine poſitus, votum feciſſet Deo, ſe, quam primam deprehendiſſet terram, iſto nomine nuncupaturum. Moxque conſcenſo mali carcheſio nautarum aliquis tres huius Inſulæ angulos vidit, cauſamque explendi voti tam ſacroſancta appellatione Columbo præbuit. Hac quoque tempeſtate oſtia *del Drago* detexit, vti & *Seirpe*, ſinum *de Paria*, & *Terram firmam*, *Cumanam* vſque. Verum non ferens tam inſignem facinoris gloriam *Americus Veſpucius*, laudem iſtam ſibi arrogauit, immeritoque ab ipſius nomine Americæ appellationem ſortita eſt peninſula Auſtralis ſiue India Meridionalis. Conſtat populoſam hanc eſſe, ſed ſoli vitio laborare. Longa eſt leucas 15. lata 25. altitudinem attingens grad. 8. In Orientali eius parte ad Septentrionem terræ angulus prominet, qui *la Galera* vocatur, & hinc Boream verſus inſula eſt inſulis vndique cincta, quam *Tabago* vocant, & ad Meridionalem oram promontorium *Redondæ*; in orientali parte inſulæ, cuſpis *del Anguilla*, & in Occidentali parte, & in ſinu *de Paria*, qui mare eſt inſulam & *Terram firmam* interfluens, latitudine leucarum 8 Semicirculum facit, coronæ inſtar, qua vero in Occidentem exit maxime anguſtum eſt & profundiſſimum. duæ inſulæ in fine oræ Borealis verſus Occidentem ſitæ ſunt, dictæ oſtia *del Drago*, & verſus Boream *S. Vincent*, & *Granade* inſulæ.

Detectio inſulæ S. Trinidad.

Arrogantia Americi Veſpucii.

Inſula quoque hic conſpicitur *Margarita*, à *Columbo*, vti & aliæ, nomen ſortita, quod certiſſima præbet documenta, à quo primum *Terra firma* detecta fuerit, cum manifeſta illorum, qui hanc ipſi laudem eripere ſtuduerunt, infamia. 20. à *la Trinidad* leucis diſtat Occidentem verſus, 170. ab *Hiſpaniola*. Longa eſt leucas 16. ab oriente in occidentem, aut, vti quibuſdam placet, 20. lata 10. Aquis non abundat, quanquam pabula pecori ſufficiat copioſiſſime. Duo ſunt in ea pagi, alter mari vicinus prope arcem Gubernatoris ſedem, alter duabus à mari leucis, quem vallem *de S. Luzia* vocant. Habet huius inſulæ ora commodum portum ac littus, magnamque oſtreorum margaritas proferentium frequentiam. Conceſſit vltro huc margaritarum iſtarum piſcatura, quæ antea in *Cubagua* viguerat, à qua oſtrea fugiſſe perhibent, propter fragorem tormentorum bellicorum, qui crebro iſtic è nauibus ad margaritarum mercatum eò profectis audiebatur.

Margareta Inſula.

Qua de cauſa margaritarum piſcatio à Cubagua in Margaritam inſulam conceſſerit.

Cubagua leuca vna à *Margarita* diſſidet Orientem verſus. Ne guttulam aquæ hic videas, nihilominus eò deducta fuit colonia, *Cadiz* dicta, cuius incolæ aquam 7. inde leucis è flumine *Cumana* petitum ibant. Ad orientalem *Cubaguæ* plagam quatuor inſulæ littori adiacent, à primo Admiralio *los Frayles* vocatæ, & Orientem verſus inter illas & *Granadam*, aliæ inſuper quatuor aut quinque ab eodem *los Teſtigos* appellatæ, Occidentem verò verſus poſt *Cubaguam* alia inſula eſt *Tortuga* nomine, propè cuſpidem de *Araya*. Detexit idem Admiralius ſinum *Paria*, in animo habens vniuerſam *Terram Firmam* aperire, & hoc quoque fine in has oras eum profectum eſſe infra docebitur, vti & inſulas *los Guanajos* ab ipſo obſeruatas eſſe, atque hinc iuxta *Veraguam*, *Nombre de Dios* præteruectum eſſe. In *Margarita* inſula ærarium eſt regium, necnon regii Officiales. Habet hæc, vti & *Cubagua*, altitud. grad. paulo plus 11.

Cap. VIII.

De Venezuela, *fluuio* de la Hacha, Noua Andaluzia, Florida, & Nouæ Hiſpaniæ ſinu, *quæ reliqua erant, ad Cameram iſtam ſiue Audientiam pertinentia.*

Præfectura Venezuelæ.

PRæfectura *de Venezuela* littore *Terræ Firmæ* Orientem verſus & *Noua Andaluzia* terminatur, vnde ad fluuium vſque *de la Hacha* & præfecturam *de S. Marta*, cui ad Occidentem confinis eſt, leucas numerat 130. à mari in continentem & loca mediterranea ad leucas 80. abit, ad limites vſque noui regni *de Granada*. Plurima in hac regione auri deprehenduntur veſtigia & notæ. Tritici feraciſſima eſt, & duplici meſſe quotannis agricolam beat, omnis generis pecora vbertim nutrit. Multum ex his locis farinæ, panis bis cocti, caſei, lardi, vti & lintea è goſſypio contexta in vicinos tractus portantur. In portu verò de *Guayra*, in regione *de Caracas* multis boum tergoribus onerantur naues, necnon ſarſa parilla. Octo in hac prouincia ſunt pagi, dictaque eſt *Venezuela*, hac de cauſa, quod, cum *Belzares* Germani hanc prouinciam inuaſiſſent Anno 1528. regni & imperii ſedem hic quærentes, in rupe ſiue præcipitio ipſis maris de *Maracaybo* faucibus imminente pagum condiderint. quem *Venezuelam* appellarunt, ſituſque erat altitud. grad. paulo plus 8. Ab hoc tota nomen accepit prouincia. Præcipuus eius locus eſt ciuitas *Coro*, quam Indi *Corianam* vocant, nunc vulgo *Venezuelam*. Altitudinem habet grad. 11. & 79. gradibus, & tertia inſuper gradus vnius parte abeſt à Meridiano Toletano, leucis nimirum 1500. Hic præfecti ſedes eſſe ſolebat. Cathedralem habet Eccleſiam ſuffraganeam Archiepiſcopatus de *S. Domingo*. Primum exſtructa fuit ciuitas à *Iohanne de Ampues* & in ea domicilium fixere Germani *Belzares*, quorum primus fuit *Ambroſius Alfinger*. Tam ſalubri fruitur aëre, vt Medicis hic opus non ſit.

Cur Venezuela dicta. — *Coro ciuitas.*

Noſtra Segnora de Carualleda.

Alter locus celebrior eſt, *Noſtra Segnora de Carualleda*, in prouincia de *Carracas*, ad mare, 80. leucis verſus Orientalem plagam *de Coro*, portum habens commodum. Coloniam fecit *D. Franciſcus Faiardus* Anno 1560. qui à *Margarita* inſula eò ſe receperat.

Sant Iago de Leon.

Sant Iago de Leon in eadem regione eſt, 7. à mari leucis, 3. à *Carualleda* verſus Auſtrum, à *Coro*, 70. in qua plurimum commoratur loci iſtius Gubernator.

Xerez.

Noua Valentia 60. à Coro leucis abeſt, 25. à *Sant-Iago de Leon*, 7. à portu *de Burbarata*, à Centurione *Villacinda* colonia facta eſt. *Noua Xerez* pagus eſt nouus leucarum penè 15. ad Meridionalem ferè *novæ Valentiæ* partem, à *Noua Segouia* 20. à *Coro* verſus Zephyronotum 60.

Segouia.

Nona Segovia in prouincia de *Bariquizimiro*, 20. à *Xeres* leucis abeſt Auſtrum verſus. 10. à *Tucuyo*, 80. à *Coro* verſus Zephyronotum, vbi ſedem fixere Regis officiales, vnacum gubernatore & Vicario eius pro tempore. Coloniam fecit *Iohannes de Villogas* Anno 1552.

Tucuyo.

Tucuyo ciuitas cæde tyranni *Lope de Aguirre* celebris, 10. leucis à *Segouia* abeſt verſus Zephyronotum, à *Coro* 85. Colonia eſt ducis *Caruayal*.

Truxillo.

Truxillo ſiue *Nueſtra Segnora de la Paz*, in prouincia de *Cuycas*, leucis fere 80. ad Auſtrum, paulo verſus Orientem à *Coro* abeſt, & à *Tucyo* 25. recta Occidentem verſus. Detecta fuit hæc regio Anno 1549. eius loci Gubernatore *Licentiato Toloſa* Theſaurario. Anno autem 1559. colonos accepit *Truxillo*, idque à duce *Diego Guarcia de Paredes*.

Huic

Huic præfecturæ plus quam 1000. Indi tributum pendunt, excluſis tum iis qui 18um. ætatis ſuæ annum nondum attigerunt, tum iis qui 50um. exceſſerunt. Vnice enim hoc curat rerum Indicarum Curia, ne à talibus per vniuerſum Nouum orbem tributa exigantur. Accreſcente autem ac decreſcente hominum multitudine certus tributariorum numerus definiri non poteſt. *De Indis Tributariis.*

Lacus *de Maracaybo*, quem Hiſpani *de nueſtra Senora* vocant, aquas habet dulces, & ab ipſa nauium ſtatione in mediterranea loca ad leucas excurrit 40. latitudinem habet 10. leucar. ambitum 80. multis paſſim in ripa inſignitus pagis. Qua parte terminatur, fluuius quidam in illum excurrit è *nouo Regno Granatenſi*, per quem, vti & per lacum ipſum, merces in *nouam Caſtellam* alioſque tractus deuehuntur. Quidā indigenarum in *Barbocas* habitant, exſtructis in arborum ramis habitaculis aut ſupra aquam, aut ad lacus ripā, vnde & nomen *Venezuelæ* ſortita eſt. In quibuſdam huius lacus partibus, nulla vſquam nauigantibus apparet terræ ripa Alia in illam exonerantur flumina maiora, ipſe in mare excurrit, oſtium habet latitudinis ſemileucæ, in quo rupes eſt edita, de qua ſupra. *Lacus de Maracaybo.*

Portus, promontoria & cuſpides circa oram huius præfecturæ & vicina loca ſunt ad Occaſum, *Marcapana, la Vrchila*, inſula ex aduerſo fluminis *Oynare* poſita, prope aliam dictam *Roca de los Isleos*; quam excipit promontorium *de la Cortera*, & portus *Flechado*, aliuſque *de Sardinas*. E regione verò inſulæ *de Aues*, ante *Burburatam*, excellens eſt portus, quē colonis auxit *Toloſa* licentiatus. In hoc exonerantur merces in *nouum Regnum*, & prouincias Peruanas adſportandæ. Poſt hunc ſequitur ſinus *Triſtis, Golſo Triſte*, & ad Borealem *Bonayre* plagam inſula occurrit 10. leucarum longitud. latitud. vero 8. Hinc cuſpis *Seca*, & è regione, *Curacao*, ac paulo vlterius *Curacaute* 14. leucarum longitud. ex aduerſo promontorii *S. Romain*, ad Auſtrale latus inſulæ *de Aruba S. Roman* 20. leucis in mare protenditur, à *Coro* abeſt leucis 12. Indi *Paraguanam* vocant, eſtque peninſula. Peridromus 21. abſoluitur leucis, inque eius medio mons eſt, eminus è mari conſpicuus. Circa initium *Venezuelæ*, oſtium eſt & canalis lacus de *Maracaybo*, inque ipſo fluuii aditu ſita eſt *Mitare*, ad Occaſum *los Monges* inſulæ tres prope promontorium de *Coquibocoa*, quo loci ſolum reperitur lapis lydius. Hæc poſt ſequitur *Bahia honda* & *de Portete*, & promontorium *de la Vela*, quod nomen ſuum à duce *Alphonſo de Oieda* accepit, cum eo primum *Americus Veſpuſius* proficiſceretur; longe poſt ea tempora, quibus primus Admiralius ea littora aperuit, quæ in altit. 12 grad. poſita ſunt. diſtat autem *Rio de la Hacha*, à promontorio *de la Vela* leucis 12. quo interuallo nec lapides inuenias, nec aquam, ſola pluuiali excepta. Ex quo Germani hic rerum potiti ſunt, nulla fuit huius præfecturæ dignitas, nec enim colonos in eam deducebant, ſed indigenis pro mancipiis vtentes, terram omnem fructibus ſuis orbatam depopulabantur. *Portus & promontoria præfecturæ Venezuela.*

Fluuius *de la Hacha*, primum *nueſtra Senora de los Nieuas* vocatus fuit, poſtea *de los Remedios*, mari vicinus eſt, interque *Venezuelam* & S. *Martham* labitur, à qua ad Ortum leucas habet 30. à *Coro* verſus Occaſum 60. à Meridie vero in Septentrionem ad modum promontorii *de la Vela* excurrit, interiectis 18. inter *Venezuelam* & *S. Martham* leucis. Nulla in eo deprehenduntur auri veſtigia. Regunt eam prætores ſubordinati Cameræ *Hiſpaniolæ*, in ſpiritualibus ſubditi Epiſcopatui *S. Marthæ*. Situs eſt locus 1000. à mari paſſibus, in colle humili. Portus Boream verſus patet. Solum fertiliſſimum eſt, eoſdemque, quos Caſtella, fructus profert. Multas habet tigres, magnoſque *Moſquitos*, culices, flumina crocodilis ſcatent. Auro & gemmis precioſis abundat, quæ peculiari facultate, coli, renum, lienis affectus, vti & diarrhæam ſanant. Salinas inſuper habet. Ante *Belzares* Germanos colonos huc deduxit *Nicolaus Federman*. *Fluuius de la Hacha.*

Præfe-

Noua Andaluſia. Præfectura *de Serpa*, quam *Nouam Andaluziam* vocant, & Indorum lingua *Guayanam*, poſt factam limitum diſtinctionem, ab Inſula *Margarita* ad fluuium *Maranjon*, ad 300. leucas Orientem verſus extrahitur, totidemque à Meridie in Septentrionem verſus mediterraneos tractus, quibus concluduntur Indi *Omagues* & *Omigas*, vna cum prouinciis *de Dorado* in Auſtrali huius præfecturæ plaga; in quam quoque ad littus incidit prouincia *Marcapana*, in confinibus *Venezualæ*; quo loci habitata fuerunt oſtia *de Santa Fe*, quibus vicinus eſt *Morro de Vnare*, ad quem lacus piſcibus & ſale abundans terminatur. Pertinent quoq; ad hanc Indi *de Perito* 20. à mari leuc. & Indi *Palenques*, ita dicti, quod munimenta ex palis conficiant; necnon regio *Cumana*, *Margaritæ* ad Auſtrum oppoſita, in qua vnica eſt Caſtellanorum colonia, dicta *noua Cordoua*, quam fundauit militum dux *Gonſaluus de Ocampo*, cum eo ad retundendam Indorum inſolentiam profectus eſſet, cauſa diruti & ſubuerſi Cœnobii Franciſcanorum. Ad Orientale autem latus inſulæ *Trinidad*, & fluminis *S. Iuan de las Amazonas* prouincia iacet, quam Indi *Aruacas* incolunt, quorum pars ſunt *Caribes*, gens militæ dedita, & ad bellum magis quam pacem facta.

Sequuntur poſtea, cuſpis *Paria*, in altitud. grad. 7. poſita, & oſtium *del Dragon*, non longe à *Trinidad*, hinc cuſpis *de Gallo* ſiue *Anegada* ad Auſtrale latus *de Trinidad*, & fluuius *de Paria* ſiue *Oronico*, quem quidā nominant *Yuyapari*. Sunt qui putant dictum fluuium & fluuium *S. Iuan* & *de Orellana*, quin & fluuium *Maranion* vnum eundemq; eſſe, ſed hallucinantur. Alia adhuc ſunt in prouincia *Aruacas* flumina, ſed minus cognita. *Quæ ſit origo fluminis Orellanæ.* Fluuius *S. Iuan*, ſiue *Orellana*, originem ſuam deducit ex montibus *Andes* in *Peruuia*, in regione *Cuſco*, à quibus ad 1500. leucas exſpaciatur, per lineam Æquinoctialem regioneſq; populoſiſſimas, licet nondum ſatis detectas, donec ſe in mare *Atlanticum* exoneret. Oſtium amplum eſt leucas 50. & in ipſis faucibus mare verſus 500. vbi multæ iacent Inſulæ eæq; incolarum frequentia celebres. At 80. aut 100. vlterius leucis magis ad Occaſum fluuius eſt *Maranjon*, fere in illis finibus, per quos tranſit linea inſtitutæ inter Caſtellam & Luſitaniam diſtributionis. Tam formidabilis eſt, vt oſtium habeat amplitudine leuc. 15. curſumque ſuum ab Auſtro & prouinciis *Braſiliæ* inſtituit, facto initio, vti creditur, infra *Popayan* & iuriſdictionem noui regni *Granatenſis*.

Inſula Cubagua. Septem à *Cumana* leucis inſula iacet *Cubagua*, vbi ſiti fuere *noui Gadez*, è qua tranſlati ſunt incolæ, propter incommoda & lites natas ex margaritarum piſcatione. Inſula hæc, quia ſolum habet nitroſum, nullam aquam habet potui idoneam, nullas arbores, nulla animalia, exceptis ſolummodo ſuibus, quib. ſupra ſpinam medullarem vmbilicus eſt, & cuniculis. Et quanquam habitatoribus ſit frequentiſſima, tamen ad 7. leucarum diſtantiam ad flumen Cumanæ aquatum abeunt incolæ, licet quidam nebulas caliginemque ab ea oculis induci credant. Circa hunc fluuium accidit Anno 1531. ipſis Calendis Septembris, vt ſumma aeris ſerenitate mare ſupra ſolitā altitudinem cubitis excreuerit 4. & facta inundatione terram concuſſerit, deiecta ibidem arce, quam iuſſu regis Hiſpaniarum *De terræ motu in littore Terræ firmæ.* exſtruxerat centurio *Iacomo de Caſtello*. fiſſa autem regione hiatibus variis ebulliebat aqua ſalſa & nigra inſtar atramenti, fœtore ſulphureo. Mons in ſinu *de Cariaco* medius patebat, & mox refluens mare multas vndarum impetu & violentia domos deiecit, hominum plurimis aut aqua abſorptis aut terræmotu exanimatis. *Margarita inſula.* *Margarita* vnica à *Cubagua*, diſtans leuca, inſula eſt placidiſſima. coloniam fecit *Marcellus de Villalobos* licentiatus.

Floridæ. Prouincia & præfectura *Floridæ* confinis Cameræ *S. Domingo*, omnem à fluuio de *las Palmas* tractum, qui præfecturæ *de Panuco* in noua Hiſpania ſub imperio Cameræ Mexicanæ conterminus eſt, prope Tropicum, altitud. 22. grad. complectitur, & vſque ad cuſpidem *Bacallaos* vadit, ſitam in altitudine graduum 48. cum dimidio, cuius ora in

leucas

leucas 1258. extenditur: Et hinc porrò vſque ad 73. grad. Boream verſus abit, omnemq; terram habitabilem & cognitam ambitu ſuo claudit. Cognita vero & detecta eſt à fluuio de *las Palmas*, vſque ad cuſpidem *S. Helenæ* & fluuium *Iordan*, ad leucas 600. Continens optimo ſita eſt climate, fertilis, & multis locis populoſa, vti iis notum, qui Annis 1536. & 1537. eò cum *Ferdinando de Soto*, profecti fuere. *Iohannes Pardo* indigena *de Guenca* à *Florida* in *Nouam Hiſpaniam* terreſtri itinere peruenit, annis minus duobus. Inter omnes Indiæ regiones maxime Europæ vicina eſt.

Ab eodem Iohanne Pardo ad *Terram* vſque *nouam* detecta eſt. Ea verò telluris pars quam ſpeciatim *Floridam* vocant, eſt illa continentis lingua, ſiue cuſpis, quæ extenditur ad leucas 100. è regione *Cubæ*, ab Oriente in Occidentem lata leucas 25. & qua parte latiſſima eſt leucas 50. Aperuit hanc *Iohannes Ponce de Leon*, Anno 1512. Feſto Paſchatis, reſurrectionis Dominicæ die, ac ob eandem cauſam *Floridam* vocauit Poſtea Anno 1521. eò reuerſus eſt, & in Cubam ſe recepit, ac ibidem fatis conceſſit Increbuerat rumor, fontem aut fluuium ab illo quæri, cuius potu ſenibus iuuentutem reddi, fabulantur Indi. Eadem hic, quæ Caſtellæ, eſt aëris temperies, eadē fructuum abundantia. Tritico adhæc ferendo & paſcendo pecori idonea videtur. Aurum non fert, nec nouiſſe illud creduntur Indi, multoque minus argentum, quanquam in eius littore deprehenſi ſint inueniſſe capſulas *de Barras*, hoc eſt, metalliferas, nec tamen æſtimaſſe. In intimis vero magni fluminis partibus magnam margaritarum copiam reperit *Ferdinandus de Soto* Duo ſolummodo hæc regio habet Caſtella præſidiario milite munita, idq; in littore orientali. prius, *S. Matthæi* arx vocatur, ſitumque eſt in cuſpide *S. Helenæ*, 100. pene ab *Hauana* leucis; poſterius S. *Auguſtini*, eſtq; præcipuum hoc munimentũ, propter portus commoditatem, & vicinum canalem de *Bahama*. 50. penè à *los Martyres* abeſt leucis, inſulis compluribus, iiſq; populoſis, prope cuſpidē *Floridæ* ſitis, qua parte magis ad *Cubam* accedit. leuca vna aut vna cum dimidia, aut minus à ſe inuicem diſtant, ſcopulis obſeſſæ ſunt, & oſtia habent 23 aut 24. leuc. Harum principium, qua Auſtrum reſpiciunt, cuſpis *de los Martyres* vocatur, qua vero orientem ſpectant, caput *de los Martyres* dicitur. Eſt hic inſula long. 14. leucarum, ſed anguſta valde. Cuſpis *Floridæ* verſus orientem in altitud. 24. grad. cum ſemiſſe poſita eſt; in qua pagus fuit Caſtellanorum. & verſus Septentrionem, è regione cuſpidis flumen eſt *Ayz*. vlterius Boream verſus altitud. 28. grad. cuſpis jacet *de Canaiueral*, & vlterius adhuc fluuius *de Moſquites* ſiue Culicum, quem ſequitur fluuius *de la Matanca*, ita dictus, quia hic loci cum duce *Iohanne Ribao*, &, quas ducebat, Gallorum copiis, conflixit *Petrus Melendez*. Mox & cuſpis occurrit *S. Auguſtini* altitud. 29. grad & amplius; à qua 10. leucis abeſt fluuius *S. Matthæi*, vnde verſus Aquilonem recurrit ora, inſulis & ſinubus per totum littoris tractum conſperſa ad promontorium vſque *S. Helenæ*, ſitum in altitud. grad. 32, cum dimidio. quod non cura & ſtudio, ſed caſu deprehenſum eſt Anno 1520.

Propugnacula Floridæ.

De fonte, cuius aqua iuuentutem reſtituere creduntur.

In reliquo oræ tractu, qui à cuſpide *S. Helenæ* præterit *Terram nouam* & *Bacallaos*, & vſque ad *Terram de Labrador* excurrit, ſupra Angliæ altitudinem, nullus eſt pagus, nulla Caſtellanorum præfectura, quanquam diuerſis temporibus à diuerſis detectus fuerit. Hoc conſtat, plus mille eſſe terræ leucas, in quibus aurum non reperitur, & quo altius ad Arctum abis, quo incultior minuſque habitabilis eſt. Plurimos habet fluuios & portus, quos, quia minus noti ſunt, ſilentio inuoluunt ſcriptores. Fluuius *de los Gamos*, qui & S. *Mariæ* vocatur, vaſtus eſt & periculoſus, fere in oræ ipſius medio, interque *Bacallaos* curſum inſtituit, quo loci in mediterraneas regiones verſus Occaſum ſe recipit magnus fluuius *Ochelaga*, quem ſæpius exterorum naues conſcenderunt, arbitrantium tranſitum aliquem hic in Nouam Hiſpaniam dari.

Ora Septentrionalis vſque ad Bacallaos.

Magnus S. Mariæ fluuius.

Circa

Circa oram *Floridæ*,quæ Orientem reſpicit,occurrunt de *Tortugas*,inſulæ 2. aut 8. ad Borealem partem cuſpidis de *los Martyres* in Continente poſita eſt *la Muſſa*, pauloque vlterius 13. verſus Boream leucis ſinus eſt *de Carlos*,aliter dictus *Iuan Ponce de Leon*,totidemque inſuper leucis ſinus *de Tampa*,33. à *Tocobaga*,leucis,& quæ *del Spiritu S.* ſiue *de Meruelo* dicitur,altitud. 29. grad cum dimidio; vnde initium ſumit proprie dicta *Florida*. Verſus terram *Labrador* fretum quæritur,in quo mare pacificum & Boreale concurrant,vti enim verſus Meridiem fretum dari aiunt, ita ad Septentrionem ſimile quoque fretum dari coniectant Verum nondum huius rei fidem probauit experientia. ita vt incertum adhuc ſit,num hic tranſitus detur,necne. Et quamquam tentata ſæpe ſit per dictas terras nauigatio,nondum tamen in hunc vſque diem inuenta eſt. Multum autem hac in re ad laborauit Thalaſſiarcha *Petrus Melendez* coniecturis quibuſdam fretus.

Sinus nouæ Hiſpaniæ. Tota ora ac tractus Occidentalis vſque ad præfecturam *de Panuco*, interuallo 300. leucarum, ſinus *Nouæ Hiſpaniæ* dicitur, in quo nulla eſt Caſtellanorum colonia, quanquam adiectus ſit ad præfecturam *Pamphili de Naruaez*, & *Ferdinandi de Soto*, atque ante hos *Franciſci de Garay*.Magna annonæ & commeatus inopia laborat, genſque eam incolit pauperrima & omnium egena. Et quanquam portus fluuioſque habeat plurimos, quia tamen cogniti ſatis non ſunt,ſilentio quoque hos præteribimus. Sinus duos habet aditus; per quorum alterum maris æſtus magno impetu irruit, inter *Yucatam* nempe & *Cubam*,per alterum verò maiori rapiditate effluit,idque inter *Cubam & Floridæ* cuſpidem; vterque fluxu ſuo Canalem de *Bahama* conſtituunt, translata ad hunc Inſulæ appellatione.

Cap. IX.

De limitibus ſiue territorio Cameræ,hoc eſt ſupremæ Curiæ Mexicanæ.

SEcunda Indiæ Occidentalis Camera, eſt *Mexicana*, in *Noua Hiſpania*, in qua primus Præſidem egit (inter tot qui illi gubernandæ operam ſuam obtulere) *Nunius Guzmannus* Eques *de Guadalajara*. Verum cum animum tanto honore maiorem gereret,alio imperio auctus eſt,& huius Cameræ Præſes deſignatus eſt, *D. Sebaſtianus Ramirez de Fuenleal*, Auditor Cancellariæ Granatenſis factus poſtmodum Præſes *de S.Domingo* & Epiſcopus Ciuitatis *Conception de la Vega*,vir conſummatæ eruditionis raræ virtutis & in ſumma apud omnes exiſtimatione.Præfecturæ prouinciam in ſe recepit, vti & adminiſtrandi Iuris, & ærarii regii curam, relicta armorum & militiæ cura Marchioni *del Valle*, ea tamen lege, vt conſilia quoque ſua cum Præſide conferret. Atque inter hos magna fuit & animorum & rerum gerendarum ſocietas. Huius Cameræ limitibus non continetur illud, quod vulgo *Nouam Hiſpaniam* vocant,tamen ab alia parte plus iis includitur,cum *Noua Galicia*,cui ſua eſt Camera,pars ſit nouæ Hiſpaniæ. Prouincia *Iucatan*,quę nouę Hiſpanię pars eſt,huic ſubeſt Camerę,ab Oriente in Occidentē ad 400.ferè leucas porrigitur. Orientaliore ſui parte contermina eſt Camerę *Noua Galiciæ* ab Auſtro vero in Septentrionem pene 200. leucas numerat, initio facto à finibus Imperii *de Panuco*,vſque ad mare Auſtrale. Partis Borealis pręcipuę prouincię ſunt Archiepiſcopatus *de Mexico*, Epiſcopatus de *Mechoacan*,& *de los Angeles*,ſiue *Tlaſcala*, & de *Guaxaca*,& de *Chiapa*,& pręfecturę de *Panuco* & *Iucatan*, necnon *Tabaſco*, *Inſulæ Philippinæ*,& tractus nauigationis in *Chinam*.

Sebaſtianus Ramirez. Præſes S. Domingo.

Noua

Nova Hiſpania nulli totius novi orbis regioni, ſoli bonitate & habitatorum frequentia cedit. Temperie aeris optima eſt, frugibus, tritico, mayzo, omni pecorum genere, aliiſque ad humanam vitam neceſſariis, abundans, excepto oleo & vino. Et quanquam in variis eius tractibus aurum reperiatur, tamen maior argenti eſt copia, propter argenti fodinas plurimas.

Archiepiſcopatus de *Mexico* inter *los Angelos* & *Mechoacam* ſitus eſt, protenſus à Meridie in Auſtrum leucas 130. & latus 18. iuxta oram maris Auſtralis, ad 60. vſque terræ leucas: quibus continentur, prouincia *de Mexico*, & in eius Aquilonari parte *la Teotlalpa*, *Meztitlan*, *Xilotepeque* & maxime remota *Panuco*, in Occidentali vero parte, *Catelzingo* prope Mexico, & *Cultepeque* longiſſime diſſita, & Orientem verſus, *Tezcuco*, valde vicina Mexico, ad Zephyronotum, *Chalco*, non longe à Mexico, & inde Auſtrum verſus *Suichimilco* proxima ſitu, mox *Tlaluc*, & inter Meridiem & Zephyronotum *Coyxca* & *Acapulco* ſitu remotiſſima Auſtrum verſus. In omnibus his regionibus non niſi quatuor ſunt Caſtellanorum pagi, quanquam in Mexico plurimi ſint Caſtellani, eaſdem, quas Indi quondam, ædes poſſidentes. Antiquis nominata fuit Mexico, *Tenoxtitlan*. altitudinem habet graduum 19. cum dimidio, longitudinem grad. 103. à Meridiano Toletano, vnde recta linea diſtat 1740. leucis, ſiue horis Solaribus 8. Poſita eſt in medio duorum lacuum, qui eam vndique cingunt, quorum alter aquam habet ſalſam, propter fundum & vadum nitroſum, alter dulcem, & piſcoſam, qui ſe in lacum ſalſum exonerat. Singuli latitudinem habent leucarum 5. longitudinem 8. ambitum 33. leucarum. Triplici via latitudinem habente dimidiæ leucæ vrbem permeant. Ciues Caſtellanos habet 4000. & plus quam 30000. domos Indorum, idque in quatuor vrbis vicis ac partibus, in quas vigente hic paganiſmo diſtributa fuit, quas hodie vocamus, *S. Iuan*, *Santa Maria la redonda*, *Sant Paulo*, & *S. Sebaſtian*, præcipua autem pars eſt *Tlatelulco*, quam nos *Sant Iago* vocamus.

De Archi-Epiſcopatu Mexicano.

Mexico à Toleto abeſt 1740. leucis.

Vrbs *Mexico* ſedes eſt Cameræ proregis, trium Cameræ Prætorum, eorumque, qui regii ærarii curam habent. Sunt quoque in hac, domus fuſoria, & officina monetaria, necnon Archiepiſcopatus metropolitanus, qui ſuffraganeos habet Epiſcopos *de Tlaſcala*, *Guaxacæ*, *Mechoacan*, *novæ Galiciæ*, *Chiapæ*, *Iucatan*, *Guatemalæ*, *Verapaz* & *Philippinarum*. Baſilicæ fundamenta jecit *D. Ferdinandus Corteſius*, ad cuius columnas, ſtatuas lapideas, quæ hodie ſpectantur, erigi curauit, operiſque incœpti fabricam abſoluit Epiſcopus, Præſes, & *Novæ Hiſpaniæ* Gubernator *D. Sebaſtianus Ramirez de Fuenleal*. Primus vero Mexici Epiſcopus fuit Frater *Iohannes de Zumagarra* religioſus, Franciſcanus, eximiæ pietatis & inculpatæ vitæ vir, indigena *de Durango*, in ditione de *Vizcaya*. qui primus quoque eius loci Archiepiſcopatum tenuit.

Habet *Mexico* cœnobia Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum, Ieſuitarum, Carmelitarum, Diſcalceatorum, Mercenariorum, Trinitariorum, Monialium decem, Collegium adoleſcentium Indorum, & aliud Reſipiſcentium, & Reconciliatorum. Academiam quoque, in qua artes & liberales ſcientiæ accurate & erudite docentur, aliaque plura Collegia & Xenodochia. Habitant hic & in Indorum confinibus 3000. Caſtellani. Pagi in his prouinciis, quos quidem incolunt Indi, ſunt 250. quorum 150. ſcholas habent; Pecorum hic ſtabula ſupputantur 6000. Indorum tributariorum plus quinquies centena millia, Cœnobia plus quam 150. eaque Franciſcanorum, Dominicanorum, Auguſtinianorum, nec non Clericorum & Sacerdotum, qui imbuendis & iniciandis fide Chriſtiana Indis præfecti ſunt, exceptis patribus Ieſuitis, & Religioſis Mercenariis.

Sedes quoque hic eſt *Sanctæ Inquiſitionis*, de qua poſtea dicendum.

Portus maris del Sur. Ad oram huic Epiſcopatui conterminam verſus mare pacificum & prouinciam de *Acapulco*, fluuius eſt *Acapulco*; altitudine 17. graduum, 6. leucis à fluvio *de los Topes* diſtans; vbi Archiepiſcopatus cum Epiſcopatu *de Tlaſcala* concurrunt. Vlterius 4. leucis Occaſum verſus, fluuius eſt de *Citala*: 4. vero vlterius fluuius *Milta*. Ad Borealem oram fluuius eſt, qui prouinciam *Tanuco* irrigat.

Fodinæ novæ Hiſpaniæ. Ad huius Cameræ territorium pertinent fodinæ *de Pachuca*, 14. ab vrbe *Mexico* leucis, necnon fodinæ *de Taſco* 22: à *Mexico* leucis: fodinæ de *Yſmiquilpo*, quæ plumbiferæ ſunt, ab eadem recedunt leucis 22; *de Talpuaiva* 24: *de Temazcaltepeque* 18; *de Cultepeque* 22: *de Zacualpa* 20; *de Zupango* 40; *de Guanayato* 60: *de Comania* 7, *de Achichica* 18. In ciuitate *de los Angelos in Gautla*, ſiue *Zumatlan*, & *S. Louys de la Paz*, aliisq; locis plus quam 4000. ſunt Caſtellanorum, quorum induſtria & labore fodinæ effodiuntur, quæ vna eaque plumbifera excepta argentiferæ omnes ſunt; & metus eſt, ne exemplo ipſorum Indi quoque aliquam politiæ formam meditari incipiant. Primus vero qui admirabili ſolertia aptiſſima conſeruandis fotinis media excogitauit, fuit ſupradictus *Sebaſtianus Ramirez de Fuenleal*, cui & auſpicia & horum imperiorum incrementa debentur.

Præfectura de Panuco. Prouinciam de *Panuco* ad plagam vrbis *Mexico* Septentrionalem rexit *Nunius de Guzman*. Lata & longa eſt leucas 50. Poſtea Cameræ Mexicanæ ſubiecta fuit. Quæ *Novam Hiſpaniam* reſpicit tellus, aliis regionibus cultior & fertilior eſt, commeatu & auro abundans. Quæ verſus *Floridam* excurrit, pauperrima eſt & ſterilis, à qua ad fines ſuos excurrit ad leucas 60. Habet præfectura hæc tres Caſtellanorum colonias. *Panuco* in altitud. paulo plus 23. grad. poſita eſt, alio nomine vrbs *S. Stephani del Puerto*, dicta. Condidit eam *Gonſalvus de Sandoval*, iuſſu Marchionis *Ferdinandi Corteſij*, quo tempore molitionibus *Franciſci de Garay* obuiam ibant, & in tranquillandis Indis *Chiles* occupati erant Anno 1520. A Mexico 65. leucis abit verſus Aquilonem, 8. à mari leucis, prope fluuium, qui portui aditum præbet. Prætura magna eſt, cui de prætore proſpicit Vice-rex *Novæ Hiſpaniæ*. Urbs *Sant Iago de los Valles* 25. *à Panuco* leucis occidentem verſus abit. Urbs *S. Ludovici de Tampico*, 8. *à Panuco* leucis ad *Mezen* poſita eſt, prope mare. Et quanquam plurimis huius præfecturæ ora fluminibus & ſtationibus ſit inſignis, vſque ad fluuium *de las Palmas*, tamen minus cognita hæc ſunt in ſinu *Novæ Hiſpaniæ*, excepto ſolo fluuio *de Panuco* eiuſque portu perquam commodo.

Epiſcopatus Tlaſcalæ. Epiſcopatus *Tlaſcala*, aliter *de los Angelos*, inter Archiepiſcopatum *Mexici* & Epiſcopatum *Guaxacæ* ſitus eſt, longitudine 100. & vltra leucarum, ab ora Auſtrali vſque ad Septentrionalem, interque limites Archiepiſcopatus & *Guaxacæ* 80. leucas numerat, totidemq; latitudo eius habet ad oram maris *del Nort*, verum non niſi 18. aut 20. ad oram maris *del Sur*. Non niſi tres habet Caſtellanorum colonias. Prima eſt vrbs *de los Angelos* 22. *à Mexico* leucis verſus Orientem, nonnihil ad Auſtrum deflectendo, ciues habens 1050. idque in quatuor vicis ac tribubus. Magna hic eſt prætura, reſidetque hic loci Cathedralis ſuffraganeus Archiepiſcopi Mexicani. Habet Cœnobia Dominicanorum, Franciſcanorum, & Auguſtinianorum. vnumque Monialium, Collegium ad hæc plus 500. juuenum, natorum parentibus Indis, qui hic tum litterarum tum Chriſtianę religionis pręceptis imbuendi educantur. donataque eſt hęc Schola reditibus peſorum 100000. Conditor huius eſt *Sebaſtianus Ramirez*, vſus hac in re opera licentiati *Salmeron* Camerę iudicis. Et quanquam eam extrui conceſſiſſet in *Tlaſcala*, tamen à propoſito deſtitit, in gratiam Indorum, ne hęreditariis ipſorum bonis damni quicquam crearetur. Vnice enim, quę ad commodum Indorum ſpectabant, curabat, pręcipue *Tlaſcatenſium*,

quia

quia de Rege bene meriti erant. Exſtructa fuit vrbs in finibus *Cholulæ*, è qua 25000. militum prodibant, ſedemque in planitie ponebant, quam *Cuetlaxcoapan* vocant, prope vallem *Atliſco*, ad oram amnis, prodeuntis à monte flammivomo. Vberrimus hic tritici, vini, omniumque fructuum Caſtellanorum, ſacchari, lini, herbarumque hortenſium eſt prouentus, idque propter optimam cœli, qua gaudet regio, temperiem, magis calidam quam frigidam. quod in vicinis vrbi agris naſcitur triticum, altius culmos attollit. Paulo remotius à *Tlaſcala*, fontes ſcaturiunt, qui riuis ſuis fluuium efficiunt, qui inter vrbem *de los Angeles* & *Cholulam* tardiore labitur alueo, piſcium expers, & alluens limites Mechoacæ in mare Auſtrale prope *Zacatulam* ſe exonerat. Tanta in eo eſt crocodilorum copia, vt variis locis indigenæ, migrare coacti fuerint.

Tlaſcala.

In *Tlaſcala*, ad plagam Borealem vrbis *de los Angeles*, ſitæ in altitudine grad. 20. in qua fuit Eccleſia Cathedralis, ad annum vſque 1550. quo tempore ex vrbe pagus facta eſt; primus Epiſcopatu functus eſt Frater *Iulianus Garces*, idque in valle *Atliſco*, quæ in latitudinem ſeſquileuca extenditur. Nunquam hic inclementia frigoris exuritur triticum, quin inſuper modios eius colligunt 100000. Plus quam centum agricolæ, Caſtellani omnes & rei ruſticæ peritiſſimi hic commorantur. Septem vero ab vrbe leucis verſus Ortum vallis iacet *Ocumba*. In prouincia *de Tepeaca*, pagum condere occœpit Marchio *de Valle*, cui nomen eſt *Segura*. In valle *S. Pauli* ciues ſunt plus quam 1300. iique Caſtellani, quibus ſua ſunt prædia, ſtabula, & villæ. Tanta hic eſt pecorum fœcunditas, vt ruſticorum vni ex duabus ouibus proſatas perhibeant 40000.

Vallis Ocumba.

Vallis S. Pauli.

Ciuitas *Veracruz*, vna via 60. à *Mexico* leucis abeſt, & alia 65. Quarta leucæ parte à mari diſtat. Ciues Caſtellanos habet plus quam 200. Sedes hic eſt ærarii Regii & domus mercatorum. Portus nomen eſt *S. Iuan de Vlua*, cuius nomenclaturæ author fuit *Iohannes de Gryalua*, qui eundem Anno 1518. deprehendit. Huius vero portus ſtructuram auſpicatus eſt prorex *D. Antonius Mendoza*. 5. leucis à fluminis *de la Veracruz* dicti oſtio abeſt, inter oram terræ, & inſulam, ambitu vnius leucæ, quam vnde quaque vada & Syrtes obſident, adeo demiſſam, & humili loco ſitam, vt maris eam fluxus inundet, è regione oſtii, fluminis *S. Iuan de Vlua*. In hunc portum per duos Canales ſiue anguſtias itur, quarum ampliſſima frequentius nauigatur, altera quam *Gallega* vocant, alueum habet profundiſſimum. Firmantur hic ad littus naues retinaculis æneis, nec fida ſatis iis eſt ſtatio flante fortiter Borea. Sita eſt *la Veracruz* in altitudine grad. 18. Atq; hic loci exonerare ſe ſolebant claſſes, & quatuor aut quinque menſibus morari, propterea, quod 4. à *S. Iuan de Vlua* leucis abeſſet. Ideoque nunc in eo loco exonerantur, quem *Buytron* vocant, qui locus 210. circiter paſſibus à *S. Iuan de Vlua* recedit: perficiturque hæc claſſium exoneratio, ſpacio vnius menſis cum dimidio. *Buytron* dicitur, à diuerſorio cuiuſdam hoſpitis *Buytron* dicti, quo loci ſenſim accreuit colonia.

Ciuitas Veracruz.

In Buytron exonerantur naves.

In hoc Epiſcopatu 200. ſunt pagi Indorum primarii, ac mille minores, tributarii verò Indi bis centies & quinquaginta mille, diuiſique ſunt pagi iſti in 36. claſſes, quibus ſingulis ſuus clericorum ordo præeſt. 30. adhæc habet Cœnobia Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum. In littore verò contermino huic Epiſcopatui verſus mare Septentrionale fluuius eſt *Aluarado*, vbi fines Epiſcopatus de *Guaxaca* & fluuius *Almeriæ* concurrunt, prope fluuium *S. Ioannis de Vlua*, quo loci vrbs fuit *de Medellin* colonia facta ab *Andrea de Tapia*, Anno 1522 quo tempore Marchio *Ferdinandus Corteſius* hunc *Andream de Tapia*, vna cum *Gonzalo de Sandeual* miſit, ad tranſigendum cum *Chriſtophoro de Tapia*, qui autoritate inſtructus erat, vt præfecturam à Marchione in ſe transferret. colonis eam priuauit *Fator Salazar*, & *Veedor Peralmindez*, Fluuius *Almeriæ*

Portus & flumina ora Borealis.

ortum habet ex magno *Cordillera*, in prouinciis *de Totonaques* & *Micantle*, atque ſinuato inter montes alueo in mare Septentrionale tendit. hunc fluuium contra, inſula iacet *de Sacrificios*, nomen ſortita à duce *Iohanne de Gryalva*. *Zempfloala* fluuius ad Borealem Veracruz plagam ſpectatur, & altius paulo fluuius eſt *S. Petri*, & *S. Pauli*, qui ex iiſdem montibus ortum ducunt, nec non flumina de *Caronez*, & *Tulpa*, & *Tamiagua*, vicina imperio *de Panuco*.

Inſeratur hic Tabula 4.

Cap. X.

De Epiſcopatibus Guaxacæ, Mechoacan, *&* Iucatan, *nec non de prouincia* Tabaſco, *ſupradicta Iuriſdictionis ac Territorij reliqua parte.*

De Epiſcopatu Guaxacæ. Epiſcopatus *de Guaxaca* nomen ſuum ab ipſius Prouinciæ in qua ſitus eſt nomine mutuatur. Etiam *Antequera* dictus eſt, à ciuitate in qua Cathedralis reſidet, interque Epiſcopatum *de los Angeles*, & Cameræ *de Guatemala* Epiſcopatum iacet. A mari ad mare ad leucas 120. porrigitur, iuxta limites & confinia Epiſcopatus *Tlaſcalæ*, & iuxta fines *Chiapæ* 60. Latus eſt iuxta littora maris Auſtralis leucas 100, 50 vero iuxta oram Septentrionalem. Quarum ambitu continentur, provinciæ *de Miſtera* Superior & Inferior. Superior 40. ab *Antequera* diſtat leucis ad Occidentem. Inferior magis ad mare pacificum vergit. Primus in Antequeram coloniam deduxit *Iohannes Nuniez Sedonius* & *Hernando de Badaioz*. *Quis primus byſſum in Mexico tractare cœperit.* Poſtea eodem coloni traducti à Cameræ Mexicanæ Iudicibus, nempe *Iohanne Ortez de Matuenzo* & *Delgadillo licentiatis*; quorum poſterior Granatenſis cum eſſet, primum in Mexico byſſum artificioſe tractare cœpit. Templi Cathedralis fundamenta iecit Præſes, præfectus & Epiſcopus *D. Sebaſtianus Ramirez*, cuius ductu & auſpiciis mirum quæ incrementa horum imperiorum fortuna ſumſerit. Omnes huius templi columnæ ex ſolido conſtant marmore, eæque ingentes & craſſæ. Ciues Caſtellanos ciuitas habet circiter 400.

Vallis Guaxacæ. Hęc Guaxacæ vallis, vnde Marchioni *del Valle* nomen eſt, inicium ſumit à montibus *Cocola*, ad fines *Guaxo lotitlan*. Vberrimus hic byſſi, tritici, & Mayzi eſt prouentus. Lingua vtitur *Zapoteca*. Aurifodinas habuit celebres. Tractum & ditionem ciuitatis Antequeræ (vti dictum) *Guaxaca* vocant. Colonos à Mexico accepit, nempe ex præſidiariis militibus, idque iuſſu ſecundi *Motezuma*. Pleraque vero præſidia, quæ per totum imperium ſub regibus Mexicanis militabant, idiomate Mexicano loquebantur. Huius ciuitatis fluuius à terra abſorbetur, è regione *Cimatlan*, & duobus à montibus *de Coatlan* ſe exerit leucis, & duabus inſuper à Guaxaca. Dimidia vero ab vrbe leuca, è regione montis verſus Arctum ſiti, cuſpidem efficit *de Setrezuela*, & qua brachij inſtar prominet, vallis ad 8. leucas excurrit. Eſt hæc amœniſſima illa Guaxacæ vallis, ſaluberrimo & temperato cœlo gaudens, quæ vbere cornu diuerſi generis fruges profundit, ac præcipue fructus Caſtellanos, ſed ſaporis optimi. Hæc verſus Zephyronotum prouinciam adſpicit *Tutepecque*, multis iuxta littus inſignitam pagis, longam leucas 60. & amplius. Qui fluuium *Alvarado* incolunt, ſiti ſunt inter Boream & Mezen vallis dictæ; Incolæ *de los Zapotecas* ad Mezen *Antequeræ* & *Guazacoalco*, in finibus *Tabaſco*. Tota hęc aſpera eſt & inculta regio, nec minus tamen auri fodinis locuples, quod parcius tamen hic ob aſperitatem eruitur. Caſtellanorum pagos numerat 4. *Antequera.* Sita eſt *Antequera* in via regia *Chiapæ* & *Gua-*


NORTE
DESCRIPÇION DEL DESTRICTO
DEL AVDIENÇIA DE NVEVA ESPAÑA
4
MAR DEL NORTE
Gouernaciō de Panuco
Santiago de lo Valles
S.t Luis de tanpico
Pánuco
R. de Panuco
Golfo de la nueua españa.
La Vermeja
Los negrillos
Los alacranes
Y.a de arenas
Y.as de pescadores
el triangulo
La desconçida
La çarça
C. de Cotoche
R. de lagartos
Y.as de mugeres
Campeche
Merida
Valladelid
Cozumel
Yucatan
Lago de bacalal
el triangulo
La Victoria
lag.a dexetemal
Salamanca
tasueno
Pantoja
Lamanay
Golfo de honduras
Ibob
Lago dexicalango
Tauasco
R. de tamiagua
R. tuspa
R. de S. P.o Y S.t Pablo
S. Phelipe
M. de Guanaxuato
San miguel
De la Audj.a de la nueua Galiçia
Mechoacan
Guayangareo
Mexico
Tlaxcala
R de çempoal
La Veracruz
S. Ju.o de Vlua
Y.as de Sacrificios
R. d'Aluardo
Rocca partida
los angeles
R. de almeria
Guaçacalco
SS. de Sāmartin
S. Ilefonso
Santiago
Antequera
Colima
P.to Santiago
P.to de la nauidad
Çacatula
R. mita
P.to de Acapulco
R. Citlal
P.to de Guatulco
P.to de teguantep
De la Audj.a de Guatimala
MAR DEL SVR

RPJCB

& *Guatemalæ*, 80. à Mexico leucis verſus Euronotum. Primus ad tranquillandos incolas eam adiit *Iohannes Nuniez de Mercado*, Anno Domini 1522, mandato *D. Ferdinandi Corteſij*, Atque hinc miſſæ auxiliares copiæ in ſubſidium regis *Quantimoc*, ad defenſionem ciuitatis Mexici, in poteſtatē *D. Ferdinandi Corteſii* jam primitus redactæ. Theſaurarius *Alphonſus de Eſtrada*, quo tempore Mexici imperium tenebat, in vrbem S. *Alphonſi de los Zapotecas* colonos deduxit. Abeſt ab Antequera leucis 20. verſus Mezen, altiſſimis cincta montibus. Ex goſſypio, Mayzo, aurique foſſione victum ſibi quæritant. Tributum ei pendunt plus quam 900. Indi. *Sant Iago de Nexapa* 20. ab Antequera leucis Ortum verſus, ad viam quoque Chiapæ & Guatamelæ ſita eſt. *Sant Iago de Nexapa.*

Ciuitas *del Spiritu Sancto* in Prouincia de *Guazacoalco*, ad oram Septentrionalis Oceani in finibus Tabaſco poſita eſt, 20. ab Antequera leucis. Coloniam fecit *Gonzalo de Sandoual*, Anno 1522. Pagos Indorum pene 50. numerat. Sita eſt ad ripam fluminis in parte Chiapæ, quod ex montibus *de los Mixes*, & *Chontales* labitur, prope *Tercoantepeque*, & vna cum riuis aliis prouinciarum ad Chiapæ territorium pertinentium in mare Septentrionale excurrit. Naues admittit centum vaſorum capaces.

Vniuerſus hic Epiſcopatus nullum fluuium habet, qui aurum non ferat. nec ſolliciti de annona & commeatu ſunt Indi, modo labores non defugiant, cum quæ ad victum & amictum neceſſaria ſunt abunde ſuppetant. Fructum habent Cacao nomine, amygdalorum inſtar, qui pecuniæ ipſis officium præſtat.

Ex eodem fructu vinum colligunt, & eodem toſto veſcuntur. Cœli amœnitate, benignitate & ſalubritate gaudent. Olim hic ſericum tractabant indigenę, artem à Caſtellanis edocti, ex quo papyrum quoque conficiebant. Tanta autem huius in Iolis hiſce colligitur copia, vt ſi decimas eius ſoluerent Indi, quinque Epiſcopatibus conſtituendis annuus earum reditus ſufficerent. Nunc ſoli eas pendunt Caſtellani, conceſſa earum indigenis immunitate. *Indi decimas non pendunt.*

In hoc Epiſcopatu pagi ſupputantur 350. quos primarij nominis Indi incolunt. Atque in his, vti & in 300. aliis habitaculis (Hiſpanus *Eſtancias* vocat) numerantur Indi tributarij plus quàm 50000. adhęc 120. Cœnobia Dominicanorum, maxime vero Clericorum. Huius Epiſcopatus oræ ad mare Septentrionale, inicium ſumunt à flumine *de Aluarado*, ex montibus *de los Zapotecas* ſcaturiente. Excurrit ad prouinciam vſque *de Chinantla*, & reflexo in tranſuerſum alueo in Oceanum Atlanticum inter flumina *de Guazcoalco* & *S. Iohannis de Vlva*. Occurrit quoque hic fluuius *Angualulco*, cuius oſtium portus officium præbet: necnon bifido cacumine rupes, terræ cuſpis, è montibus *S. Martini* prominens, quam deprehenderunt naues tempeſtatibus vel viæ errore in latentes hic aras & littoris ſcopulos impactæ. E regione huius rupis ad oram maris Pacifici fluuius eſt *Guatulco* ampliſſimus & commerciis frequens, altitudine grad. 15. cum dimidio. Hanc prouinciam *Guatulco* ſubegit Admiralius *Petrus de Aluerado*. Eſtque huic vicinus portus *Tecoantepeque*, commodus ſatis, cuius pagus celebris eſt cancrorum aliorumque piſcium captura, quos in *Guaxacam* deferunt.

In via quoque regia *Cuyztata* fodina eſt criſtalli berilli. *Tecoantepeque* 45. ab Antequera leucis diſſidet per medios montes *de los Chontales, Nixapa*, & *Mexalpeque* diffunditur, quo loci hic terminatur Epiſcopatus. Plurimos ſibi ſubditos habet pagos ad maris oram poſitos.

Epiſcopatus *de Mechoacan* (prouincia eſt inter Archiepiſcopatum *Mexicanum*, & *Nouam Galiciam* interjecta) juxta oram Oceani Auſtralis, latitudinem habet 80. penè leucarum, 60. verò verſus intimas terræ partes, comprehenſis vna tractus Borealis fini- *Epiſcopatus Mechoacan.*

lis finibus. Referuntur ad hunc prouinciæ *de Zacatula*, & *Colina* ad littus maris *del Sur* ſitæ.

Valladolid. Ciuitas *Mechoacan* alias *Pazcuazo*, poli eleuationem habet ad gradus plus quam 19. & 47. à *Mexico* leucis ſita eſt, via plana & æquabili. In *Guayangareo*, dicta *Valladolid*, ſedem habet Cathedralis ſuffraganeus Mexici, necnon Cœnobia duo Franciſcanorum & Auguſtinianorum. *Mechoacan* condidit *Maeſſe del Campo, Chriſtophorus de Olid.* Ac primum

ZinZonZa. Cathedralis ſedes fuit *Zinzonzæ*, mox Anno 1544. in *Paſcuazo* commigrauit. Habet in hac vrbe Cœnobium Franciſcanorum, & alterum Auguſtinianorum Epiſcopus *D. Baſco de Quiroga.* A *Mechoacan* orientem verſus 6. leucis diſtat.

Guanaxuato. Fodinæ de *Guanaxuato* 28. leucis, à *Mechoacan* diſſident, qua Boream & *los Zacatecas* montes ſpectant, quibus continentur pene 600. Caſtellani, idque in duobus *Regalibus*, quæ incolunt ſub imperio Prætoris cuiuſdam ſupremi. Regalé, ſedes eſt & politiæ quædam forma inter minerarum foſſores conſtituta.

S. Michael La Concecion de Salaya. Vrbs S. Philippi. Vrbs *S Michaelis* in prouincia Mechoacæ ſita eſt; 35. à Pazcuazo leucis verſus mare, ſolo horrido & inculto: Necnon vrbs *de la Concecion de Salaya*, exſtructa à *D. Martino Enriquez*, juſſu Vicarii regii Anno 1570. ad ſecuritatem viæ *de los Chichimecas.*

Item vrbs *S. Philippi*, 50. à Mechoacan leucis Arctum verſus, & à Mexico 62. Mezen verſus, Cœnobium habens Monachorum ordinis Auguſtinianorum. Sita eſt regione ſterili & frigida, conditaque eſt ad tutelam viæ *de los Zacatecas.*

Zacatula. Prouincia & vrbs *Zacatula*, ad oram Maris pacifici altitud. habet grad. 18. paulo plus. A *Mechoacan* recedit leucis 40. verſus Zephyronotum, fundata à *Iohanne Rodriges de Vilaſuerte* & *Simone de Cuenca* à *Mexico* diſtat 90 leucis.

Colima. Prouincia & vrbs *Colima*, ad gradus 18. paulo altius, eleuatur, ad littus quoque maris

Cacao fructus e nucis inſtar, nummi loco Indis inſeruiens, ex quo potionem conficiunt dictam. Chocolate. Auſtralis, & *Novæ Galiciæ* confinia, 50. à Mechoacan leucis verſus Zephyronotum. Præturam habet ampliſſimam, Regionis tractus calidus eſt & copioſe *Cacao* profert, vti & *Cannam fiſtulam*, & aurum. Populus ab humanitate & morum ciuilitate commendatur. Condidit eam *Gonzalo de Sandoval* Anno ſalutis 1522.

Mexicana regio non tantum *Novæ Hiſpaniæ*, ſed vniuerſæ etiam *Americæ* fertilitate ſoli præſtat. Affluit tritico, Mayzo, & omni frugum fructuumque Caſtellanorum genere. Piſcibus quoque & omni animalium genere abundat, vti & grano tinctorum, & goſſypio. Incolæ induſtrii ſunt, ſolertes, & ad labores nati.

Sub hoc Epiſcopatu pagi numerantur 113 quorum 90. primarii ſcholas habent. Ad oram vſque Oceani Atlantici non excurrit. ad latus Auſtrale flumina habet plurima, maxime in Occidentali prouinciæ parte. Pene in Nouæ Galiciæ tractu portus eſt *Navidad*, altitudine graduum 90. commodus admodum & frequens navigationibus: vnde in Philippinas itur. Vlterius Orientem verſus prope portum *Sant Iago* plurimæ ſunt & laudatæ æris fodinæ, ex quo propter mollitiem, & flexibilitatem Indi vaſa fabricant. Alia quoque hic æris ſpecies eſt durior, qua terram ſcindunt, ſulcant, & ſubigunt, ferri loco; quam domandæ telluris rationem antea ipſis inuſitatam, à Caſtellanis acceperunt.

Prouincia & Præfectura *Yucatan*, nomen hoc ſortita eſt, quo tempore eam detexit dux *Franciſcus Hernandez*: necnon *Nueſtra Senora de los Remedios*, quo tempore *Cozumel* aperuit *Iohannes de Cryalua.* primum inſula eſſe credita eſt, quia mari pene vndique cingitur, vt peninſulam vocare liceat.

Peridromus eius plus quam 250. eſt leucarum, longitudo ab Oriente in Occiden-

cidentem pene centum leucarum,&tantundem quoque à Septentrione in Auſtrum patet,à littore Arctum reſpiciente,ad eam vſque partem, quæ prouinciis *de Guatemala* eſt affinis. Vnde in obliquum ad 25. pene leucas excurrit.

Aëre fruitur calido,ſed humidiore. Fluvios & torrentes nullos habet. Verum putei aqua ad ſummos penè margines repleti,& latentes hic illic conchæ, necnon depreſſa littoris ora,occaſionem præbuere ſuſpicandi mare hic aliquando fuiſſe. Montibus vndequaque intercluſa eſt. Frumenti ſterilis eſt, aliorumq; ſeminum Caſtellanorũ, uti & auri omniſque prorſus metalli. Unde videre eſt hallucinari illos,qui aiebant ſe in his regionibus reperiſſe Cruces ex *laton*, (metalli ſpecies eſt) quod in nulla Indiarum parte invenitur. Venatio hic feliciſſima eſt, præcipuè porcorum & ferarum agreſtium. Magnus gallinarum quoque proventus. Goſſypium & *Anil* copioſe ſufficit. Indigenæ fœcundi ſunt & longævi. Virum hic vixiſſe perhibent Neſtoris ætatem. Equos habent laudatiſſimos & diuerſiſſimi generis pecora.

In hac Præfectura,excluſa præfectura de *Tabaſco* huic contermina,pagi ſunt à Caſtellanis habitati 4. Epiſcopatus vnicus. quos pagos fundavit primus gubernator ſive Admiralius *D. Franciſcus de Montejo*. Ciuitas *Merida* in altitudine 20. graduum poſita eſt,fere in totius prouinciæ vmbilico,prope mare *del Nort*, 12. tamen à mari leucis. Reſident hic Gubernator,aliique redituum & ærarii regii Officiales, necnon Cathedralis ſuffraganeus *Mexici*. Cœnobium habet Franciſcanorum. *La Merida* vocarunt, propter amplitudinem ſuam & priſcam ædificiorum faciem, ad ſimilitudinem Meridæ Caſtellanorum. Mirum merito videri poteſt cum prouincia hæc metallum nullum ferat, qua ratione tantæ molis ſaxa ædificiis aptari potuerint,in quibus inſuper nudas hominum formas inſculptas videre erat,aures annulis, quos inaures Latini vocant, perforatas habentes. Ex quibus colligere eſt, templa hic fuiſſe, & regionem hanc aliquando floruiſſe. *Ciuitas Merida.*

Vrbs *Valladolid* 31. pene leucis à *Merida* verſus Euronotum pene ſita eſt, Cœnobium habens Franciſcanorum ſumptuoſum & ſplendidum. Tributum illi ſoluunt 15000. Indi. Vrbs & portus S. *Franciſci de Campeche*, ad gradus 20. aſſurgit, ad oram quæ nouam Hiſpaniam ſpectat,pene 50 à Merida leucis, Occidentem verſus, in Auſtrum nonnihil inclinans. Portus ſic ſatis idoneus eſt,quanquam minus profundus recipiendis nauibus. *Valladolid. Campeche.*

Vrbs *Salamanca*, ita dicta ab Admiralii patria,in prouincia *Bacalaz* & *Chetemal*, 70. à Merida leucis ad Auſtrum & Aquilonem ſita eſt,prope Occaſum & inſuper 70. à *Valladolid*,non longe à littore ſinus *de Honduras*. Decem hæc prouincia habet Franciſcanorum fratrum Cœnobia,& præterea ſcholas clericorum. *Salamanca.*

Tam longe totius huius prouinciæ littus in mare excurrit,vt paucis in locis anchora minus quam 4. aut 5. à terra leucis, defigi poſſit. Portus non niſi minoribus nauibus patent,creſcitq; ac decreſcit circa hanc oram magis Oceanus, quam in vllo totius Novæ Hiſpaniæ tractu, Sunt autem portus hi: *Cicla*, *Telichaque*, *Cical* & *Cauquil*, fluuius geminum habens oſtium; adhæc *Campeche*, in littore, quod Nouam Hiſpaniam reſpicit, promontorium habens *Delgado*; A quo loco littus Orientem verſus reflecti incipit. ac prope eius cuſpidem Inſula eſt *la Deſconocida*, ſcopulis obſeſſa, & ad Occidentalem eius plagam leucis pene ab ea 18. alia ſita eſt nomine *la Zarza*, & præterea ternæ inſulæ *el Triangulo* vocatæ, vicinæque alteri Syrtibus immerſæ. Inſuper 16. à *Cabo Delgado* leucis inſulæ *de Arenas* & *de Bermeia* iacent, & ab eodem promontorio 25 leucis Boream verſus alia inſula, vti & tres illæ quas *Negaillos* vocant, vadoſæ vndique, ad Orientem 35. pene à *la Barmeia* leucis ſitæ, ad hæc *los Alacranes* viginti

à littore leucis ad Auſtrum & Septentrionem, reſpectu Meridæ & promontorij *de Cotoche*, Orientalioris cuſpidis prouinciæ *Yucatan*; ſequuntur 4. inſulæ quas de *Mugerez* appellant, vicinæ littori, prope quod etiam poſita eſt Inſula *de Cozumel*, celebris imaginis alicuius adoratione, quæ iſtic religioſe aſſeruabatur, & ad quam omnes totius circumiacentis regionis indigenæ peregrinatum ibant. 4. leucis in mare excurrit, vbi incipit ſinus *de Honduras*, ſitu penè reſpectu ciuitatis *Valladolid* oppoſito. Vlterius in ſinu dicto tres inſulæ ſunt vadoſæ, in eadem fere linea cum lacu mediterraneo *de Bacalal*, qui 30. à lacu *de Chetemal* leucis diſſidet, ad oram inſulis conſperſam *Salamancam* vſque, quarum prima *Pantoja*, vadis adiacet, quę *Quitaſuenio* vocant, ſecunda vero *Zazatan*, tertia *Lamanan*, poſtrema *Ylbob* dicitur.

Gozumel locus adorationi dicatus.

Tabaſco.

Prouincia de *Tabaſco*, pars præfecturę *Yucatan*, ad oram Oceani Septentrionalis ſita, in Nouę Hiſpanię ſinu, ab Oriente in Occidentem porrigitur, 40. pene à limitibus *Iucatan* leucis, vſque ad limites de *Goazacoalco*, cui iungitur à parte Orientali, & totidem quoque à mari Septentrionali abeſt, ad fines *Chiapæ* excurrens. Scatet vniuerſa regio lacubus, ſtagnis, & ſinubus, per quos ſcaphis, quas *Canoas* vocant, diſcurrunt. Humida eſt & calida, ideoque copioſe pabula pecori ſufficit. Magna quoque *Mayzi* & *Cacao* hic eſt vbertas, ex quibus maxime rem faciunt indigenę. Vnicus in hac prouincia pagus eſt *Tabaſco*, alio nomine appellata vrbs de *nueſtra Senora de la Vitoria*, propter inſignem quam hic de Indis victoriam reportauit *D. Ferdinandus Corteſius*, Anno 1519. Soluunt hic pro tributo Indi 2000. *Xiquipiles* (menſuræ genus eſt) *de cacao*; habetque *Xiquipil* 8000. amygdalorum, vna vero *carga*, tres habet *Xiquipilez*, ſiue *Tercios*. In ora huius prouincię pręter alia flumina & lacus occurrit quoque lacus de *Xicalango* ſiue *Regius* portus, amplus & patens, in cuius oſtio duę iacent inſulę. huius prouinciæ motus compoſuit dux *Ludouicus Marin* mandato & iuſſu *D. Ferdinandi corteſij*.

Inſeratur hic Tabula 5.

Cap. XI.

De territorio Præfecturæ de Guadalaiara.

Territorium Pręfecturæ *Novæ Galiciæ* ſiue *de Xaliſco*, quam *Nuncius de Guzman* à ſe detectam perhibet, ſed maiori iure *Ferdinandus corteſius*, aut eius nomine *Gonzaluus de Sandoval* miſſus ad tranquillandos *las colimas*, limitibus ſuis attingit Nouæ Hiſpaniæ præfecturam, prope portum *de Navidad*, & lacum *chiapalæ*, verſus *Mezen* tendens. Ad Boreales tractus & partim ad Occidentem, vbi tota detecta nondum eſt, patent eius fines. Quicquid eius cultum habitatumque eſt ab vtraque parte 100. circiter leucas conficit, quibus continentur prouinciæ *Guadalajara*, *Xaliſco*, *los Zacatecas chiametla*, *culiacan*, *Noua Biſquaya*. & *cinaloa*, & tanquam vicinæ regiones *cibola* & de *Quibira*.

Guadalaiara.

Aëre hæc Prouincia & circumiacens regio *Guadalajara* optimo gaudet. Tellus ipſa tritici, Mayzi, aliorumque leguminum Caſtellanorum ferax eſt. Multos habet Caſtellanorum pagos, & argenti foſſorum numerum maximum. Ciuitas totius regni caput eſt, in quam incolas deduxit *Nunius de Guzman* Anno 1531. eamque patriæ ſuæ nomine inſigniuit. A Meridiano *Toletanò* 106. gradibus cum dimidio abeſt, itinere 1780. leucarum. Ab Æquinoctiali polum verſus altitud. habet 20. graduum & tertiæ partis. 87. à *Mexico* leucis Meridiem & Occidentem inter, magis tamen ad Occidentem vergens

Came-



DESCRIPCION DEL DESTRICTO DEL AVDIENCIA DE LA NVEVA GALICIA
5

RPJCB

Cameræ hic ſedes eſt, ac ærarii regii, eorumque, qui redituum regiorum curam habent: adhæc Cathedralis ſuffraganei ciuitatis Mexicanæ idque ab Anno 1570. cum ſtatutum prius eſſet vt Compoſtellæ reſideret. Cœnobium habet Franciſcanorum, & aliud Auguſtinianorum. Condidit quoque idem *Nunius de Guzman* vrbem *S. Spiritus in Tepique*, & aliam *Sanctæ Mariæ de los lagos*. 30. ad Auſtrum leucis abeſt à *Guadalajara*. Prætorem ſupremum habet. Extructa eſt ad defendendos hos limites aduerſus Indos *Chichimecas*, qui inter Septentrionem & Orientem habitant, gens barbara, ſparſim in agris, ſpeluncis, ac deſertis locis more ferarum degens, legum omnium ac humanitatis expers. Venationibus ſibi victum quæritant, & fructibus veſcuntur agreſtibus. Nulla illos opum cura, nulla voluptatum tenet. Nudi incedunt, quidam tamen pellibus ferarum induti. Arma ipſorum ſunt arcus & ſagittæ. Robuſto ſunt corpore, magni helluones. Vinum ex radicibus conficiunt, quo ſe ſtrenuè inebriare norunt. *El Spiritus S. Sancta Maria Chichimeces Indi.*

Prouincia *de Xaliſco* mayzi, quam ouium, fertilior eſt, Equos nullos habet. Vnica in hac ciuitas eſt ad mare ſita *Compoſtella*, 33. à *Guadalajara* leucis Occidentem verſus, hic primum imperii fuit ſedes ad Annum vſque 60. mandatumque vt hic Cathedrale templum exſtrueretur. Sed poſtmodum tranſlata ea fuit in *Guadalajaram*. Vnicum habet Cœnobium fratrum ordinis S. Franciſci. Colonos quoque accepit à *Nunio de Guzman* anno 1531. qui biennio eas regiones, quas magnam Hiſpaniam vocant, peragrauit, idque æmulatione quadam D. Ferdinandi Cortezii, quo toto tempore nihil de illo in vrbe Mexico auditum fuit. Vrbs *de la Purification* ad Zephyronotum *Guadalajaræ* 30. ab ea leucis, prope portum *de Nauidad*, in confinibus territorii iſtius Cameræ, regione ſita eſt calida, & inſalubri. Circa finem Anni 1531. leucas terræ 150. detexit *Nunius de Guzman* iuxta littora *de Xaliſco*, ſita in altitud. grad. paulo plus, 22. *Xaliſco.*

Prouincia *de los Zacatecas* argenti fodinarum diues eſt, verum aquarum, tritici & Mayzi inopia laborat. Pagos Caſtellanorum habet tres, & quatuor ſedes celebres fodinarum. Præcipuæ ſunt eæ, quas *de los Zacatecas* vocant, 40. à *Guadalajara* leucis Arctum verſus, & 80. à Mexico. Caſtellani hic commorantur plus quam 500. mancipia itidem 500, equi & muli 5000. Cœnobium habet Franciſcanorum, ſemperque in ea reſidet aliquis miniſtrorum regiorum, *de Guadalajara*. In hac quoque regione fodinę ſunt *de Avino*, & *S. Martini* 26. *à los Zacotecas* leucis, verſus *Mezen*, in quibus verſari ſolebant fere 400. Caſtellani: adhęc *Xerez de la Frontera* 30. *à Guadalajara* leucis Septentrionem verſus, 10. verò à fodinis *de Zacatecas*. In harum via alia loca ſunt inferius poſita, quorum, cum nihil memoratu dignum habeant, non fit mentio. Vrbs *Erena* & fodinę *del Sombrerete*, 25. *à Zacatecas* leucis verſus *Thraſciozephyrum* abeunt, vicinę fodinis *S. Martini*, ad Septentrionem, aliiſque iſtius territorii. Vrbs *de Nombre de Dios*, 68. leucis à ciuitate *de Guadalajara* abeſt, 10. verò à fodinis *S. Martini* verſus Septentrionem. Cœnobium habet Franciſcanorum. Affluit tritico & Mayzo, & optimarum fodinarum diues eſt. Vrbs *Durango* in ditione fodinarum. *S. Martini* & valle *S. Saluador* 8. à Nombre *de Dios* leucis diſtat. Regio ſaluberrima eſt, multiſque inſignis fluminibus, quorum inundatio tritici, Mayzi, aliarumque ad vitę pręſidium neceſſariarum frugum meſſem adauget. Huius territorio fodinę continentur de *S. Lucas*, necnon laudatę aliquot ſalinę. Multis huius regni locis arma ſumpſerant *Indi*; & *Chichimicæ* & *Guachachiles* in via quę *Guadalajaram* ducit, populabantur, infeſtique incolis *de las Zacatecas* hoſtiliter eos tractabant: quod bellum vehemens & magnis paratum impenſis confecit Vice-rex Marchio *de Villamaurique*. Diuiſi ſunt huius territorii *Indi* in 100, & 4, ordines ſiue tribus. *Los Zacatecas. Xerez. Nombre de Dios. Durango.*

Prouincia


Noua Vizcaya. Prouincia *Novæ Vizcayæ*, ad *Thraſciozephyrum* ferè *de los Zacatecas*, 50. ab his leucis, regio eſt commeatu omni abunde inſtructa, pecorum ad hęc multitudine & optimis argẽti fodinis celebris. Cõtinet incolas de *Hindeze*, *Santa Barbola* & de *S. Ivan* nec nõ Prouinciã *de Topia*. quas & detexit & colonis inſtruxit *Franciſcus de Ybarha*. Prouincia *Chiametla*, longa & lata 20. leucas, ad oram Maris *del Sur*, 20. pene à *Xaliſco* leucis, fodinis argenteis ſcatet, ſitaque hic eſt *S. Sebaſtiani* ciuitas, à Caſtellanis inhabitata, quæ primum Mexicanis paruit, altitudinem habens paulo plus 22. grad. *Culiacan* Præfectura eſt ad littus Oceani Auſtralis verſus Orientem, ad Occidentalem *Chiametlæ* plagam, ſolo ſita vberi & frugum omnium feraci, necnon argenti fodinis conſperſo. *Regale* (Hiſpanus *Real* vocat) habet valde populoſum, quod *de las Virgines* vocant. Vrbem *S. Michaelis*, 80. à Compoſtella leucis, & 103. à *Guadalajara* coloniam fecit *Nunius Guzmanus* Anno 1531.

Ciaiola. Prouincia *Cinaloa* poſtrema & maxime omnium ad Septentrionem vergens, 42. à *Culiacan* leucis, à *Guadalajara*, qua Arctum ſpectat, 150. colonos Caſtellanos accepit quadam ſui parte; quæ colonia S. *Iohannis de Cinaloa* dicta fuit, ſed ſeruari hæc non potuit. Aperuit regionem primus *D. Antonius Mendoſa*, Nouæ Hiſpaniæ prorex. Ferunt ciuitatem in ea eſſe ex ædificiis lateritiis & tabulata habentibus conſtructam, quam *Granada* vocant, Indoſque huius tractus bellicoſiſſimos eſſe, & magna regionem omnem annonæ copia affluere.

Quibira. Cibola. *Quibiræ* altitudo eſt grad. 40. ſita eſt regione temperata & fertili. *Cibola* à *Culiacan* Septentrionem verſus 30. leucis, contra *Quibira* à *Cibola* ortum verſus 200. abeſt. Indigenæ pauperrimi ſunt & inopia goſſypij, pellibus ferarum & ſuæ regionis vaccarum veſtiuntur. Habentque hæ naturę proprietate gibboſum quid ſupra ſpinam medullarem, & promiſſos anteriore corporis parte pilos, ſed cornua ipſis noſtratibus breuiora. Pręcipua opum vis hoc pecorum genere ęſtimatur, ex quorum tergoribus veſtes, calceos & funes conficiunt. Carne veſcuntur, & ex oſſibus inſtrumenta ſua formant. Et quia rariora ſunt horum populorum inter ſe commercia, accidit, vt variis loquantur linguis.

California. *California*, magna eſt telluris cuſpis in mare excurrens, in maxime Occidentali Novæ Hiſpaniæ parte, altitudine grad. 22. à qua verſus *Thraſciozephyrum* porrigitur ad leucas circiter 200. quanquam portus & inſulæ ſinus Californiæ, qui inter iam dictam cuſpidem, & ſinum Nouæ Hiſpaniæ ſitus eſt, non plene cogniti ſint. In introitu ac ipſo ſinus hujus aditu inſula eſt longa valde, ſed anguſta, juxta littus ſita, cui nomen eſt *Guayaval*, extenditurq; à fluuio *de nueſtra Sennora*, ſiue *S. Sebaſtiani de Bora* vſque ad fluuium *Paſcua*, in regione *Culiacan*. Fluuius vrbis S. Michaelis *Ciguadlan* appellatur, & vlterius verſus nouam Hiſpaniam occurrit fluuius *de Paſtla*, è cujus regione Inſula jacet *Diſierta*, quam ſequitur Inſula *Spiritus* S. & portus *de Xaliſco*. Ad Auſtralem verò cuſpidis *Californiæ* plagam inſula eſt *Anjublada*, & S. *Thomæ*, & *de Flores*, aliaque *las Monias* dicta.

Inſeratur hic Tabula 6.



DESCRIPCION DEL AVDIENCIA DE GVATIMALA

6

RPJCB

Cap. XII.

De territorio Cameræ de Santjago de Guatemala.

AVdientia ſive Camera *de Guatemala*, primitus dicta fuit *Camera confinium, de los Confines*, quia mandatum fuerat, vt ea in confinibus provinciarum *de Nicaragua* & *Guatemala* erigeretur, ſine certa alicuius loci deſignatione. Ab Oriente in Occidentem 240. leucas continet, & à gradibus Meridiani 84. vſque ad 98. longitudo eius exporrigitur, à Septentrione vero in Auſtrum latitudo patet 180. leucis, à gradibus altitud. 9. aut 10. vſque ad 18. aut 19. Quibus quoque continentur Prouinciæ *de Guatemala, Soconuſco, Chiapa, Suchitepeque, la Verapaz, Honduras, Ycalcos, San Saluador* & *San Miguel, Nicaragua, Chuluteca, Taguzgalpa & Coſtarica.* quæ ſingulæ propria vtuntur lingua, quod, vti autumant Eccleſiaſtici, Sathanæ aſtu accidere videtur, quo perpetuæ inter illas vigerent diſcordiæ, nec coaleſcerent vnquam ſanguinis auidi & vindictę ſtudio flagrantes populi.

Prouincia & præfectura *de Guatemala* ad oram maris Auſtralis longa eſt 70. circiter leucas, lata 30. Aër temperatus eſt, regio copioſe Mayzum, goſſypium, triticum aliaſque fruges profert; ſed ſemina prioris anni in ſequentem non aſſeruantur. Magna aquarum eſt parcitas, quæ ab imbribus, qui Martium inter & Octobrem decidunt, ſupra modum augentur. Venti hic ſpirant Auſtrales & Boreales, ſed non vltra 15. aut 20. dies flat Aquilo, verum frigidiſſimus is & vehemens. Quinque pagos habet Caſtellanorum, fundatore *D. Petro de Alvarado* gubernatore, idque annis 1524. & 1525. Ciuitas *Sant Iago de Guatemala*, (cuius ditio *cachequil* vocatur, quod *Aquilam* ſonat, quia nationis iſtius Generalis ad bellum profectus vertici criſtæ loco Aquilam impoſuit) totius imperij eſt metropolis, & Cameræ ſedes. Altitudo eius eſt grad. 14. cum ſemiſſe, à Meridiano Toletano gradibus 93. abeſt. hoc eſt 1600. leucis, à mari 12. Incolunt eam Caſtellani 600. Sedem hic fixere redituum regiorum adminiſtri, & Cathedralis ſuffraganeus de Mexico. Cœnobium habet Dominicanorum & Mercenariorum, necnon Xenodochium, & domum fuſoriam. Subſunt ejus juriſdictioni Indi tributarii 25000. Situs eius eſt in valle peramœna; omnis generis frugibus, & commeatu commendabili. *Præfectura Guatemalæ. Sant Iago de Guatimala.*

Ciuitas *de S. Saluador*, quæ Indorum lingua *Guzcatlan* vocatur, 40. à *S. Iago* leucis recedit verſus Euronotum. Cœnobium habet Dominicanorum. Vrbs *de la Trinidad*, quam Indi ſuo idiomate *Gonzonate* appellant, 26. à S. *Iago* leucis verſus Zephyronotum diſtat, 4. à portu *de Axacutla* leucis. Prætura hic ſuprema eſt, titulo regiæ Maieſtatis inſignis, necnon Cœnobium Dominicanorum. Ager eius peramœnus eſt, & *cacao* magna copia proferens. Indi huius loci Iuriſdictioni *de S. Iago* ſubditi ſunt. Locus eſt commerciis & vario mercatu celebris, portumque habet in quem ſe recipere ſolent naues è *Peru* & *Nova Hiſpania* aduenientes. Vrbs *de S. Miguel* 62. à S. *Iago* leucis diſtat, à S. *Salvador* 22. verſus Zephyronotum, à mari duabus, & pari intervallo à ſinu *de Fonſeca*, qui portus loco illi eſt. Ditione ſua continet 80. pagos. Vrbs *Xerez de la Frontera*, Indis *chuluteca* dicta, in confinibus *Guatemalæ*, & *Nicaraguæ*, 80. *à S. Iago* leucis, *à* S. *Miguel* 20. verſus Euronotum, territorio ſuo multum goſſypii & Mayzi colligit. Non procul ab hac mons eſt *Guatemalæ* flammivomus longe lateque celebris. Habet India plures iſtiuſmodi montes, ſed maxime nobiles ſunt ij, quos habet *Guatemala*, qui ſæpiſſimè magno accola- *S. Salvdaor. S. Miguel. Xeres de la Frontera.*

accolarum & circumjacentium locorum damno, ignes, ſaxa, cinereſq; euomunt. Habent iſtiuſmodi montes *Arequipa, Tlaſcala, Quito*, aliæque regiones. Sunt & hic loci aquæ feruentes, variæque indolis, & coloris. Balſama inſuper optima ſuppeditat, ab ipſis Caſtellanis ſine Indorum ope obſeruata, quanquam autor quidam ſecus ſentiat. Fert adhæc liquidam ambram, anime, *Copal*, & *Suchicopal*, alioſq; ſuccos & gummi, nec non ea animalia in quibus lapis, Bezoar dictus, generatur. Multum hic *Cacao* colligitur, vnde non leue rerum ſuarum compendium faciunt indigenæ. Arbor eſt mediocris magnitudinis, fructus caſtaneorum inſtar, ſed maiores paulo. Singulis menſibus florem & fructum fert, magiſque humiditate quam Sole gaudet. quæ cauſa eſt, quod non niſi locis vmbriferis plantari ſoleat. Fert quoque ſolum hoc mala aurantia.

Cacao fructus.

Huius imperii portus ad mare Auſtrale, præter jam dictos, ſunt; ſinus *de Fonſeca*, vicinus vrbi *S. Michaelis*, altitudine 12. graduum cum ſemiſſe. Nominis author fuit *Ægidius Gonzales Dauila*, Anno 1522. juſſu Epiſcopi *Ioannis Rodriges de Fonſeca*, præſidis in ſupremo Indiarum Concilio. Interius in ipſo ſinu Inſula eſt *Petronila*, à nomine ſororis Epiſcopi ſic dicta. Portus *de Axacutla* prope *de Trinidad*, altitudine grad. 12. iſtius imperii nobiliſſimus eſt, maxime inſeruiens iis, qui è *Peru* & *Nova Hiſpania* ſoluunt. Hinc 12. leucis diſſidet ſinus *Guatemalæ*, & ab hoc 7. leucis Occaſum verſus abit fluuius de *Xicalapa*. Ad Septentrionem nulla littora attingit hæc prouincia, cum non niſi 40. à mari leucis abeat, ad locum vſque, vbi naues exonerantur, qui portus *de golfo dulce* vocatur, vbi merces Caſtella aduectæ per ſinum *de Honduras* in loca mediterranea in *Guatemalam, in Saluador* & *la Trinidad* tranſportantur. 12. à *Guatemala* leucis in via regia, quæ *Mexicum* ducit, magnus eſt lacus *Atitlan*, ambitu 10. leucarum, latitudine 4. profunditate immenſa.

Soconuſco.

Prouincia ſiue imperium *de Soconuſco* maxime Occidentalis *Guatemalæ* regio, ad littus jacet maris *del Sur*, longitudine & latitudine leucarum circiter 34. Celebris eſt mercatu *Cacao*, quem copioſe ſufficit, vti & alia quælibet ſata, tritico excepto. Vnicus in illa eſt Caſtellanorum vicus *Gueuetlan*, fundatus à *D. Petro de Aluarado*, & Gubernatoris hoc tempore ſedes. Ora eius ad mare Auſtrale poſita 7. à flumine de *Ayutla* leucis verſus Occidentem initium ſumit, quod proxime ſequuntur *Coatlan, Capanaercalte, Celattel, Hartatlan, Amatituc* & *Quizatatlan*.

Chiapa prouincia.

Epiſcopatus & prouincia *de Chiapa* mediterranea eſt, medio inter *Soconiſco* Auſtrum verſus, & *Nouam Hiſpaniam* Occaſum verſus, ſitu, ad Septentrionem vero & Orientem inter *Tabaſco* & *la Verapaz*, longa ab Oriente in Occidentem pene 40. leucas, & aliquot minus lata. Affluit tritici, Mayzi, aliorumque ſeminum, adhæc pecorum quoque copia, exceptis ouibus, quas pauciores nutrit. Pagus in ea eſt Caſtellanorum, quem *Ciudad Real* vocant 70. à *S. Iago de Guatemala* leucis, verſus Mezen, quem certis priuilegiis donatum ordinarii regunt prætores. Cathedrale templum habet, vna cum Cœnobio Dominicanorum, & ditione ſua plurimos ab Indis inhabitatos pagos continet. Primarium vocant *Chiapa*, totius regionis nomine. Incolæ equorum cura excellunt, qui indolis generoſitate eos longe vincunt, quos *Noua Hiſpania* nutrit. Muſici ſunt & pictores, & idonei maxime addiſcendis artibus, ac iſtiuſmodi opificiis, quæ ingenii ſolertiam & induſtriam requirunt. Fuere olim *Nicaraguenſes*. Exſtructa eſt ciuitas iſta à *Diego de Mazariegos* Anno 1531. in planitie, figura rotunda, ſitu mirabili, Altitudo eius eſt grad. 18. cum dimidio, diſtantia à mari Arctoo 60. leucarum, & totidem ab Auſtrali.

Prouincia de la Verapaz.

Prouincia *de Verapaz* nomen accepit à religioſis Ordinis *S. Dominici*, propterea, quod eam concionibus ſuis pacauerint. Mediterranea quoque eſt interiecta inter fines

de *Soconuſco, Chiapæ, Yucatan, Honduras,* & *Guatemalæ*, diameter eius 30. leucas habet, totidemque à *S. Iago* recedit. Regio humida eſt, ideoque ferendo Mayzo magis idonea, quod duplici quotannis meſſe agricolam beat. Minus feliciter triticum fert & goſſypium & Cacao. Plurimæ hic aues ſunt, quarum plumæ pictoribus inſeruiunt, ex quibus harum prouinciarum incolæ quæſtum magnum faciunt, cuius emolumenta ad reges Mexicanos redeunt. Nihil iſtis precioſius habent, & nefas grande credunt, ſi quis iſtiuſmodi aues occidat, quanquam plumas iis detrahere licitum ſit. Non niſi vnicum hic cernitur Cœnobium Dominicanorum, cum pago Indorum, in quo adoleſcentes ſunt 17. qui eo conuenerunt iuſſu religioſorum, quo commodius inſtitui poſſent. Antea enim tanquam agreſtes & culturæ omnis humanioris expertes hic illic ſparſi viuebant, nunc vero ad Chriſtianam religionem vitam componunt, & in ſecularibus certum politiæ ordinem ſeruant. Caret hæc regio Gubernatore, ſolo contenta Prætore ſummo, quem deſignat dicta Camera. Interſecat hanc medius fluuius *Zacatula*, & ad ſinum vſque dulcem, *Golfo dulce*, exſpaciatur, in quem omnes iſtius prouinciæ fluuii ſe exonerant. quorum fluxu, vti & aquarum ex altiſſimis rupibus decidentium lapſu, nimia humiditate tellus perfuſa fuit, vſque adeo, vt per eam in agris computruerit Mayzum, verum iis delapſis iam emendata eſt temperies. Leones, tigres, damas magna nutrit copia, quarum carnibus licet prædulces ſint & flaccidæ veſcuntur. Vocatur *Golfo dulce*, quia ab aquis fluuiorum per illum ſinum in mare excurrentium edulcatur. Piſces habet magnos, præcipue eos quos *Manati* vocant, Latini *Taurum* marinum. Tam leniter aquas ſecat, vt magnus quamuis nullum tamen in aquis edat ſtrepitum. inſequentes piſces dum fugit, in profundum ſe dat. Verum cum ſe quæri ſentit immani aquarum impulſu & agitatione contra luctatur. Caro eius craſſitiem carnis vaccinæ adæquat.

CAP. XIII.

De Honduras, Nicaragua, *&* Coſtarica *prouinciis.*

PRouincia & præfectura *de Honduras* iuxta oram Septentrionalem exporrigitur ad leucas plus 150. latitudinem verò ſi ſpectes à mari excurrit vſque ad confinia *Coſtaricæ* & *Guatemalæ* leucas 80. Regio montoſa eſt & ferax Mayzi, tritici, omniſque generis pecudum. Argenti & auri fodinas aliquot hic reperire eſt. Epiſcopatum habet & Caſtellanorum pagos 6. Primus in ea Epiſcopatum tenuit Frater *Iohannes de Tarauera* Prior *de Prado*, ordinis *S. Hieronymi* in Hiſpania. *Honduras.*

Ciuitas *de Valladolid* Indorum idiomate vocata *Comayagua*, eleuationem habet grad. plus 16. & 60. leucis à *Sant Iago de Guatemala* abeſt, orientem verſus, & 40. penè à mari Septentrionali. Sedes hic eſt Gubernatoris & Eccleſiæ Cathedralis, quæ anno 1558 à *Truxillo* huc translata eſt. Cœnobium vnicum habet Mercenariorum. Dux *Alfonſus de Careres* iuſſu *Petri de Aluarado* hanc regionem in prouinciæ formam redegit. Inter duo maria ſita eſt, quæ 50. leucis à ſe inuicem diſtant, à portu *de Cauallos*, qui ad mare *del Norte* eſt ad ſinum vſque *de Fonſeca*, qui ad mare eſt *del Zur*. Atque hanc viam mandato Regis explorauit *Baptiſta Antonelli.* Statuebant vtique hac via facilius à mari Septentrionali ad Auſtrale transferri poſſe merces. Verum maximis hoc iter difficultatibus obſeſſum eſſe comperit. *Valladolid.*

Vrbs *Gracias à Dios* 30. à *Valladolid* leucis penè ad Occidentem Anno 1530. colonia *Gratias à Dios.*

facta eſt à duce *Gabriele de Roias*, idque propter auri fodinas, quæ in hoc erant tractu. Varios hic Indorum inſultus idem dux ſuſtinuit, qui ſæpius ipſum, etiam intra propugnaculi mœnia, hoſtiliter adorti ſunt. Quod ipſum tandem, cum opem non ferrent gubernatores *de Honduras* & *Nicaragua* deſerere coactus fuit. Anno 1536. altera vice in vrbem hanc colonos deduxit dux *Gonzalo de Aluarado*. Vrbs *S. Pedro* 30. à *Comayagua* leucis diſtat, Septentrionem verſus, nonnihil ad Occidentem declinando, 11. vero à portu *de Cauallos* in qua ſedem habent Officiales regii. hic propter portus incommoditatem expediuntur naues. Fundator huius fuit *D. Petrus de Aluarado* claſſium præfectus, Anno 1536. *S.Pedro.*

S.Iuan. Vrbs *S. Iuan* ſiue portus *de Cauallos*, altitudinem attingit grad. 15. 11. à *S. Petro* & *Comayagua* leucis. Colonos habet partim mercatorum procuratores & inſtitores, partim Æthiopas ſiue nigros. Vocatur portus *de Cauallos*, quia in illum demerſi ſunt equi aliquot nimia tempeſtatis ventorumque vehementia.

Truxillo. Ciuitas *Truxillo* 60. leucis à *Comayagua* diſſidet verſus ortum ſolſtitialem, Plinius *Mezen* vocat, & 40. à portu *de Cauallos* verſus Orientem. Fuit hic Cathedralis Eccleſiæ ſedes. Portum habet non incommodum, qui *Ian Gillis* vocatur, ad quem primum appellere ſolent claſſes, quæ *Guatemalam* abeunt. Colonos in hanc deducere occœpit *Franciſcus de las Caſas* Anno 1524. qui cum omnes eſſent *de Eſtremadura*, vrbi nomen *Truxillo* fecit. *Ferdinandus* autem *Corteſius* poſtremum eò colonos deduxit, cum propè *Ybueras* eſſet. Vrbs *S. Iorge de Olancho* 40. à *Comayagua* leucis abeſt verſus Orientem, ciues ha- *S.Iorge de Olancho.* bet 40. territorii verò ſui ambitu Indos tributarios 16000. Multum adhæc auri fert, præcipue in fluuio *Guayape*, qui 12. hinc leucis abeſt. Hæc conuallis *de Blancho* amæniſſima eſt & aurifera, quæ cauſa fuit, quod ob hanc contētiones alias natæ ſint inter prouinciarum *de Honduras* & *Nicaragua* gubernatores, dum quiſque eam ſuæ iuriſdictioni & præfecturæ addere ſtudet. Hac quoque de cauſa *Ægidius Gonzalez Dauila* à *Ferdinando de Soto* accepit 120000. *peſos* auri, & populum, quem à *Pedraria Dauila* in ſui defenſionem acceperat, miſſum fecit. Hic aditum *Gonſalo de Sandoval* præcluſit *Gabriel de Roias*, quem ab vrbe *Truxillo Ferdinandus Corteſius* mittebat. Hic quoque ab Indis cæſus occidit *Iohannes de Gryalua*, dux celebris aliique complures. Huius prouinciæ ora tota mare Septentrionale ſpectat & ſinum *de Honduras*, qui inter hanc & prouinciam *Yucatan* interiacet donec coeant in *la Verapaz*, circa quem tractum vocatur *Sinus* ſiue *Golfo de Guanajos*. Prima cuſpis eſt illa, quam Hiſpani *punctam de Ybueras* vocant. Altitudinem habet grad. 16. nec longe abeſt à *Golfo dulce* portus *Guatemalæ*, quo loci colonos accepit *S. Gillis de Bueneuiſta*, prope promontorium *de Tres puntas*, ad Orientale latus *Golfe dulce*, fundabatque eam, Anno 1524. *Gillis Gonſalez Dauila*. Vlterius vero Orientem verſus occurrunt fluuii *Piche* & *Baxo* & *de Vlua*, qui alias *Balahama* dicitur, ante portum *de Cauallos*, cuius altitudo gradibus 15. menſuratur, quem excipit fluuius, & cuſpis *de la Sal* & *Triumfo de la Cruz* promontorium, tres habens cuſpides, quo loci *Chriſtoual de Olid* colonos accepit à *Maeſſe de Campo* Anno 1524. Poſt quos fluuius ſe offert *Hulma* ſiue *de Xagua*, & ad oſtii partem Borealem inſula *Vtila*, & verſus *Mezen* inſulę *Guayata*, *Helen*, *Guanaya* & *S. Franciſci*, vna cum cuſpide *de Truxillo*, quæ omnes inſulæ ſunt *de Guanajos*. Vocatur alio nomine dicta cuſpis *Cabo Delgado* ſiue *de Honduras*, à quo vſque ad promontorium *del Camaron* fluuii ſunt 13. Exitque circa hoc promontorium maximus in mare puluinus aut vadum, longitudine plus 20. leucarum in cuius medio non longe à littore inſula iacet magna ſatis, quam *de los Baxos* vocant: aliaque ad latus Septentrionale nomine *San Millan*. Mox prætergreſſis hunc ſcopulum ſinus *de Cartago* conſpicitur & alius *Honda* dictus, antequam ad promontorium *Gracias à Dios* perueniatur.

Quod

quod ad gradus 15. & tertiam gradus partem eleuatur, ad cuius latus Septentrionale inſulæ jacent tres *las Vitioſas* dictæ, nec non *Quitaſuenio* & *Roncador* ſcopuli periculoſiſſimi. Promontorio huic proxime ſuccedit ſinus de *Nicueſa*, nomen habens à *Nicueſa*, qui hic loci periit, Anno 1510. Sinum excipit fluuius de *Yare* altitud. 13. graduum, vbi præfecturæ *de Honduras* & *Nicaragua* concurrunt. Inſulas *de los Guanajos*, quarum iam ſtatim facta fuit mentio, aperuit primus Admiralius *Chriſtophorus Columbus*, Anno 1502. poſtrema ſua in Indiam hanc nauigatione, cum *Terram firmam*, circa littora Veraguæ detegeret. Vnde videre eſt, quam infeliciter ei hæc nauigatio ſucceſſerit. Nam ſi poſitus in Veragua ab alia quoque fuiſſet parte Nouam omnem Hiſpaniam aperuiſſet.

Prouincia & præfectura *Nicaragua*, quam *D. Diego Lopez de Salzedo Nouum Legionis* regnum vocabat, ad Occidentem *Guatemalæ* iungitur, ad Arctum prouinciæ de *Honduras*, ad Auſtrum *Coſtaricæ*, ab Oriente in Occidentem excurrit leucas 150. à Meridie in Auſtrũ, 80. Abunde fert Mayzum, cacao, goſſypium, & varii generis pecora. tritico & ouibus caret. Pagos habet Caſtellanorum 5. *Legio Nicaraguæ*, à *Sant Iago Guatemalæ* 104. leucis abeſt, ferè ad Euronotum ſita, à mari auſtrali recedit leucis 12. vicina lacui *de Nicaragua*. Sedem hic fixere prouinciæ Gubernator, officiales regii, & Eccleſia Cathedralis. Primus hic Epiſcopatu functus eſt *Diego de Aluarez Oſſorio*. Quinq; habet collegia Mercenariorum, & Indos tributarios 20000. Vrbs *Granada* 16. à *Legione* leucis diſtat, à duce *Franciſco Hernandez*, vti & *Legio*, condita eſt Anno 1523. Sita eſt *Granada* ferè ad Zephyronotum ad ripam magni lacus, à portu *Realejo* abeſt 24. leucis. Præterea in ora iſtius lacus eſt *Lindiri*, & mons *Maſſayatan*, perpetuo ardens. In lacu hoc maris adfluuium & refluuium aquarumque incrementa & decrementa percipiuntur. Multis conſperſus eſt inſulis ad mare vſque Septentrionale, ad fretum vſque dictum *el Deſaguadero*. Abundat piſcibus & *Caymannis*. 2. hinc leucis, à *Granada* vero 7. mons ſpectatur ardens *Mombacho* dictus, miræ altitudinis, arboribus frugiferis, quibus tota luxuriat regio, conſitus. Iudicabat ſacerdos quidam materiam ignis perpetuo in monte *Maſſaya* ardentis eſſe aurum. Ideoq; confecto artificioſe lebete & longiore catena ad exhauriendam auri maſſam eundem in intimas montis partes demittebat, verum priuſquam latentem ignis focum attigiſſet, flammæ vi liquefactus lebes inſtar plumbi diffluebat. Noua *Segouia* prima colonia *Pedrariæ*, 30. à *Legione* verſus Arctum leucis recedit, totidemque à *Granada*: Huius ditio magnam auri copiam ſuppediat. *Iaen* vrbecula 30. à mari Septentrionali leucis diſtat, ſitaque eſt, qua parte lacus magnus *de Nicaragua* deſinit, ſeque in eundem lacum exonerat fluuius *Deſaguadero*. Merces hac devehi ſolent lintribus, quos *Canoas* vocant, quas ex vrbe *Nombre de Dios*, nunc vero è *Porto Belo* aſportant.

Prouincia Nicaragua. *Legio.* *Granada.* *Noua Segouia.* *Iaen.*

Vrbs *Realeio* vna leuca à portu *de Poſſeßion* abit. Altitudo ei eſt graduum 11. cum ſemiſſe. Portus eſt omnium, quos iſta ora habet, commodiſſimus & tutiſſimus. Naues hic exſtruunt idoneas à lignorum copia & bonitate inſtructi. Multi in hac prefectura ſupputantur pagi Indorum, quos frequentes incolunt tributarii. In limitibus verò præfecturæ & *Coſtaricæ* & *Nicoyæ* 48. à Granada leucis iuris dicundi ſedes eſt, quæ vti & inſula *de la Chira* iſtinc 8. in mare excurrens leucas, habet plurimos tributarios Indos, antea Cameræ ſiue Audientiæ *Panamaidis* ſubditos, vſq; ad annũ quo Caſtellanorũ Regis ſceptro addita fuit *Coſtarica*. Huius gubernator alium ſuo loco ſubſtituit. vti & Epiſcopus *Nicaraguæ* vicarium. Portum habet ſic ſatis commodũ. ad oram quoq; maritimã, quæ mare *del Norte* ſpectat, fluuius eſt *Yare*. quo interlabente à prouincia *de Honduras* hæc regio ſeparatur. Poſt hunc alius ſequitur *Tairepa* nomine, quem excipiunt in eadem ora fluuius & portus de *S. Iuan*, quem de *Deſaguadero* vocant, aliique complures Coſtaricam irrigantes. *Realeio.*

Ad oram Auſtralem verſus *el Realejo* portus eſt S. *Iago*, ante portum *de la Chira* & *de Paro*, è regione *Nicoyæ*, idque in ſinu dicto *Golfo de Salinas*, ante portum *de San Lazaro* & promontorium *de Borica*, ad cuius latus Orientale inſulæ occurrunt *S. Maria, S. Martha, Cobaya*, & *Sebaco*, prope fines *Veraguæ* Coſtaricæ finibus conterminos. Anno 1529. colonia facta eſt vrbs *Bruſelas* ad oram *Nicaraguæ*, qua Meridiem reſpicit, verum *D. Diego Lopez de Salcedo* colonos eoſdem alio traduxit, propterea quod in eam recepiſſent *Petrum de los Rios* gubernatorem *Caſtellæ del Oro*, cum ad ſuſcipiendam *Nicaraguæ* præfecturam huc contenderet, cui ab eodem *Salcedo* præfectus fuit. Anno 1524. in eam colonos deduxerat dux *Franciſcus Hernandez*, ſitaque eſt, in regione *de Vritina*. ab vna ſui parte mare adſpectabat, ab altera camporum planitiem, & aliqua ſui parte montes fodinis celebres. Nec vllus Noui orbis populus linguæ Caſtellanæ peritior eſt Nicaraguenſium gente.

Coſtarica. Prouincia & præfectura *Coſtaricæ* regionum Indiæ Borealis maxime ad Orientem vergens, necnon Camera *Guatemalæ* longitud. habet ab Oriente in Occidentem 90. leucarum, à finibus *Veraguæ* vſque ad fines *Nicaraguæ*, cui ad Septentrionem & Occidentem iungitur. Pagi in hac ſunt bini. Regio eſt vaſta, multas habens auri arrugias, & nonnullas etiam argenti. Vnus iſtorum locorum eſt vrbs *Araniuez* 5. leucis ab Indis *Chomes* diſtans, qui populus ſunt ad iuriſdictionem *Nicoyæ* pertinens.

Carthago. Ciuitas *Carthago* 40. à *Nicoya* leucis, 20. verò à maris littore penè in regionis vmbilico eſt. Habet hæc portum, vnde naues ſoluunt in mare Pacificum & *del Norte*, necnon flumina aliquot inter *Nicaraguam* & *Veraguam*, & ſinus aliquot, nempe ſinum de *S. Hieronymo* & *de Caribaco* in confinibus *Veraguæ*.

Inſeratur hic Tabula 7.

CAP. XIV.

De India Auſtrali.

INdiæ pars *Auſtralis*, perperam *America* dicta, totum illum terræ tractum continet, qui ab vrbibus *Nombre de Dios* & *Panamaide* Meridiem verſus patet, cui includuntur *Terra firma*, regna *Peruuiæ*, & *Peru Chili*, Indis *Chille* dicta, prouinciæ freti *Magellanici*, & fluminis iſtius celebratiſſimi *de la Plata*, & *Braſilia*. Audientias ſiue Cameras habet quinque, nempe eam, quæ eſt in *Panamaide*, in nouo regno *Granatenſi*, in *S. Franciſco de Quito, Lima*, & *los Charcas*. Præfecturæ hic recenſentur vndecim. Pars oræ à mari Atlantico alluitur, pars ab Auſtrali, in quibus vt plurimum dominantur Auſtri & Zephyronoti, qui cum præter indolem ſuam placidiores hic ſint, horum locorum calorem temperant, & terram habitabilem eſſe faciunt. Nullis irrigantur imbribus, nec vlla infeſtantur grandine, præterquam in exigua diſtantia. Interſecant Indiam hanc montes *Cordilleras* dicti; qui in duplici ſunt differentia, licet ad eandem poli altitudinem aſſurgant: quidam ſyluis & nemoribus conſiti ſunt, & perpetuos percipiunt imbres, ſitu aëris calidiore; alii arboribus omnibus prorſus carent, temperie aeris cum per æſtatem tum per hyemem frigida. Hi montes *Cordilleras* alio nomine *Andes* ſiue *Sierra* vocantur, faſtigiis hic illic altiſſimis, parique tractu ac ſerie in 1000. leucas protenſi. Varii generis animalia in his nutriuntur; qua vero parte patent, conualles habent habitationi perquam idoneas, quales ſunt *Xauxa, Andaguaylas*, & *Tucau*. In montibus quoque *Andes* dictis

diuerſæ


Nombre de dios
Vrana
Cartagena
R. grande d la Madalona
Margarita
Panama
Venezuela
Laguna de maracaibo
Paria
C. Pasao
ÆQVINOCIAL
Pº Viejo
R. de los Amazonas
C. de S. Agustin
BRASIL
PERV
Callao
MAR DEL SVR
Arica
TROPICO DE CAPRICORNO
C. Frio
B. de S. Viçente
Pª de Chile
R. de la plato
C. de S. Maria
C. Blanco
MERIDIANO DE LA DE MARCACION
Pº de S. Iulian
C. de las Virgines
Yª de S ynes
Cabo del nombre de Iesus
Estrecho de Magallanes
DESCRIPCION DE LAS INDIAS DE MEDIODIA
7

RPJCB

PPJCB



DESCRIPCION DEL AVDIENCIA DE PANAMA

8

diuerſæ ſpeciei pecora magna fœcunditate generantur, qua vero ſupra vrbem *Cuſco* excurrunt, ampliſſima occurrit planities, quæ prouinciam de *Collao* conſtituit, infinitis fluminibus irriguam, multiſque inſignem lacubus, & paſcuis, ſed ſoli vicio ſyluis & arboribus carentem, quantumvis aere fruatur ſaluberrimo, & habitatorum abundet frequentia. Poſt hanc *de los Charcas* prouinciam, *Sigue* iacet, miræ fertilitatis regio, cœli temperie calida, collibus & rupibus aſpera, auri-fodinis locuples. Figuram huius Indiæ præmiſſa exhibet Tabula.

Inſeratur hic Tabula 8.

Cap. XV.

De diſtrictu ac limitibus Audientiæ ſiue ſupremæ curiæ vrbis Panamaidis ſiue Panamæ.

AVdientia ſiue Camera *Panamæ*, quæ primum *Caſtella del Oro*, hoc eſt, *Caſtella aurea* dicta fuit, & poſtmodum *Terræ Firmæ* nomen accepit, anguſtis valde limitibus coërcetur. Sedes hic eſt ipſius Cameræ ſiue ſupremæ Curiæ, idque ad expediendas claſſes & merces quaslibet, quæ in *Peru* commeant & remeant. Longitudo eius ab Ortu in occaſum leucarum pene eſt 90. à confinibus præfecturæ *Cartagenæ* & *Popayan*, ad vſque *Caſtillo de Veragua*. Latitudo vero à mari Pacifico ad mare vſque Septentrionale verſus occaſum leucarum eſt 60. & amplius, at inter *Nombre de Dios* ſiue *Portobelo* & *Panamam* 18. Regio omnis montib. & rupibus præruptis aſpera eſt, paludoſa, temperie calida & humida, quæ multorũ morborum à Maio ad Nouembrẽ vſq; graſſantium fœcunda eſt parens. Solum ſterile eſt, &, cum parce admodum Mayzum ferat, multarum rerum inopia laborat. paſcua tamen vaccis aliiſque pecoribus lætiſſima præbet. Sub huius Cameræ diſtrictu præfectura *Veraguæ* continetur, & ad hanc, vti & ad præfecturam *Panamæ* ſequentes referuntur vrbes.

Vrbs *Panama* in ipſa ora maris Pacifici ſita eſt, latitudinem habens gradum 9. longitudinem vero à meridiano Toletano grad. 82. à quo recta linea abeſt leucis 1560. Ciues habet 600. magna ex parte mercatores & negociatores. Reſident hic præter Curiam ipſam, redituum regiorum officiales, & gaza regia, quæ ſtatim ab advenientibus claſſibus excipitur. Cathedralem inſuper Eccleſiã habet, ſed ſuffraganeam Archiepiſcopatus *de los Reyes*, cœnobia tria, Dominicanorum, Franciſcanorum & Mercenariorum. Portus illi ſic ſatis opportunus eſt, hærentibus tamen ſubinde in vado eius ſub maris refluxum nauibus, quæ æſtatis tempore ad ipſam portus actam ſiue crepidinem appellunt, rigente vero bruma in portum *Perico* duabus ab vrbe leucis ſe recipiunt. Primus in eam colonos deduxit *Pedrarias Dauila*, cum gubernatoris titulo *Caſtellæ auræ* præeſſet, invitis ciuibus *veteris S. Mariæ del Darien* Anno 1519. poſt quæ ſtatim tempora Cathedralis hic eccleſia conſtituta fuit, loco non vſque adeo ſalubri & idoneo, idque propter maris Auſtralis commercia. *Panama.*

Vrbs *Nombre de Dios* condita demum eſt Anno 1510. à *Diego de Nicueſſa*, & poſtmodum juſſu *Pedrariæ* à *Diego Albitez*. Portum eius deprehendit primus Admiralius, poſteaque in *Portobelo* translatus eſt, quod nomen illi indidit, propterea, quod ſalubrior & onerandis exonerandiſque claſſibus aptior eſſet futurus, magiſque nauium ſtationi *Nombre de Dios.*

 idoneus.

idoneus. Ex noua vrbe *S. Philippe* arcem & propugnaculum fecit Baptiſta Antoneli, & in vlteriore portus ripa aliud quoque munimentum ad aditus cuſtodiam & tutelam deſignauit. Duplici via merces à Portobelo in Panamam devehuntur, vna terreſtri *Carouanibus* 18. leucarum interuallo, quæ facilior eſt ea via quæ per *Nombre de Dios* inſtituitur: altera per mare & fluuium *de Chagre*, cuius oſtium 18. à Portobelo abeſt leucis Occaſum verſus, & hinc porrò *Carouanibus* itur *Panamam* vſque 5. leucarum itinere.

Nata. Vrbs *Nata* 30. à Panamaide leucis verſus Occaſum recedit ad oram quoque maris *del Zur*. Colonis eam donauit *Franciſcus Compagnon*, ex mandato *Pedrariæ*, vt in bellis, quæ cum *Cazique Vrraca* gerebantur, propugnaculi loco eſſet. *Acla* colonia fundari cœpta eſt à Duce *Gabriele de Roias* eiuſdem *Petrariæ* iuſſu, ad littus maris Atlantici & initium ſinus *de Vraba*, è regione inſulæ *de Pinos*. Verum huius memoria prorſus interiit, ex quo tempore diem ſuum hic obiit dux fama celebris & maris præfectus *Baſco Nuñez à Baluoa*, cuius immortale erit apud poſteros nomen. In hiatibus ac fiſſuris montis *Almagro*, & circa fluminis *Chiepo* principia aurum reperitur, quod ſuperioribus temporibus copioſe hic eruebatur. Abundant flumina omnia *Caymannis* piſcibus qui primis harum regionum detectoribus multum negocii faceſſiuerunt, & homines aliquot deuorauerunt. Accidit forte, vt, cum nauem conſcendiſſet quidam prope aulam regis *Panamæ* à *Caymanno* retractus fuerit à nauis puppi, qui cum prædam in rupem ſubuexiſſet & iam ad diſcerpendam eam ſe comparaſſet ſclopeto ictus concidit, & morituro iam iam homini hoc reliquum fecit, vt non niſi accepto Eccleſiæ Sacramento è viuis excederet.


Veragua. Prouincia *Veraguæ* altitudine grad. 10. Coſtaricæ ad Occidentem contermina eſt, longitudine ab ortu in occaſum leucarum 50. latitudine 25. Regio omnis montoſa eſt vaſtiſſimis cincta nemoribus & vepretis; verum hortis, pecore, tritico, & hordeo carens. Parum habet Mayzi & herbarum hortenſium. Mimeris auri paſſim perfuſa eſt. auri fodinas habet in fluuiis & montium fiſſuris prædiuites, necnon Indos armis & bellis exercitatos. Eſt in ea vrbs *de la Conception* 40. à *Nombre de Dios* leucis Occidentem verſus, in qua ſedem habent gubernator & officiales, qui hodie à Curia Panamenſi deſignantur. Vrbs *Trinidad* 6. à *la Conception* leucis à mari tribus recedit. Ad eam, cum terra iter neget, non niſi per mare peruenire datur. Vicinus vrbi *la Conception* eſt fluuius *Belen*.

La conception.

Santa-Fe. *Carlos.* Vrbs *Santa-Fe* 12. *à Conception* ſita leucis verſus meridiem domos habet fuſorias, & Officialium procuratores. Vrbs *Carlos* ad oram maris Auſtralis 30. à *Santa-Fe* leucis verſus occaſum ſita eſt. Quotquot huic præfecturæ ſubſunt Indi cum Hiſpanis bellum gerunt. Nullum inſignem habet portum tum Septentrionalis tum Meridionalis huius præfecturæ ora. Fluuios, portus & promontoria hæc habet; Sinum *de Carabaco* ſiue *S. Hieronymi* ad oram maris Atlantici & fines Veraguæ, verſus latus eius Orientale: fluuium *de la Trinidad* & *de la Conception*, & iam ſupra nominatum *Belen*; quo loci primus Admiralius colonos primum deduxit in *Terram Firmam*, Anno 1503. ſed non ita diu poſt alio translatos; inſulam *de Eſcudo* imminentem vrbi *la Conception*: fluuium *de Chagre* & vna leuca vlterius, verſus Orientem *del Portete*: quouſque in huius oræ detectione peruenerat eodem anno Columbus: portum *Langoſtas* 12. à Nombre de Dios leucis ad occaſum; portum *de Gallinas* grad. 9. portum *Buenauentura* 6. grad. Portum *Belo* 5. grad. altitud. è regione vero inſulas *de las Miras* & *de Baſtimentos*; hæc poſt duabus à Nombre de Dios leucis Orientem verſus fluuium de *Sardinilla*, quatuor vero leucis

fluuium

RPJCB



DESCRIPCION DEL AVDIENCIA DEL NVEVO REINO
9

fluuium *de Sardinilla*, quatuor vero leucis fluuium *de Sardina*, necnon fluuium *de Mayz*, & *de Culebras*; octo leucis fluuium *de Franciſco*: & Sinum de Vraba, in quo *Bacchiller Enciſo* Anno 1509. condidit vrbem *de Sancta Maria*, ſiue veterem *del Darien*. Fuit autem hic *Bachiller Enciſo* idem iſte, qui perhibebat in *Caſtella aurea* loca eſſe & tractus, in quibus aurum retibus captum exciperetur, quæ res plurimos mouit vt in Indiam proficiſcerentur ſub ductu *Pedrariæ Dauila* Anno 1514. Verum Anno 1513. diſceſſit ex vrbe *Darien* maris præfectus (*Adelantado* vocant Hiſpani) *Baſco Nuniez de Balboa*, quæſiturus mare Auſtrale, quod & ipſius ſtudio & inquiſitione detectum eſt. Cuſpis inſulæ *Catiuæ* poſita eſt ante ſcopulum de *S. Blas*, & inſulam *Comagre*, & *de Pinos*, vlterius in ipſo ſinu *de Vraba* iacentem. In intimis vero ſinus huius partibus portus eſt *de Nilcos*, propè oſtium fluminis *del Darien*; quo limites huius præfecturæ à limitibus præfecturæ *de Cartagena* ſeparantur. Eſtque hic *Culata de Vraba*, quo loci *Alphonſus de Oieda* coloniam fecit *S. Sebaſtiaen de Vraba*. Sinus hic altitudinem habet gradum 8. 14. verò leucis intra terras ſe abdit. qua incipit 6. leucarum habet latitudinem, vlterius progrediendo 5. qua vero terminatur 4. At 5. leucis à ſinus ripa quondam fuit vrbs *S. Martæ*, ſiue vetus *del Darien*.

Ad oram Meridionalem promontorium ſpectatur *S. Mariæ*, & Cuſpis *de Guerra*, & priuſquam Panamam venias, ſinus *de Parita* ſiue *Paris*, vbi vrbs *Nata* ſita eſt; Cuſpis adhæc *de Chiame*, regio de *Carique Chiapes*, amiciſſimi præfecto *Baſco Nuniez de Balboa*, cuius opera in terrarum harum detectione vſus fuit. Panamam ſi prætereas fluuius occurrit *Coquira* ſiue *Chepo*, & alius *de la Blaſa*, ſiue *cogos*, in intimis ac profundiſſimis partibus ſinus *de S. Miguel* ad plagam Auſtralem & Borealem inſulæ *de Perlas*; cuſpis inſuper & portus *de Pinias*, in ipſo ſinus introitu eſt ad meridiem, qui 50. à Panama leucis abeſt, ab Vraba vero 20; denique portus *Quemado* propè promontorium *de Corientes* altitudine graduum 50.

Inſeratur hic Tabula 9.

Cap. XVI.

De diſtrictu ac finibus Cameræ Santa-Fe de Bogotá *ſiue* nouo regno Granatenſi.

TErritorium Cameræ *Nouæ Granadæ* ab Oriente in Occidentem 300. leucis protenditur, & totidem à Meridie in Septentrionem, quibus includuntur Prouinciæ Noui regni, præfecturæ *S. Martæ* & *Cartagenæ*, necnon pars regionis Popayan, & in confinibus Prouinciæ *del Dorado*, ſiue *nouæ Eſtremaduræ*. Prouincia *noui Regni*, quæ Cameræ imperio ſubeſt 14. leucas longitudinis ſuæ numerat, 80. latitudinis. Regio eſt plana, maximamque eius partem valles & montes conſtituunt. A paſcuorum bonitate commendatur, vt & à Pecorum omnis generis multitudine. Variis tractibus Mayzum triticum, fructuſque alios Caſtellanos profert. Aurum quoque ſuppeditat, idque puriſſimum, æris inſuper & coloris cœrulei fodinis celebrata. Indigenæ agiles ſunt, negociatores ſtrenui, veſtibus ex goſſypio contextis induti. Vrbes hæ fere in ea ſupputantur: Vrbs *Santa-Fe de Bogota*, condita ad montis Bogotæ radicem, ita dicta à *Carique*, cui nomen erat Bogotæ, in quam colonos deduxit *Gonzalo Ximenez de Queſada* Santa-Fe de Bogota.

ſada Thalaſſiarcha, qui cum natione eſſet Granatenſis nomen quoque & vrbi & regno dedit; licet partem quoque eius detexiſſent Thalaſſiarcha *Belalcazar* & *Nicolaus Federman*. Longitudinem habet grad. 72. cum dimidio, à Meridiano Toletano, hoc eſt leucarum 1440. & quatuor verſus Arctum ab Æquinoctiali gradibus abit. Ciues habet plus quam 600. Reſidentque hic Camera, Officiales redituum regiorum, ærarium, domus fuſoria, Cathedralis & Metropolitana Eccleſia, cui ſuffraganeæ ſunt, *Popayan*, *Cartagena*, & *S. Martha*. Cœnobium habet Dominicanorum & Franciſcanorum, & Indos tributarios plus quam 50000. lacum adhæc *de Guatauita*, quo in loco Idolis honorem diuinum exhibebant Indi, magnaſque auri gazas in ſacrificium iiſdem obtuliſſe creduntur.

S.Miguel. Vrbs *S. Michaelis in Santa-Fe* territorio 12. ab ea leucis ad Septentrionem ſita, hoc conſilio condita eſt, vt ex ea commode commerciorum ſocietas iniri poſſet cum Indis *Panches* dictis, qui climate viuentes calidiore non ſine valetudinis manifeſta noxa in vrbem *Santam-Fe* climate ſitam frigido negotiatum ibant. Vrbem *Tocayma* 15. à *Santa-Fe* leucis diſſitam verſus Occidentem declinando nonnihil ad Septentrionem coloniam fecit Dux *Ferdinandus Vanegas*. Sita eſt ad ripam præſtantiſſimi fluminis *Pati*, qui in fluuium *de la Magdalena* ſe exonerat. Cœnobium habet vnicum Dominicanorum. Aurum non fert, nec rore nocturno adſpergitur, omniumque eſt calidiſſima. Nullo communi idiomate vtuntur huius *Noui regni* incolæ, quamquam maxime vigeat illud, quo Indi *Panches* vtuntur in Prouincia *los Muſos* & *Colimas*, quam alio nomine *Canapes* vocant, longitudine leucarum 25. & latitudine quæ verſus Mezem extenditur 13. Regio eſt inculta, ſalubris, paſcuis diues, auro & ſmaragdis abundans. *Trinidad.* Vrbs *Trinidad* duplicem coloniam conſtituit, & 20. à *S. Fe* leucis diſtat verſus Thraſciozephyrum. Incolas accepit à Duce *Ludouico Lanchero* Anno 1582. quo tempore cum Indis *Moſcas* dictis bellum gereret, hominibus vafris ac timidis. Hæc iuriſdictio locupletem habet fodinam ſmaragdorum, plurimoſque Indos nondum ſceptris regis Hiſpaniarum ſubditos.

La Palma. Vrbs *de la Palma* in *los Colimas* calidæ magis quam frigidæ temperiei 15. à *S. Fe* leucis verſus Thraſciozephyrum, condita eſt Anno 1572. à Duce *de Gutiere de Oualle* in Prouincia *de Tunia*, quæ nomen habet à ſuo *Cazique*, recta fere ad Septentrionalem *Bogotæ* plagam, & 22. vti & *Tunia* vrbs à *S. Fe* leucis remota. Exſtructa hæc fuit in altiſſimo monte, vt in bello, quod aduerſus Indos gerebatur, propugnaculi loco eſſet. Ducentos hæc vrbs ad bellum mittit equites, & commeatus omniumque rerum ad vitæ humanæ ſuſtentationem neceſſariarum abundantia aliis regionibus longe præcellit. Nulla totius huius regni parte magis feruent mercaturæ ſtudia quam hac ipſa in vrbe. Cœnobia habet duo, Dominicanorum vnum, Franciſcanorum alterum. Colonos in eam deduxit Dux *Gonzala Xuarez Rondon* auſpiciis *Gonzali Ximenez de Pulſada* Thalaſſiarchæ. *Pamplona.* Vrbs *Pamplona* 60. à *Santa-Fe* leucis verſus Meſen ſita cœnobium vnum habet Dominicanorum. Auri & pecorum eſt feraciſſima. Exſtructa eſt iuſſu *Michaelis Diaz de Armendariz* licentiati. Vrbem de *S. Chriſtoval* 13. à *Pampelona* leucis Septentrionem verſus coloniam fecit Dux *Franciſcus de Cacires*, in confinibus regionis *de la Grita*, cuius nominis origo hęc eſt: quod his in locis Indi ex montibus proſilientes impetum in Caſtellanos feciſſent, magno in eos irruentes clamore & ſtrepitu. Alendo pecori perquam eſt idonea, licet aurum ferat parcius.

Belez. *Merida.* Vrbs *Merida* in finibus ſita eſt præfecturæ Venezuelæ & Noui regni, regione fœcunda tum auri tum tritici prouentu. Vrbs *Belez* 13. à *Santa-Fe* leucis ad Boream & 15. à

Tunia

Tunia, cœnobium vnum habet Franciſcanorum. Colonos accepit à Duce *Gonzalo Ximenez Rondon.* Olim tonitruorum hic ſtrepitus & fragor audiebatur frequens, ſed nunc infrequentius, quia huic naturæ malo peculiari virtute occurrit Sacramentum altaris. Mons hic eſt perpetuo ardens lapideſque & ſaxa euomens.

Vrbs *de Mariquita de Ybague*, alias *S. Sebaſtiaen del Oro* dicta, 40. à *S. Fe* leucis verſus Thraſciozephyrum, colonos accepit anno 1551. à Duce *Pedroſo*, ſitaque eſt in campi planitie ad montium radicem, temperie aeris calidiſſima. *S. Sebaſtiaen del Oro.*

Vrbs *Ybague* 30. à *S. Fe* leucis pene ad Occidentem, prima eſt Noui regni colonia, contermina *Popayan.* Colonos in eam deduxit *Andreas Lopez de Galarza* anno 1551. iuſſu Supremæ Curiæ, ad occurrendum excurſionibus Indorum, quibus ciues *Tocaymæ* & *Cartaginis* infeſtabant, vtque tutus pateret aditus in præfecturam *Popayan.* Cœnobium in ea vnicum eſt Dominicanorum. *Ybague.*

Vrbs *de la Victoria de los Remedios* 50. leucis à *Santa-Fe*, verſus Thraſciozephyrum, auri fodinis ditiſſima eſt. *La Vitoria de los Remedios.*

Vrbs *de S. Iuan de los llanos* 50. à *Santa Fe* leucis verſus Meridiem auro locuples eſt. Colonos ex vrbe *Tudela*, quæ in hac quoque præfectura eſt ſita, abduxit Dux *Petrus de Vrſua*, iuſſu *Michaelis Diaz de Armendariz* licentiati, hac de cauſa, quod hoſtiliter agerent cum Indis *Moſchas* dictis. Septem ad hanc Noui regni Cameram pertinent loca præfecturæ *de Popayan, Santa-Fe del Antiochia, Caramanta, Arma, Anzerma, Cartago, S. Sebaſtiaen de la Plata, & S. Vincent de los Pazes.* *S. Iuan de los llanos.* *Tutela.*

Devehuntur in Nouum hoc regnum merces per flumen maximum *de la Magdalena*, à *Malambo*, iuriſdictionis Cartagenæ. Detectum fuit hoc flumen auſpiciis *Carciæ de Lerma* gubernatoris *de Santa Martha* Anno 1531. Tanta aquarum rapiditate & fluxus impetu in mare excurrit, vt niſi longius ab eius oſtio receſſerint prætereuntes naues, maximum diſcrimen incurrant. Sita eſt in eius faucibus inſula. Nauigabile eſt ad leucas 150. & amplius, & plus quam 300. leucis in loca mediterranea diffunditur. Ex duobus fontibus ſupra *Popayan* originem ducit, qui 40. à ſe inuicem leucis diſtant, moxque coeuntes flumen hoc faciunt. *Madalenæ* nomen accepit hac occaſione, quod feſto *S. Magdalenæ* detectus ſit eius aditus, altitudine grad. 12. A Cartagena abeſt 26. leucis. *Fluuius la Magdalena.*

Prouincia & præfectura *S. Martæ* ad oram *Terræ Firmæ*, inter *Cartagenam* & fluuium *de la Hache* ad leucas 20. extenditur. Ferax eſt mayzi, & *Batatas*, aurum & æs copioſe ſuppeditat, necnon ſmaragdos alioſq; pretioſos lapides. Quinque habet Caſtellanorum pagos, indigenas plurimos, eoſque belli ſtudiis exercitatos. *Præfectura S. Marta.*

Vrbem maritimam *S. Marthæ* coloniam fecit *Baſtidas* claſſium præfectus, Anno 1525. altitudine grad. 10. longitudine 74. à meridiano Toletano 1420. leucis abit. Sedes eſt gubernatoris & Officialium regiorum, & Eccleſiæ Cathedralis ſuffraganeæ Noui regni. Portum ſic ſatis commodum habet. Quatuor hæc præfectura habet prouincias, *Pozuguam, Beronam, Chimicam,* & *Tayronam*, quod, ſi interpreteris, *fornacem* ſignificat, quia in hac prouincia incredibilis eſt copia metallorum, & maximi precii lapidum. *Vrbs S. Marta.*

Teneriſe prope fluuium *la Madalena* ſita eſt, 40. à *S. Martha* leucis pene ad Zephyronotum. Colonos in eam deduxit *Franciſcus Henrici*, iuſſu *Gonzalui Perez* qui ex mandato Thalaſſiarchæ *Lugo*, Santæ Martæ imperium tenebat. *Tamalameque* ſiue ciuitas *de las Palmas*, 65. à *Santa Martha* verſus meridiem leucis à *Teneriſe* 25. duobus ferè à fluuio Magno colonos accepit Anno 1561. à Duce *Bartholomæo Dalua.* Vrbs *de los Reyes*, in valle *Vpari* ſita reſpectu S. Marthæ ad *Euro-notum* 50. ab ea leucis, 30. verò à fluuio *la Hacha*, ferax *Teneriſe.* *Tamalameque.* *De los Reyes.*

Mayzi

Mayzi pecorum,& omnis generis commeatus,etiam æris.colonia facta eſt à Duce *Santana*,iuſſu *Michaelis Diaz* licentiati.Ante hanc *la Ramada* colonos acceperat, primum dicta *Noua Salamanca*,40. à *Santa Martha* leucis Orientem verſus 8. à fluuio *La Plata* leucis,ad torrentes montium *Neuada*,in valle *Vpari*. Tanta hic æris, quanta lapidum eſt copia. Merces huius præfecturæ in Nouum regnum deferuntur per lacum huius vrbis 8. ab eadem leucis verſus mare & 12. à *Melambo*.

Ocania. Sita quoque in hac præfectura eſt *Ocania* , antea dicta *Santa Ana* , in quam anno 1572. colonos deduxit *Franciſcus Hernandez* militum dux. In ora quoque huius præfecturæ fluuius eſt *Buhia*,prope *Ramadam*,aliuſque *Piras* dictus, vti & fluuius *de Palamino* , in quo merſus periit dux quidam eiuſdem nominis. Sunt in eadem promontoria *los Ancones de Buritaca* & *del Aguia*,prope *Santam Martam* ex aduerſo montis *Bondæ*,& fluminis *de Gayra* verſus Occidentem.

Cartagena. Prouincia & præfectura *Cartagenæ* ad oram Terræ Firmæ & maris Atlantici longitudine ſua ab Oriente in Occidentem excurrit,à fluuio *la Madalena* ad fluuium *del Darien*, 80. vero leucis à Meridie in Septentrionem,totidemq; ad confinia vſque *Noui Regni*,quanquam diſtantia hæc adhuc major eſſe credatur. Regio montoſa eſt,& rupibus aſpera. Valles habet altis arboribus conſitas. Aerem habet pluuium & humidum. Sata Caſtellana ſemen non ferunt. Nec tritici nec auri ferax eſt,niſi in quibuſdam tractibus. Magna hic reſinæ & aromatici gummi,nec non aliorum ſuccorum copia ex arboribus colligitur. Adhæc ſanguis draconis,balſama fragrantiſſimi odoris , maximarumque facultatum.

Ciuitas Cartagena mari vicina duabus à cuſpide *de la Canoa* verſus Occidentem leucis abeſt, latitudine grad. 10. longitudine 76. à Toleto leucis 1470. Ciues habet plus quam 500. interque eos muliebris ſexus ſupra 200. Sedes eſt Gubernatoris, eorumque qui reditibus regiis præfecti ſunt , nec non gazophylacii,& Eccleſiæ Cathedralis ſuffraganeæ noui Regni.Cœnobium habet Dominicanorum.Sita eſt in planicie ac peninſula Septentrionem contra.Littus eſt vaſtum & vadoſum valde, & parte quadam brachii inſtar in mare excurrit,ita vt lacum efficiat *de Canapote*,qui vti maris æſtus iiſdem horis adfluit & refluit. E ciuitate per pontem itur in ipſam continentem,qui inſtar viæ ſtratæ aditum & exitum prębet,longitudine 250. circiter paſſuum.Fundata eſt loco arenoſo,ſinuſque habet & maris diuerticula,in quibus dulces aquas reperire eſt. Temperies aeris ſubinde inſalubrior eſt,quanquam minus,quam ora vrbis *Nombre de Dios*,idque propter fœdos ſtagnorum & lacuum halitus,qui dolorum morborumq; cauſa ſunt. Portum habet cum aliis Indiæ totius portubus commoditate certantem,quanquam maiorum nauium ſtatio paulo ab ipſa vrbe remotior ſit. In ipſo vrbis aditu inſulam adſpectat ſimilem inſulæ *Eſcombreræ* in Cartagena Caſtellanorum.quæ cauſa fuit,quod vrbem hanc *Cartagenam* quoque vocauerint,inſulam vero,*de Codege*,hodie *de Carex*.Longitudo duarum eſt leucarum,latitudo vnius aut paulo amplius.Sedem hic olim piſcatores Indi fixerant. Aqua caret.Primus Carthagenam detexit *Rodrigo de Baſtidas* Anno 1502.& anno 1504.terram conſcendit *Iohannes de la Coſa*,reperitq; ibidem *Lodouicum Guerra*.qui primi bella geſſerunt cum Indis,hominibus ſuperbis ac audacibus. Pugnabant hic non viri ſolum,ſed & fœminæ,quibus arma erant venenatæ ſagittæ,quibus læſos crudeliter enecabant.Poſtea huc reuerſus eſt *Alphonſus de Oieda* comitatus *Iohanne de la Coſa* ſupremo nauium ductore , & *Americo Veſpuſio* nauta , & paucis poſt annis colonos in eam deduci curauit *Gregorius Hernandez de Obiedo*. Anno 1532. colonis hos tractus auxit *Petrus de Heredia* natus Madritii , magnamque harum regionum partem ſubdidit , quanquam

magnis

magnis laboribus & non ſine aſtu & vario ſtratagemate. Negotium ſiquidem illi erat cum gente bellicoſa, in qua fœmina erat 18. circiter annorum, quæ, antequam ſe in manus hoſtis ſui dabat octo Caſtellanos arcu ſuo ſtrauerat.

Vrbs *Sant-Iago de Tolu* ſex à mari leucis jacet verſus Zephyronotum ſi Cartagenam reſpicias, à qua leucis recedit 12. Ad eam partim mari itur, partim per loca paludoſa & montes. Regio eſt aëre gaudens ſaluberrimo, ab agrorum cultura, pecorum fœcunda propagatione & ſeminum Caſtellanorum vbere prouentu laudata. Colonos accepit à Thalaſſiarcha *D. Petro de Heredia*. Vrbs *Maria* 32. à Carthagena leucis verſus Auſtrum colonis inſtructa eſt Anno 1534. ab eodem *Petro de Heredia*. Vrbs *Santa Cruz de Mopox* 70. à Carthagena leucis ad ripam fluminis *de la Madalena*, ſita eſt, tractu minus ſalubri, idque propter ſtagna & paludes, quibus vndequaque cingitur. Colonos in eam deducebat dux quidam *Petrus de Heredia* Anno 1535. *Bachiller Enciſo* colonos deduxit in *Santam Mariam veterum del Darien* in eadem ſitam præfectura Anno 1599. abductis è *Sinte Sebaſtiaen de Buena Viſta* colonis, quos eo deduxerat eodem anno Dux *Alphonſus de Oieda*, in ſinu *de Vraba*, eoſdem reducente in *Sinte Sebaſtiaen*, Duce *Alphonſo de Heredia*, ſitaque erat hæc vrbecula *S. Sebaſtiani* in paruo colle dimidia penè à mari leuca. Anno verò 1537. magnam militum manum ex eadem deducebat *Ioannes de Vadillo Licentiatus* & grauiſſima paſſus, dum per præruptas rupes & longos montium tractus tranſit, in orbem *Antiochiam* venit ſitam in præfectura *Popayam*. Militum vnus ab hac pedeſtri itinere in vrbem *de la Plata & los Charcas* peruenit, ſpatio 1200. leucarum. *Sant-Iago de Tolu.*

La Barranca de Melambo domus eſt, ad quam exonerantur naues ad ſoluendum portorium, Iuriſdictioni Cartagenæ ſubeſt, ad ripam Magni fluuii, (Rio *Grande*) 30. à *Carthagena* leucis, 20. à *Santa Maria*, à mari 6. vbi naues merces ſuas exponunt, quæ terra in Nouum regnum adſportantur. A *Baranca* in fluuium ipſum vehuntur lintribus *Canoas* dictis. Infra *Mopox* flumen *Cauca* in fluuium *de la Madalena* excurrit, cuius origo ſupra *Popayan* eſt. Vlterius Carthagenam & Occidentem verſus *Morro* occurrit & Cuſpis *Zamba*, & *Buhio el Gato*, ſiue *Arboleda* & 7. *Buhios*, necnon cuſpis *Canoa* duabus à Gartagena leucis, & in ipſo portus aditu cuſpis *de los Ycacos*, è regione inſulæ *Carex*, adhæc cuſpis *de la Nao* oram Terræ firmæ. Ad aliud portus latus pene ad Boream inſula eſt *Sardina*. Circa littora *Tolu* inſulæ de *Baro* iacent, numero 6. atque in ipſo oſtio ſinus *de Vraba* ſex aliæ de *San Bernardo* è regione fluminis *Zenu*; penitius in ipſo ſinu inſula iacet *Fuerte* & *la Tortuga*. Portus *Zenu* 25. à Cartagena leucis diſſidet. Sinus eſt amplus ſatis, in quem aditus patet ad plagam Orientalem, iſque tutus & periculi expers. Multum hic ſalis conficitur, nomenque habet à pago *Zenu*, qui in ipſa fluminis ripa ſitus fuit. *Barranca de Melambo.*

Prouincias *del Dorado* ſiue nouæ Eſtremaduræ, quæ ob vicinitatem ad diſtrictum Cameræ Noui Regni pertinent, ingreſſi ſunt militum Duces plurimi allecti vana magnarum opum & theſaurorum ſpe. Sitæ hæ ſunt ad vlteriorem ripam fluminis *S. Iuan de las Amazonas*, aliter dicti *Orellana*, quod quidam perperam credunt eſſe *Maranjon* flumen. Irrigant has fluuius *Oronico* aliaque maiora flumina, necnon ſinus *de Paria*. Quin ſpectare hic eſt inſulam *de la Trinidad*, & oſtia *de la Sierpe* ac *Drago*, quorum nominum author fuit primus Admiralius, cum ſe iſtic loci in maximo diſcrimine ac præſenti periculo verſari videret, propter conflictum & arcanas inimicitias aquarum dulcium & ſalſarum, quę anteà incognitę fuerant. Circa hos vero tractus æſtus maris creſcere & aſſurgere altius incipit ad fretum vſque Magellanicum & porro per oras *Peruanas* & *Nouæ Hiſpaniæ*. *Del Dorado.*

Peru

Peru *ſiue* Peruana *regio.*

PRouinciæ *Peru*, quarum nomen latius nunc, quam ſolebat, patet, totum Imperium *de Ingas*, & amplius, ambitu ſuo continent. Cum primum debellatum eſſet, in duas Præfecturas diuiſum fuit, nempe in eam cui præerat *Franciſcus Pizardus*, dictaque *Noua Caſtella*, *à Quito* ad vſque *Cuſco* excurrens 60. infra *Chincam* leucis: & eam quæ *D. Diego de Almagro* ceſſit, dictaque eſt *Noua Toletana* à *Chinca* ad fretum vſque Magell. ad 200. leucarum longitudinem extenſa. Ac diſtinctæ quidem fuere hæ præfecturæ, donec *Camera de los Reyes* conſtitueretur, eique præficeretur pro-Rex regnorum *Peru*. Continentur hoc Imperio Camera *S. Franciſco del Quito*, Camera *de Lima*, ſiue *de los Reyes*, aliaque *de los Charcas*, præfectura *Chile*, & ad fretum Magellanicum ſitæ regiones: inſulæ inſuper *Salomonis* ad Occidentem ſitæ, & propter vicinitatem Prouinciæ *del Rio de la Plata*, aliaque loca, quæ ex certa limitum definitione ad imperium Vice-regis pertinent. Longitudo eius à Septentrione in Meridiem leucis plus 1000. menſuratur, ab Oriente verò in Occidentem abit per eos omnes tractus, qui inter mare Atlanticum & Pacificum detecti ſunt. Omnes *Peruani* imperii Prouinciæ à montibus *Cordilleras* interſecantur, quique *Andes* dicuntur ab Auſtro in Boream excurrunt, à Prouincia *Popayan*, aut, vti quibuſdam placet, à *Terra Firma*, & *Noua Hiſpania* ad Fretum vſque Magellanicum: alii verò montes à *Quito* ad *Chile* vſque iuxta maris littus porriguntur, quanquam 12. adhuc ab eodem diſtent leucis, paulò plus minus.

Duo Cordilleras Indiæ Auſtralis.

Duplex, Peruuiæ viæ.

Per montes ipſos duplex abit via. Prior *de los Yngas* appellatur, tranſitque per *Andes* à *Paſto* ad *Chilen* vſque, longitudine 900. leucarum, ſtrataque eſt lapide pedes 25. & ſingulis quatuor leucis ædificia occurrunt ſplendida, quæ *Tambos* vocant, in quibus ea quæ ad victum & amictum pertinent reperire eſt, quin ſingulis ſemileucis veredarios offendas, mandata litteraſque ſibi inuicem perferendas tradentes. Poſterior vero per ipſam abit planitiem iuxta oræ longitudinem extenſa, lataque 25. pedes.

Peruuia omnem. Indiam Auſtralem non complectitur.

Notandum eſt ſub nomine *Peru* non comprehendi omnes Indiæ Auſtralis regiones, quia, vti iam dictum, eas ſolummodo terras complectitur, quæ à S. *Franciſco del Quito* initium ſumunt, idque infra æquatorem, iuxta *Chilen*, vltra Tropicos ad leucas 600. excurrentes, latitudine leucarum 50. & ad *de Chachapoyas* vſque pertingunt. In tres partes diuiditur; in *planitiem*, quæ 10. leucarum habet latitudinem, licet minorem quibuſdam in locis ad maris oram; in *Montes*, 20. leucarum latitudine, interiectis hic illic vallibus, & in *Andes* ſimiliter 20. leucarum, qui montes ſunt & ſyluæ denſiſſimæ, & in tam exigua diſtantia penè 50. leucis pari ferè interuallo ab Æquatore & Polo abſunt. Tanta eſt in his partibus aëris diuerſitas, vt in quibuſdam ſemper ferè, in aliis rarò aut nunquam pluat, quod circa maris oram accidere ſolet. In tertia verò parte, hoc eſt, in montibus interiectis inter alias duas extremas quibuſdam anni temporibus pluit, quibuſdam non, quia eadem hic, quæ Caſtellæ, æſtatis & hyemis eſt ratio. Cauſam huius rei, cur nempe in *Andibus* pluat, circa oram verò minime in hiſtoriæ huius limine expoſuimus.

Inſeratur hic Tabula 10.


DESCRIPCION DEL AVDIENCIA
DEL QVITO
10
NORTE
MAR DEL SVR
De la Audiencia de Panamà
S. Fedcantioquia
C. de. Corrientes
Carramanta
R. de ſalinas
Anzerma
Arma
Puerto d. buenauentura
R. Cauca.
Cartago
R. de lácus
Guadalajara.
R. d. San Juan
Popayan
S. Sebaſtian
De la Audiecia del Nueuo Reyno
Yª del gallo
B. de Sᵗᵒ mateo
R. de Çedros
Pᵗᵃ Deanglares
R. de Nicardo
R. de Sanlucar
Almaguer
Trugillo
Agreda
Madrigall
Ancon de Sardinas
Ca. d. Sᵗᵒ Fran.ᶜᵒ
Los Quixinies
el portete
el paſſao
la linea Equinoccial
Paſto
S. S. de quaque
Puer Viejo
Yª de la plata
Pᵗᵒ de Callo
Pᵗᵃ de Sª elena
S. Franᶜᵒ del Quito
Los Quixos
Auila
Baeça
Archidona
Guayaquil
Riobamba
La Puna
Sa. Clara
Cuenca
R. de tumbez
Lóxa
Valladolid
Los Pacamoros
Stiago de las montañas
C. Blanco
Pᵗᵃ Pariña
Loyola
Payta
S. miguel de piurá
Pᵗᵃ de tangora
La Silla
Jaen
Pᵗᵃ de la guja
De la Audi. de los Réyes

RPJCB

Cap. XVII.

De diſtrictu Cameræ S. Franciſci del Quito.

TErritorium ac Iuriſ-dictio Cameræ, quæ in *Quito* ſedem fixit, ad Boream contermina eſt Cameræ *Panamaidis* in portu *de la Buenauentura*, ad Mezen *Nouo regno*, ad Meridiem Cameræ de *Lima*. Longitudine ſua extenditur iuxta oram Auſtralem penè ad 200. leucas, à portu *de Buenauentura* in ſinu Panamæ, vſque ad *S. Michaelis* ſiue *Paytæ* portum ad littora *Peru*, atque hinc obliquo ductu vſque ad fines *Popayan* 200. inſuper leucis exporrigitur, excluſis limitibus Orientalibus. Continet præfecturas tres excepta Camera, præfecturam nempe *Popayan*, *los Quixos* & *la Canella*, vnamque *S. Iohannis de Salinas*, *de los Pacamoros*, & *Gualſongo*, diuiſam in duos Epiſcopatus.

Prouincia & Præfectura *del Quito*, cui Camera imperat longa eſt leucas 80. vicina Æquatori. Quamquam autem ſub ipſa linea Æquinoctiali ſita ſit, tamen eadem hic fere eſt aeris temperies, quæ Caſtellæ. Eſt enim is ſerenus, purgatus minimeque nebuloſus, magis frigidus quam calidus; ac quibuſdam in locis perpetuæ toto anno deprehenduntur niues. Ab Octobri ad Martium vſque, quod tempus ipſis hyemis eſt, pluuius eſt aer, reliquis menſibus graminis meſſem colligunt, quæ quamquam non vſque adeo ſit luculenta & opima, tamen ſufficit in pabulum pecori, cuius magna ſatis hic eſt copia. Tritici, hordei, & quibuſdam in tractibus, auri quoque eſt ferax. Viuitur hic pancratice & placide, cum nihil homini volupe ſit magis, quam aere frui temperato & ſalubri. Nulla hos tractus affligit, aut frigoris per hyemem, aut caloris per æſtatem inclementia. Coloniæ hæ ſunt: *El Quito.*

Ciuitas *S. Franciſci del Quito*, quæ *Athaualpæ* Cæſari Peruuiæ natales præbuit, ſita eſt altitudine gradus dimidii ab Æquatore, à Meridiano Toletano gradibus abeſt 82. ſiue 1686. leucis, à mari *del Sur* 60. Ciues habet 500. Sedes hic eſt Cameræ ad forenſium controuerſiarum deciſionem, præfectura ſiquidem ipſa ad Proregem pertinet. Reſident ibidem quoque Officiales redituum, gazophylacium regium, & Eccleſia Cathedralis Epiſcopatus, ſuffraganea Archiepiſcopatus *de los Reyes*: tria Cœnobia, Dominicanorum, Franciſcanorum, & Mercenariorum. Iuriſdictioni eius parent pagi Indorum 87. Eo ipſo, in quo ciuitas hæc loco eſt conſtructa, diuerſorium fuit amplum ſatis, ædificatum à rege *Topaynga*, & à filio exornatum, qui nomen illi *Quito* impoſuit, vnde appellationem vrbs ipſa ſortita eſt. Colonos in eam deduxit Thalaſſiarcha (Hiſpani *Adelantadum* vocant) *Sebaſtianus de Belalcazar*, qui ſub *D. Franciſco Pizardo* ſtipendia meruit, fidemque ſuam Regi probauit; factumque id mandato *D. Diego de Almagro*, maris præfecti, qui poſt ſopitas cum *Adelantado D. Petro de Aluarado* lites eundem *Sebaſtianum* gubernatorem huic Prouinciæ præfecit.

Riobamba in Prouincia *de Puruaes* ſita eſt. Caſtellæ ſimilis eſt regio, ſi aeris temperiem, ſi graminis, florum aliarumque rerum indolem ſpectes. Pagum habet vnicum paſtorum, ab vrbe *S. Franciſci del Quito* 25. leucis verſus Zephyronotum abeſt, in via qua ad *los Reyes* itur. Magna hic pecorum frequentia eſt, quæ 40000. hic ſupputantur, ſed oues potiſſimum. Habuerunt ibidem *Inges* hoſpitium regale, & feliciter hic cum Indis conflixit *Adelantadus Belalcazar*, victoria potitus. Eodem quoque in loco *Riobamba.*

prælio decertarunt. *D. Diego Almagro*, & *D. Petrus de Aluarado*, ibidemque prima vrbis *Quito* fundamenta iacta ſunt.

Cuenca. Vrbs *Cuenca*, condita iuſſu Marchionis *de Caniete*, Peruuiæ proregis, alio nomine dicta fuit *Bamba*, & 5½. leucis à *Quito* Auſtrum verſus diſtat. Prætorium hic eſt ad curam Proregis pertinens. Cœnobium habet Dominicanorum, & Franciſcanorum. Sunt in huius territorio opulentiſſimæ auri fodinæ, nonnullæ argenti, complures argentiuiui, æris, ferri & lapidis *Azufre*.

Loxa. Vrbs *Loxa* alias Zarca dicta 80. à *Quito* leucis verſus Meridiem, à *Cuenca* 30. abeſt. Locus eſt iudicialis Vice-regis. Cœnobia habet Dominicanorum & Franciſcanorum, & in via, qua à *Curco* ad *Quito* itur, poſita eſt, idque in valle amœniſſima *Guxibamba* inter duos fluuios. Condidit eam Anno 1546. *Antonius de Mercatillo*, ad indigenarum tranquillitatem.

Zamora. Vrbs Zamora, quam *de los Alcaydes*, vocant, 90. à *Quito* leucis pene ad Euconotum ſita eſt, prætereundo *la Cordillera de los Andes*. Locus eſt iudicialis ad curam pertinens Vice-regis. Vnicum habet Franciſcanorum Cœnobium. Nulla hic tritici colligitur meſſis, propter nimiam ſoli humiditatem. Auri fodinis locuples eſt, in quibus auri grana particulæq; quatuor librarum reperiuntur. Dux *Mercadillo* coloniam eam fecit Anno 1549. conſentiente Duce *Benauente*. A *Loxa* 20. abeſt leucis vltra montes *Cordilleras*, qui torrentes & fluenta in mare Auſtrale excurrentia, ab iis ſeparant, quæ in mare Atlanticum ſe exonerant. Indi Zamoram vocabant. Loci ſitus & regio *Poronuca* vocatur, quod *Indos Bellicoſos* ſignificat. Copioſe hic aurum eruitur, ita vt oblata aliquando fuerint Regi grana 12. librarum. Salinas adhæc habet aquæ ſalſæ.

Iaen. Vrbs *Iaen* à *Loxa* 55. leucis, à *los Chacapayas* 30. condita eſt à Duce *Diego Palamino* Anno 1549. in prouinciis *de Chuquimayo*, in *Charaynga*.

S. Michael de Piuura. Vrbs *S. Michaelis de Piuura* in prouincia *Chiles* 120. à *Quito* leucis pene ad Euronotum, 25. vero à portu *de Payta*, in quo iuriſdictio Cameræ iſtius terminatur. Locus eſt iuridicialis, ad curam Proregis pertinens. Cœnobium habet Mercenariorum, & quanquam pluuiis non irrigetur, rore tamen copioſo humectatur, qui in cauſa eſt, quod ſolum hoc vbertim triticum, Mayzum, ſeminaque & fructus Caſtellanos fundat. Sub huius vrbis iuriſdictione eſt portus de *Payta*, altitudine grad. 5. ad Auſtralem æquatoris plagam, qui ab amplitudine, commoditate & ſecuritate commendatur. In hunc ſe recipere ſolent naues, quæ à *Guatemala* in *Peru* abeunt. *Franciſcus Pizardus* huius conditor fuit Anno 1531. fuitque omnium coloniarum in his regnis prima. In qua primum quoque honori Dei Opt. Max. & Eccleſiæ Romanæ dicatum fuit Templum.

Tota Prouincia & Iuriſdictio vallium *de Tumbez* ſicca eſt temperie, viaque regia ab *Ingas* per valles *de Piura* tranſit, arboribus hincinde conſitas. In præcipua vero planitie ac valle duo aut tres concurrunt fluuii. Primitus fundata fuerat vrbs in *Tangazala*, vnde propter tractus intemperiem alio traducta eſt, interque duas valles poſita. Via omnis inſalubris eſt, & oculos potiſſimum afficit, propter ventorum vehementiam, æſtatis feruorem, nimiamque hyemis humiditatem.

Guayaquil. Vrbs *Sant Iago de Guayaquil*, alias *Culata*, 60. à *Quito* leucis, à mari 15. recedit, verſus Zephyronotum. Iuris dicundi locus eſt ad curam Proregis pertinens. Condidit eam *Adelentadus Belalcazar*. Molientibus autem defectionem Indis, multiſque hic exſtinctis Hiſpanis, nouis colonis eam auxit Dux *Franciſcus d' Orellana*. Regio eſt placidiſſima, nulli fertilitate cedens, paſſimque in arborum cauitatibus mellis fauos habens. Fluuii iſtius aquæ, quæ ab ipſa fere æquinoctiali linea initium ſumunt aduerſus morbum Gallicum ſimi-

ſimileſque affectus conducunt. Magna hominum ad hunc fluuium valetudinis recuperandæ cauſa confluit multitudo, propter radices *Sarſæparillæ*, quas copioſe hic reperias. Nec tamen vſque adeo magnus eſt fluuius. Quæ vero in mare Pacificum ſe exonerant fluenta, minora ſunt iis, quæ in mare Atlanticum excurrunt, quia minus ſpatii conficiunt; ſed ea ipſa maiori vndarum rapiditate & aquarum defluxu propter labentes ex montibus aquas feruntur. Variis modis ac artibus Indi hos fluuios traiiciunt. Quibuſdam in locis tranſmiſſo per flumen fune, viatorem impoſitum corbi, quem funi alligant, per ipſas aquas ad ſe trahunt. Aliis locis videre eſt, Indum nobilem rate ac ſchedia straminea viatorem diuaricatis tibiis coxis ſuis impoſitum tranſuectare. Aliis in locis viatores ſarcinaſque excauatæ cucurbitæ imponunt, ipſique Indi alligati funi more equorum natando flumen traiiciunt. Vicinus eſt vrbi portus, propter fluuii amplitudinem, quem ſuperato mari conſcendunt naues, ad tranſportandas poſtmodum in *Quito* terreſtri, via merces. Anno 1568. colonos in vrbem *Caſtro* introduxit Dux *Contero*, ſitam in planicie ac valle *de Vili*, quo tempore regnorum *Peru* imperium habebat *Lope Garcia de Caſtro* licentiatus.

Vili in Prouincia de *Bunigando, Imdinono* & *Gualaya* iacet, quam prouinciam ſmaragdorum vocant. Gubernator ſupra dictus profectus in *Guayaquil*, terras omnes à *Paſſao* ad flumen vſque *S. Iohannis* in mare Auſtrale ſe exonerans, aperuit. *Vili.*

Vrbs *de Porto viejo* 80. pene à *S. Franciſco del Quito* leucis abeſt, ad Occidentem, verum via non plana ſed aſpera & prærupta, aliiſque inſuper 50. à *Sant Iago de Guayaquil* ad quam à *Quito* vrbe itur. In huius ditione eſt *Paſſao*, primus *Peruuiæ* portus. A fluuio vero *Sant Iago* inicium ſumit præfectura *Franciſci Piſardi*. Cum autem tam vicina ſit Æquatori hæc regio, vtpote à quo vnico gradu recedit multorum iudicio inſalubrior creditor. Verum in aliis regionibus pari ab Æquinoctiali diſtantia diſſitis, magna eſt aëris ſalubritas, terræ vbertas, omniumq; rerum ad humanæ vitæ vſum neceſſariarum abundantia, contra quam opinati ſunt veteres. Minus longæui ſunt in hoc tractu Indi, multiſque in facie, naſo, aliiſque corporis partibus rubræ naſcuntur verrucæ, faciem deturpantes. Ex piſcium quorundam eſu eas contrahi autumant. In hoc diſtrictu eſt *Munta*, cujus coloni magnam opum vim ex locis mediterraneis corraſerunt. Certo conſtare creditur, eſſe hic loci fodinam optimorum quos mittit India ſmaragdorum. In ipſis lapidibus criſtalli inſtar creſcunt, &, vti marmor, tractari ſe ſinunt ac ſubigi; ſenſimque expoliendo perficiuntur. Colonos in eam deduxit *Franciſcus Pacheco* Anno 1535. juſſu *D. Diego de Almagro*. Multos habet Indos bello ac militiæ aptos. Cœnobium quoque Mercenariorum. Nulla hic tritici colligitur meſſis, propter perpetuas eaſque octomeſtres pluuias, ſed mineras habet auri laudabiles. *Puerto viejo.*

Ad oram huius præfecturæ hi ſequentes ſunt portus, inſulæ, promontoria: *de Ancon de Sardinas*, ante ſinum *de Sant Jago*, qui 15. à cuſpide *de Manglares* verſus Auſtrum leucis ſitus eſt; quem proxime ſequitur ſinus *S. Matthæi*. Hunc vero promontorium *S. Franciſci* excipit, & poſt *los Quiximies* quatuor occurrunt flumina, antequam ad *Portete* perveniatur, quo loci Æthiopes aliquot & nigri è naui naufraga ſeruati, Indis ſe iunxere, vnaque cum ipſis pagum conſtituere. Hinc *Paſſao* cuſpis ac portus Indorum conſpicitur, per quem lineam Æquinoctialem tranſire aiunt, in confiniis montium *Queaque*: poſt hanc ſinus *Cara* eſt, ante *Puerto Vieio*, vno ab Æquatore verſus Auſtrum gradu, ac quinq; hinc leucis promontorium ſe offert *S. Laurentij*, prope quam inſula eſt *de Plata*, hinc portum *Callo* & *Calango* cernere eſt, ante cuſpidem *S. Helenæ*, altitudine grad. 2. & poſt hanc fluuium *Tumbes* 4. grad. altitud. Inſulæ adhæc *la Pruna* & *Santa Clara*, qua- *Promontoria & portus huius præfecturæ.*

rum hæc quam prior longius à littore recedit. Promontorium quoque *Blanco* 15. à *Tumbez* verſus Meridiem leucis, vti & cuſpis *Parina*, occurrit. Ad Auſtrum inſula *Lobos* jacet 4. à portu *Payta* leucis. Moxque *la Silla*, ante cuſpidem *Aguia* & portum *Tangora* conſpicitur.

Gigantes cuſpidis S. Helenæ. Narrant huius regionis indigenæ ſuperioribus ſeculis in eam trans mare veniſſe, cratibus ex lignorum & trabium ſtrue arte quadam contextis, homines, tam monſtroſæ magnitudinis, vt ſolius tibiæ ad genu vſque longitudo hominum aliorum ſtaturam adæquaret, eoſque effodiſſe ingentem, in rupe quadam, puteum, qui hodie adhuc aqua recenti & dulci plenus viſitur, in cuſpide *S. Helenæ*: verum propter ſcelerum immanitatem delapſo cœlitus igne periiſſe. Ad huius rei fidem hoc facere videtur, quod in his locis protentoſæ magnitudinis oſſa reperiantur, denteſque humani ponderis 14. vnciarum. In *Noua Hiſpania* quoque, & *Tlaſcalæ* territorio eiuſdem quantitatis oſſa reperiuntur. Habet cuſpis *S. Helenæ* mineras & ſcrobes picis, idoneæ picandis nauibus, quæ feruens adhuc ex ſcrobibus iſtis extrahitur.

CAP. XVIII.

De prouinciis Popayan, los Quixos, en la Canela, Pacamoros, & Gualſongo, *quæ reliqua erant ad diſtrictum Audientiæ* del Quito *pertinentia.*

Popayan. PRæfectura *de Popayan* 120. leucis à finibus prouinciæ *del Quito* abeſt, eique recta à Septentrione Auſtrum verſus opponitur. Subeſt Æquinoctiali & ad *Cartagenam* vſque verſus Septentrionem extenditur, aliiſque inſuper leucis 100. à *Noui Regni* limitibus Orientem ſpectantibus ad mare vſque Pacificum excurrit. Pagos aliquot habet Caſtellanorum, ea parte, quæ ad Cameram *del Quito* pertinet. Quæ vero regio *Noui Regni* pars eſt, aſpera & horrida eſt, ideoque parce mayzum, parcius triticum fert. Raræ hic pecudes ſunt, ſed opulentiſſimæ auri fodinæ. Vrbes continet ſequentes.

Ciuitas Popayan. Ciuitas *Popayan* ad Borealem Æquatoris plagam, altitudinem attingit graduum 2½. longitudinem habet à Meridiano *Toletano* grad. 68. ſiue leucarum 1580. Reſidet in ea Vicarius gubernatoris, Eccleſia Cathedralis, & Cœnobium Mercenariorum. *Sebaſtianus de Belalcazar* Thalaſſiarcha colonos in eam deduxit Anno 1537. Indoles incolarum huius Prouinciæ multum diuerſa eſt ab eorum indole, qui *Peruuiam* incolunt, ſiue ingenii dotes, ſiue morum ciuilitatem humanitatemque reſpicias. His enim aliiſque virtutibus Peruuianos ſuperant. Habitant in *Carauanibus*. *Popayan* vocatur, de nomine *Caziques*, Domini ſui. Pars eius ad oram Auſtralem iacet, monteſque habet verſus Orientem protenſos, & parte alia *la Cordillera de los Andes*. Atque ex his partibus fluuii funduntur, inter quos eſt *la Magdalena*, qui in mare Septentrionale ſe exonerat. Huius præfecturæ incolæ aërem habent frigidum ſaluberrimumque, qui in aliis tractibus calidus eſt & morborum ferax.

Cali. *Cali* vrbs in altitudine 4. graduum eſt poſita, 22. à *Popayan* leucis, à mari Pacifico 18. Colonia facta eſt Anno 1537. à Duce *Michaele Muñoz*. ſed ante ipſum in pagos *los Gorrones* colonos deduxit *Sebaſtianus Belalcazar*. In vallis planitie ſita eſt, ad montis radicem, aereque feruido torretur. Sedes eſt Gubernatoris, Officialium redituum Regis, domus fuſoriæ, Gazophylacii ſiue ærarii Regii, Cœnobiumque habet Mercenariorum, & Augu-

& Auguſtinianorum. In huius ditione portus *de Buenauentura* jacet, altitudine grad. 3. cum dimidio, in quo ad excipiendas merces ciues nonnulli commorantur. Indi huius vrbis *Cali* bonæ indolis ſunt, & Chriſtianiſmo addicti. Quem olim habuit Dominum, *Liſupete* dictus fuit.

Vrbs *Santa Fe del Antiochia* plus 100. leucis à *Popayan* diſtat, verſus *Mezen*, in littore fluminis *Cauca*, & ſub diſtrictu Cameræ *Noui Regni*, & Epiſcopatu *Popayan*. Diues eſt auri fodinis, prope colliculum *Buritaca*, ſic dictum, quod aurum haberet. Sita eſt in planitie. Indigenæ indolis ſunt laudatæ, corpore vegeto & candido, aeris ea temperies, vt extra ædes ſub dio ſecuri, ſine valetudinis noxa, d ormiant. Pecorũ & fructuum læta fœcunditate gaudet, lacuſque habet piſcibus refertos. *Caſpar de Rodas* militum dux, colonos in eam deduxit iuſſu *Adelantadi Belalcazar*, Anno 1541. *S. Fe del Antiochia.*

Vrbs *Caramanta* 60. aut 70. à *Popayan* leucis verſus *Mezen*, prope fluuium *Cauca* jacet, ſub territorio ac diſtrictu *Noui-Regni*. Abundat præfectura & Epiſcopatus *Popayan* mayzo, aliiſque fructibus, tritico excepto. pecorum quoque inopia laborat, exceptis ſuibus, quarum magna hic eſt copia. *Antiochiam* ſpacio 5. aut 6. horarum, iuxta fluminis ripam, itur, quo tempore ob fluminis rapiditatem 50. leucæ conficiuntur. Colonia eſt *Adelantadi Belalcazar*. *Caramanta.*

Vrbs *Sant Iago de Arma* plurimas habet auri fodinas, & 50. à *Popayan* leucis diſſidet, verſus *Mezen*, nonnihil ad Orientem declinando. Ad Cameram *Noui Regni* pertinet, & præfecturam *Popayan*. Triticum nec ſemina Caſtellana fert, licet ſua & quæ regionibus hiſce propria ſunt & natiua abundanter ferat. Idem *Belalcazar* huc colonos deduxit, & in hac vrbe decollari iuſſit *Georgium Rebledo*. ab *Anzarma* 60. abeſt leucis. Tanta eſt indigenarum immanitas & crudelitas, vt viui mortuorum eſſe ſepulchra non horreant, & maritus coniugem, frater ſororem, filius patrem voret. Quin accidit hic vt iuſſu Domini ſaginatum captiuum & cantu multo ac trepudiis in lucem productum, membratim diſſecuerit Indorum aliquis, cuius membris calidis adhuc & ſpirantibus ingluuiem ferinam explebant. Ex quo tempore vero colonos accepit *Arma*, plus octo mille Indos vorauerunt; & manſit hæc quoque ſors Caſtellanorum nonnullos. *Sant Iago de Arma.*

Vrbs de *Sant Ana de Ancerma* quinquaginta à *Popayan* leucis verſus *Mezen*, ad ripam *Caucæ* fluminis iacet. Ad præfecturam & Epiſcopatum *Popayan* pertinens. Tritici & pecorum expers eſt, ſed tonitrubus quam maxime infeſtatur. Conditor eius fuit *Georgius Robledo*, iuſſu *Lorenzo de Aldano*. Huius quoque indigenæ antropophagi ſunt, & nudi incedunt, nulla habentes ſimulacra, nullas, quas adorent, imagines. Auri fodinas optimas habet hæc iuriſdictio, aëra calidum, ſed tonitruum ictibus frequenter turbatum. *Ancerma.*

Vrbs *Carthago* viginti quinque à *Popayan* leucis, fere ad *Mezen*, ad Cameram *Noui Regni*, ad præfecturam verò ac Epiſcopatum *Popayan* pertinet. Nulla hic tritici, nulla ſeminum Caſtellanorum meſſis. Regio eſt temperata, parum habens auri, ſed quam frequentes irrigant pluuiæ. Nullum pecudum genus præter vaccas & hircos nutrit. Montes habet plurimos, in quiqus leones, tigres, boues, damæ paſcuntur. Vnicum habet Franciſcanorum Collegium. Colonos accepit à Duce *Georgio Robledo*, qui *Carthaginem* vocauit, hanc ob cauſam, quod coloni omnes eſſent *Carthagena* oriundi. *Carthaga.*

Vrbs *Timana* 40. à *Popayan* leucis verſus Euronotum diſtat, 60. à *Santa Fe de Bo-* *Timana.*

E 3 gota,

gota,30. à prouinciis *del Dorado*. Imperat hic Vice-gubernator aliquis, qui idem oppido *S. Sebaſtiani de la Plata* præeſt. Indi huius loci barbara crudelitate infames ſunt, vtpote qui captorum hominum carnes in macellis publicis precio diuendant. Sita eſt, vbi initium ſumit vallis de *Neyua*, aëreque fruitur calido. Habet ditio hæc collem è quo Magnes eruitur. Accolæ eius ſunt Indi *Paezes* & *Pixaos*, de *Caribum* gente.

Vbi magnes reperiatur.

Vrbs *Guadalajara de Buga* 15. à *Popayan* verſus *Mezen* leucis, in territorio Cameræ *del Quito* ſita eſt, ſub prætura *de Popayan*.

S. Sebaſtiaen de la Plata.

Vrbs *S. Sebaſtiani de la Plata*, in finibus iſtius præfecturæ, 25. à *Popayan* leucis recedit, à *Santa Fe* 30. verſus Zephyronotum. In Eccleſiaſticis ſubeſt Hierarchiæ vrbis *Popayan*. Auri fodinas habet plurimas, & territorio ſuo viginti quatuor continet Indorum claſſes ac tribus. A portu *Onda* 3. abeſt leucis ad fluuium magnum *do la Madalena* poſita, vbi *Cartagena* aduectæ naues exonerantur. Sita eſt in planitie prope fluuium *Guali*. Terræ motibus obnoxia eſt regio hæc, & de hyeme, plus calet quam friget. Decreſcit indies hominum numerus, qui à Caribis antropophagis, quos *de Rincon* vocant, vorantur. Hi ipſi quoque vendundis carnibus humanis ſacella aperiunt, cui gentis feritati occurri nulla ratione poteſt. Colonos in vrbem hanc deduxit Thalaſſiarcha *Belalcazar*.

Almaguer.

Vrbs *Almaguer* 20. à *Popayan* verſus Euronotum leucis, mayzi, tritici, aliorumque ſatorum, pecudum quoque & auri vbertate commendatur. Colonos accepit ab *Alphonſo de Fuenmaior*, iuſſu licentiati *Brizenii* gubernatoris & iudicis in *Popayan*. In monte *Zabana* ſita eſt, aeris temperie frigidiore, incolæ togis ex goſſypio confectis induti incedunt.

Truxillo.

S. Iuan de Truxillo, aliter dicta *Yſcance*, triginta à *Popayan* leucis iacet verſus Euronotum.

Madrigal.

Vrbs *Madrigal* ſiue *Chapanchica* 35. à *Popayan* leucis pene ad Auſtrum poſita eſt. Regio inculta eſt & horrida, in qua nulla tritici meſſis colligitur, licet mayzum bis quotannis ferat, & quia gens inconditis eſt moribus difficulter in ordinem cogi poteſt, Pecora non nutrit.

Agreda.

Vrbs *Agreda* & *Almaguer* auri fodinas habent. *Agreda*, alio nomine *Malaga* dicta, 45. à *Popayan* leucis verſus Zephyronotum ſita eſt.

S. Iuan de Paſto.

Vrbs *S. Iohannis de Paſto*, ita dicta eſt, quod pratorum & paſcuorum copia luxuriet. A *Popayan* verſus Zephyronotum 50. leucis diſſidet, à *Quito* 100. agro ſita eſt laudabili, aere fruitur ſalubri, mayzum, aliaque, quæ ad commeatum faciunt, abundanter profert. Auri fodinas quoque habet, & 24000. ſub vnica præfectura Indos, ſed non de *Caribum* gente, verum oculorum vitio laborantes, ſordidos & incomptos. Cum ſub paganiſmo viuerent, nullas habebant imagines, quin exacto huius vitæ tempore, ſe in locis quibuſdam amœnioribus ac Elyſiis campis ſuauiter victuros credunt. Fluuius *Caliente*, qui inter *Paſto* & *Popayan* labitur, aquas habet dulciſſimas, & in ulteriore eius ripa mons eſt, ad quem vſque *Gonſales Pizardus* ſequutus eſt Vice-Regem *Blaſco Nuniez Vela*, & ad fluuium vſque *Angaſmayo*, qui prouinciam iſtam permeat, perueniſſe dicitur Rex *Guaynacapa*.

Cauſa montium ardentium.

Vltra fluuium *Caliente* in rupe excelſa mons eſt igniuomus, qui vti perhibent indigenæ, iam à multis retro annis exhalationes & fumos copioſe eructauit. Philoſophi, dum in cauſas huius arcani inquirunt, affirmant, vti terra certis locis vapores attrahit & colligit, eoſque in aquam mutat, quæ fontium perennium eſt materia: ita loca quædam eſſe, quæ natiua quadam proprietate fumos exhalationeſque calidas & ſiccas attrahunt,

quæ

quæ mutatæ in ignem & flammam vi ſua craſſiorem materiam eructant, quæ ipſa in cineres ac ſaxa abit. Atque hanc montium perpetuo ardentium cauſſam eſſe volunt. Habet vrbs dicta Cœnobia Dominicanorum, Franciſcanorum & Mercenariorum. Sita eſt cœli climate frigido, commeatu omni ac annona abundans, vti & fructibus ſoli natiuis Sacchari habet varias ſpecies, necnon ſeminum ac leguminum Caſtellanorum copiam. Colonos accepit à Duce *Lorenzo de Aldana* Anno 1539. qui eam *Villam Vicioſam de Paſto* vocabat. A mari Pacifico 50. abeſt leucis verſus Inſulam *Gorgona*. Abrogatæ ſunt in hac prouincia vrbs *Antioquia*, vrbs *Neyua* in valle *Neyua*, 20. à *Tumana* leucis, idque propter crudelitatem Indorum *Paezes* & *Pixaos*, & *Manipos* in valle *Saldania*: necnon oppidum *S. Vincentij de los Parzes*, 60. à *S. Iuan de los Llanos*, in finibus P*opayan*, cuius conditor fuit *Dominicus Lozanus*; denique vrbs *S. Angelorum*, (*de los Angeles*) 22. à *Tocayma* leucis, 9. vero à *Neyua*. *Neyua.*

Ad oram Auſtralem huius præfecturæ, à promontorio *de Corrientes*, poſito in altitudine grad. 6. verſus Boreale Æquatoris latus; fluuius eſt *de Salinas*, inter promontorium *de Corrientes* & inſulam *de las* P*almas*, in altitudine graduum 4. & tertiæ gradus partis. Ad oram vero quæ ad *Gorgonam* vſque ſe extendit, fluuius eſt *S. Iohannis*, qui vna cum aliis pingui illuuie ac limo agros fæcundat, cuius oſtium adſpicit ex aduerſo inſulam *Gorgonam*. Huius autem ambitus duarum eſt leucarum, & in hac *Franciſcum Pizardum* alioſque tredecim deſeruerunt ſocii ſui. Fluuius *S. Lucar*, & *de Nicardo* ante fluuium *de Zedros* duabus ab Æquinoctiali leucis recedit, ad quem inſula iacet *de Gallo*, & poſt hanc portus *de Cruz*, & cuſpis *de Manglares*, à qua initium ſumit ora *del Quito*. *Flumina & promontoria circa oram huius præfecturæ.*

De præfectura *de los Quixos* & *la Canela*, nihil aliud conſtat, quàm quod principium ſumat ex Orientali parte prouinciæ *del Quito*, & ex parte Auſtrali verſus præfecturam *S Iohannis de Salinas*. Tres habet Caſtellanorum pagos, & Gubernatorem à Vice-Rege P*eruuiæ* creatum, ac in ſpiritualibus ad Epiſcopatum pertinet *del Quito*. Regio eſt aſpera & montoſa, tritico carens, mayzum parce ferens, arboribus hic illic cinnamomo non diſſimilibus conſita. Primum oppidulum eſt *Baeza* 18. à *S. Franciſco del Quito* leucis pene ad Zephyronotum, in quo reſidet Gubernator. *Los Quixos & la Canela.*

Vrbs *Archidona* 20. leucis longius à *Quito* abit. Vrbs *de Auila* ad Borealem plagam *Archidonæ* iacet.

Præfectura & prouincia *de Pacamoros* & *Ygualſongo*, ſiue *S. Iohannis de Salinas* limitibus ſuis 300. continet leucas, qui partim in Orientem excurrunt, partim 20. leucis vlterius ab vrbe *Zamora* in montibus (*Cordillera de los Andes*, totidemque in Auſtrum & Meridiem. Regio eſt, à ſoli bonitate, ab aeris temperie, à tritici, aliorumque ſeminum, à pecorum inſuper fœcunditate laudata. Auri fodinis ditiſſima eſt, in quibus grana magna reperiuntur. Quatuor habet Colonias ad Epiſcopatum *del Quito* pertinentes, quas condidit Dux *Iohannes de Salinas*. *Pacamoros & Ygualſongo.*

Vrbs *Valladolid* altitudine grad. 7. à *Loxa* 20. leucis diſtat, verſus Zephyronotum, è regione montium *Cordillera de* P*eru*. *Valladolid.*

Vrbs *Loyala* ſiue *Cunbinania* 16. leucis à *Valladolid* verſus Orientem ſita eſt.

Vrbs *de Sant Iago de las Montanas* quinquaginta à *Loyola* leucis abeſt, pene ad Ortum. In diſtrictu ſuo multum habet auri, & quidem maximi valoris. Quantum vero hoc metallum attinet, certe de eius precio & excellentia agere neceſſum non eſt, quum ſummas in hoc Vniuerſo vires exerceat: tribus modis in India eruitur. Primus eſt in P*epite*, hoc eſt, cum ſolidæ auri maſſæ effoditur,

Quot modis aurum eruatur. abſque alterius metalli commixtione, ita vt igne purgari ac ſecerni opus non ſit. Grana eius magnitudinem adæquant nuclei *de Calabaſſe*, interdum maiora ſunt. Sed parcius hæc auri ſpecies datur. Secundus modus eſt, cum è lapide eruitur, quales lapides reperiuntur in præfectura *S. Iohannis de Salinas*, magnæ molis, auri fibris conſperſæ: quidam etiam dimidia ſui parte purum putum aurum ſunt, qui in puteis & fodinis reperiuntur, ac non niſi magno labore ſubigi ſe patiuntur. Tertius modus eſt, cum è puluere ac arena eruitur, & quidem maiore, quam duobus aliis modis, copia. Inuenitur in fluminibus, aut torrentibus, præcipue vero in regnis *Chiles* & *Quito*, & Nouo regno *Granatenſi*. Et cum primum detectæ eſſent hæ terræ, copioſe in inſulis *de Barlouento* inueniebatur. Precioſiſſimum aurum dat *Carabaya* in *Peruuia*, & *Baldauia* ac *Chile*, quod 23. cum dimidio *quilaten* ac amplius valet.

Inſeratur hic Tabula 11.

Cap. XIX.

De diſtrictu ſupremæ Curiæ ſiue Audientiæ de los Reyes.

Diſtrictus Cameræ *de los Reyes* propriè & ſpeciatim *Peruuia* dicitur, & ab Æquatore verſus Auſtrum ad 7. gradus altitud. exporrigitur, hoc eſt 220. leucas, quanquam, ſi iter faciendum ſit, terræ leucas 300. numerent. A culpide *Aguya* incipit, quo loci confinis eſt Cameræ *del Quito*, vſque dum vrbem *Arequipam* ſuperaueris, vbi initium eſt regionis *de los Charcas*. Pars Cameræ habitata ad leucas 100. extenditur, ab ora Auſtrali Orientem verſus, vbi limites patent ad prouincias vſque fluminis *de la Plata* & *Braſiliam*, quæ à *Cordilleras* incipit, vbi in perpetuos imbres diſſoluitur aër. Ab his ad mare vſque planicies *Peruuiæ* vocatur, quam nulla irrigat pluuia, nullum infeſtat tonitru. Cuius rei cauſa eſt montium altitudo, qui planitiem ipſam quaſi operiunt, nec eam à ventis mediterraneis perflari ſinunt, atque hinc fit, vt è mari flãtes venti imperium hic teneant; & cum aliorum ventorum occurſu, non repellantur, exprimuntur ſublati in altum vapores, pluuiæ futura materies, ita vt montes oppoſiti impediant vaporum condenſationem, & defectu materiæ tanta eſt vaporum raritas circa hanc oram, vt præter nebulam humidiorem nihil gignat, quæ ſata & frugum fœcunditatem promouet, quæ ſine nebula hac propter nimium roris madorem caſſæ ſunt & inanes. Regio omnis arenoſa eſt, exceptis, quæ ad fluminum è montibus labentium ripas jacent, vallibus. Magnus hic roris beneficio eſt prouentus panis, vini, olei, ſacchari, ſatorum, & tum natiuorum, tum Caſtellanorum fructuum. In montium præcipitiis paſcua ſunt lætiſſima. Aeris temperies alia atque alia eſt, quia ſummæ partes frigent, infimæ calent, mediæ de natura extremorum ſuorum plus minusue participant. Huius Cameræ præfectura, vti & *del Quito* & *los Charchas* ad curam Pro Regis pertinet. Sub huius Cameræ diſtrictu hæ ſunt vrbes:

Ciuitas de los Reyes. Vrbs *de los Reyes* ſiue *Lima*, à nomine vallis ſic dicta, quæ à ſuo *Cazique* nomen habuit. Eſt hæc omnium vallium inter *Tumbez* ad hunc vſque locum maxima & lætiſſima. Prope mare Auſtrale iacet 12. ab Æquatore Meridiem verſus gradibus, & à Meridiano *Toletano* 82. ſiue leucis 1820. Ciues habet plus quam 300. fundauitque eam Marchio *Franciſcus Pizardus* Anno 1533. quia futurum ſuſpicabatur, vt ad oram Auſtralẽ ſe reci-



DESCRIPCION DEL DESTIETO
DEL AVDIENCIA DE LIMA
11

RPJCB

ſe reciperet Adelantadus *Petrus de Aluarado*, cum Guatemalæ eſſet vna cum exercitu. Prope vrbem ad Orientalem eius partem fluuius labitur, qui & incolis aquam ſufficit, & hortos ipſorum irrigat, in quibus eximii fructus Caſtellani naſcuntur, aliique regionis proprii & domeſtici. Aeris bonitate nullis orbis terrarum tractibus cedit, neque enim aut fames vlla terram hanc premit, aut peſtis affligit, aut pluuia, aut tonitru, aut fulmen, verum perpetua ſemper ſerenitate nitet cœlum, nullis vicibus ac alterationibus obnoxium. Reſidet hic pro-Rex, aula, officiales regii & regis gazophylacium, curia S. Inquiſitionis, eodem conſtituta tempore cum curia Inquiſitionis in noua Hiſpania. Eratque in iſtis regnis Inquiſitor generalis, Cardinalis *D. Diego de Eſpinoſa* Epiſcopus *de Siguenza*, qui ordinem iſtum, vti & alia ad promotionem ſanctæ & Catholicæ fidei & religionis Chriſtianæ ſpectantia conſtituit. In eadem vrbe Academia eſt, in qua & humaniores diſciplinæ, & variæ Indorum linguæ traduntur, idque præcipue cura & induſtria patrum Ieſuitarum, qui Euangelii propagationi non ſegniter his in locis incumbunt. Sedes quoque eſt Metropolitani Archiepiſcopi, cuius ſuffraganei ſunt Epiſcopi *de Chiles*, *Charcas*, *Cuzco*, *Quito*, *Panama*, *Nicaragua*, & fluminis *de la Plata*. Tres habet parochias, & quinque Cœnobia quatuor Ordinum, & Ieſuitarum, duo vero monialium. Portus eius *Callao* eſt, duabus ab ea remotus leucis, amplitudine & commoditate ſua laudabilis, necnon ædificiorum multitudine. Prætorem habet & Telonium, templum adhæc & Cœnobium Dominicanorum. Hic loci aqua ac vinum lagenis & vtribus incluſum ad refrigerium aquis marinis exponuntur; vnde colligitur, Oceano ineſſe vim ac virtutem temperandi immodicum calorem. Affirmant multi eſſe in hac ciuitate 12000. mulieres omnis nationis, & 2000. Æthiopas ſiue nigros.

Vrbs *Arnedo* in Valle *Chancai*, 10. à *los Reyes* leucis, à mari ſemileuca, Cœnobium habet vnicum Dominicanorum, vineiſque abundat. Conditor eius eſt *Conde de Nieua*. *Arnedo.*

Vrbs *de la Parzilla* ſiue *Santa*, ſic dicta eſt propter vallem, in qua ſita eſt, 55. à *los Reyes* leucis, & 15. à *Truxillo* diſtat, prope mare, non longe à fluuio quodam inſigni. portum habet commodum, in altitudine 9. graduum, in quem ſe recipiunt naues circa oram Peruuiæ nauigantes. *Santa.*

Vrbs *Truxillo* in Valle *de Chimo* poſita eſt, cuius primum ichnographiam concepit *D. Diego de Almagro*, poſtea vero condita eſt à marchione *Farnciſco Pizardo* Anno 1533. Vinetis luxuriat, fructuſque Caſtellanos & triticum fert abundanter. Rore humectatur regio, & ſaluberrimo cœli tractu gaudet. Poma fert aurantia iuſtæ magnitudinis, & gallinas nutrit copioſe. Altitudinem attingit graduum 7½. & à *Lima* 80. abit leucis, mari vicina eſt, cœnobiaque habet Dominicanorum, Franciſcanorum, & Auguſtinianorum, & aliud Mercenariorum, Officiales regios curæ Vice-Regis commiſſos. Sub iuriſdictione ſua habet Indos tributum pendentes 50000. in vicis ac tribubus 42. Portus duabus hinc leucis abeſt, ſitus in ſinu ac maris diuerticulo, quod non ſine periculo adire licet. *Truxillo.*

Vrbs *Miraflores* in Valle *Zana* iacet, 95. à ciuitate *los Reyes* leucis, ad plagam Borealem prope mare. *Miraflores.*

Vrbs *de Chachapoyas*, ſiue *S. Iuan de Frontera*, 120. pene leucis ab vrbe *los Reyes* verſus Mezen ſita eſt. Cœnobium habet Mercenariorum, aliudque Franciſcanorum. *Chachapoyas.*

Territorio ſuo triticum, mayzum, & linum fert. Auri fodinis locuples eſt, ſibique ſubditos habet Indos tributarios 20000. qui longo tempore fortiter ac animoſe ſe opponebant *Ingis*, libertatis tuendæ ſtudio, à quibus tandem victi in vrbem *Cuſco*

translati

tranſlati ſunt, colſemq; inhabitarunt dictum *Carmenga*. Sunt *Inges* Indorum gens vultu candidiore, magiſque humanitate & ciuilitate exculta, quin & à forma & venuſtate, ſupra alias, commendantur mulieres. Prouinciam hanc inuaſit *Alphonſus de Aluarado*, Anno 1536. iuſſu marchionis *Franciſci Pizardi*, eamque ſub poteſtatem ſuam redegit, quin & colonos in vrbem iam dictam deduxit, loco ſitu munito, quem *Leuanto* vocant. Hinc porro in prouinciam *de los Guancas* perrexit.

Sant-Iago de los Valles. Vrbs *Sant Iago de los Valles* ſiue *Moyobamba*, plus 100. à *los Reyes* leucis recedit, fere ad Mezen, & 25. à *S. Iuan de la Frontera*, loco ſita pluuio, & pecorum fœcunditate nobili.

Leon del Guanuco. Vrbs *de Leon del Guanuco* 500. à ciuitate *de los Reyes* leucis ad Septentrionem iacet, prope viam regiam *de los Ingas*, nonnihil ad Orientem declinando. Cœnobiis plurimis inſignis eſt, nempe Dominicanorum, Franciſcanorum, & Mercenariorum, ac iuriſdictione ſua 30000. tributarios Indos continet. Anno 1539. miſſus huc eſt à *Franciſco Pizardo* Dux *Gomez de Aluarado*, ad retundendam vim tyranni *Yllotopæ*, qui bellis hos tractus infeſtabat. Idem dux colonos in eam deduxit, & poſtea abduxit. Verum reſtaurauit eam *Petrus Barroſus*, & poſt conflictum *de Chüpas*, Licentiatus *Vaca de Caſtro* miſit Ducem *Petrum de Puelles*, qui factæ tranſactionis articulos exequeretur. Situs eius loco eſt commodo & peroportuno, aere ſalubri, commeatu omni & pecorum copia affluente. Argenti fodinas habet, incolas ciuiles & perhumanos. tritici vberem meſſem colligit, quia agriculturæ artem edocti ſunt indigenæ, cum antea vix triticum, hordeum, panicum, milium, aliaque ſemina, è quibus panis conficitur Europæus, haberet. Nullum ipſis granorum genus notum præter radices Mayzi, quæ per vniuerſam fere Indiam reperiuntur. Veſcuntur iis indigenæ. non ea eſt vis ac efficacia mayzo, quæ tritico, quanquam & craſſius & calidius ſit. ſanguinem gignit, & in arundinum cannis creſcit, quæ modo vnam, modo geminam ariſtam protrudunt. Veſcuntur etiam illo Caſtellani, aliarum frugum penuria.

Guamanga. Vrbs *Guamanga* ſiue *S. Iuan de la Victoria* 60. à *Lima* leucis, verſus Euronotum, in via, quæ ad *Ingas* ducit, ſita eſt. Epiſcopatus eſt *de Cuzco*, cœnobiaque habet Dominicanorum, Franciſcanorum & Mercenariorum, & vnicum monialium, Indos vero tributarios plus quam 30000. Tritici ac vini fœcunditate gaudet, necnon argenti fodinis. Fundauit vrbem *Franciſcus Pizardus* Anno 1539. ac primum in vico quodam Indorum *Guamanga* eam conſtituit, prope magnos *Cordilleras de los Andes*, vicariumque ſibi delegit *Franciſcum de Cardenas*, poſtea vero in eum, in quo nunc eſt, locum translata eſt, in planitiem nempe, prope loca montoſa ad Auſtralem plagam, non longe à riuulo ac torrente. In hac vrbe ædes cernas lateritias, quibus ſplendidiores non habet Peruuia. Loco ſita eſt ſalubri, cui neque Solis radii, nec aeris intemperies, nec frigus, nec æſtus, nec humiditas quicquam incommodant. Reperiuntur in eius ditione magnæ molis ſtructuræ ac ædificia, quæ Indi ab hominibus candidi coloris & hirſutis, qui ante *Ingas* hæc loca incolebant, conſtructa affirmant, forma plane diuerſa ab iis ædificiis, quæ *Inges* fabricant. Præcipuam indigenarum partem faciunt, *Mitimaes*, hoc eſt, ſi interpreteris, *tranſplantati*. Morem enim hunc habebant *Inges*, transferendi de loco in locum incolas, de quorum in patriam fide dubitabant, idque ad maiorem regnorum ſuorum ac imperii ſecuritatem. *Guamanga* 60. à *Cuzco* leucis diſtat, & circa hanc viam in planitie *de Chupas* tauros venari ſolebant, quo loci inter ſe conflixerant *Vaca de Caſtro*, & *D. Diego de Almagro* iunior. Vlterius paulo in via regia occurrunt ædificia de *Vilcaſ* in *Andabaylas*, 11. à *Guamanga* leucis, qui locus meditullium

tullium eſt Noui regni *de Ingas*. Fuit hic magnum templum Solis. Prouincia hæc *de los Andabaylos* opulenta eſt & prouentu diues. Armenta & greges alit magna copia, adhæc ædificia & domos habet plurimas. Hinc ad fluuium *Abancay* peruenire datur, 9. propius ad *Cuzco* leucis, quo loci *Adalantadus D. Diego de Almagro* ſenior prælio vicit & captiuum abduxit *Alphonſum de Aluarado*, præfectum Marchionis *Franciſci Pizardi*. *de los Andabaylos.*

Hæc poſt magnus fluuius *Apurima* ſequitur 8. à iam dicto flumine diſtans leucis. Quem proxime ſitu excipit mons *de Vilcaconga*, quo loci inſignem de Indis victoriam reportauit *Adalantadus* ſiue Thalaſſiarcha *Almagro*, idque ante expugnatam ciuitatem *Cuzco*. Huic vicina eſt vallis *de Xaquixaguana* inter ipſos *Cordilleras* jacens, nec longa valde nec lata. Hic loci præſes P*edro la Caſca* adiutus fortitudine & militari prudentia præſtantiſſimorum Ducum *Ynoioſæ, Petri de Valdiuia, Gabrielis de Roy.us, Alphonſi de Aluarado*, aliorumq; de quibus ſuo loco dicetur, prælio fudit & captiuum abduxit *Gonzalum Pizardum*. Diſtat ab vrbe *Cuzco* vallis hæc leucis 5. Pecudum multitudine & tritici prouentu celebris eſt.

Cap. XX.

In quo reliqua, quæ ad Cameram de los Reyes *pertinent loca, recenſentur.*

OCto aut decem circiter ab vrbe *Guamanga* leucis fere ad Thraſciozephyrum celebres fodinæ *Guancabeiica* occurrunt, quas *el Aſsiento de Oropeſa* vocant, prope quas plus quam 300. habitant Caſtellani. Eruuntur ex iis lapides, quorum coloribus Indi ſub paganiſmo ad bellum profecturi corpora ſua pingere & inungere ſolebant. Sunt autem lapides coloris ſubrufi, Hiſpanus *Bermellon* vocat, nos *Cinnabarin*. Accidit autem, vt imperante in Peruuia Licentiato *Lope Garcia de Caſtro* Anno 1566. Luſitanus quidam *Henricus Garces*, obſeruauerit ex illo lapide argentum viuum extrahi, qui facto experimento rem ita ſe habere comperit. Romani metallum hoc è Caſtella lapide ſupradicto contentum Romam auexerunt, extracto inde argento viuo. Magnum inde faciebant quæſtum, verum Indos latuit hæc res, qui non aliud quam ipſum Cinnabarem quærebant. Præcipuus argenti viui vſus hic eſt, quod eius virtute argentum à terræ, plumbi, æris, aliorumque, quibus connaſcitur, metallorum admiſtione vindicetur & purgetur, vti & à ſtanno, ferro, & plumbo. Sunt & aliæ eius vires, præter quas, ſuas quoque ad faciendam medicinam partes confert. Pellibus aut lapideis vaſis incluſum aſſeruant. *Forte minium intelligit.*

In tractu *de Guania Velica* fons eſt, cuius aqua ſcaturiens in petram aut ſaxi mollioris duriciem rigeſcit, è quibus petris domos exſtruunt. Quotquot verò de hac aqua bibunt, emori neceſſe eſt, quia in ipſo quoque corpore humano lapideſcit. In balneis, quæ de *Inga* vocant, prope *Cuzco*, duo ſunt canales ſibi inuicem vicini, quorum alter feruet, alter friget, quos ad mutuam temperiem diuina prouidentia hic coniunxit. Eſt quoque in eodem imperio fons, cuius aqua inter fluendum in ſalem candidum mutatur. Prope hunc locum, relicta in medio planicie, *Cordilleras* montes diuelluntur & hiatum faciunt. Iſta autem planicies prouincia *Callao* dicta eſt, in qua multi ſunt fluuii & magnus lacus *Titicaca*, agrorumque & paſcuorum vaſta ſpatia. Quanquam verò æquabile ſit ſolum, tamen hic illic collibus ſuis & cliuis aſſurgit, eadem qua loca montana intemperie *Fons mirabilis.* *Titicaca lacus.*

temperie

temperie laborans. Nec ſyluas nec ligna habet. Pro pane incolis ſunt radices, quas *Papas* vocant, qui per vniuerſam Peruuiam creſcunt. Regio eſt populoſiſſima & mira aëris ſalubritate gaudens. Pecorum adhæc fœtu & paſtu nobilitata. Lacus *Titicaca* peridromum habet 80. leucarum, & quibuſdam in locis profundus eſt cubitos 80. ideoque propter fluctus ventis ſublatos maris ſinus eſſe videtur, à quo 60. abeſt leucis. In hunc 12. aut 13. excurrunt fluuii, ac torrentes plurimi. Vnus vero ex eo originem ducit fluuius, qui in alium lacum, quem *los Aulagas* vocant ſe exonerat. Et quia ſub terris aquarum meatus deprehenſi ſunt, autumant lacuum iſtorum aquas per ſubterranea loca, viam in Oceanum affectare. Sunt in lacu hoc inſulæ, & ad ripam eius pagi plurimi & agrorum vaſti tractus. Atque hic loci, quæ pretioſiſſima habebant Indi, maioris ſecuritatis gratia aſſeruare ſolebant.

Cuzco. Magna ciuitas *Cuzco* regia eſt ſedes *Ingarum*, & regni metropolis, nunc vero regnorum Peruuiæ, quem titulum à regibus Caſtellæ ac Legionis habet. Ad altitudinem grad. 13. & ½ adſcendit, & longitudinis gradus 78. ſupputat, à ciuitate *de los Reyes* verſus Euronotum 125. abit leucis. Ciues Caſtellanos plus mille habet. Fundata fuit à Marchione *Franciſco Pizardo*. Parochias habet 8. quatuor monaſteria Dominicanorum, Auguſtinianorum, Franciſcanorum, & Mercenariorum, nec non vnum Ieſuitarum & Monialium. Reſidet hic Cathedralis Eccleſia ſuffraganea Archiepiſcopatus *de los Reyes*. Hæc vrbs iam inde ab Ingarum tempore in quatuor excurrit vias regias ſecundum quatuor mundi plagas diſtinctas. Primam vocant *Chinchaſuyo*, quæ Septentrionem verſus ad planiciem & prouinciam *Quito* abit. Secundam *Condeſuyo* vocant, quæ Occidentem & mare ſpectat. Tertiam *Collaoſuyo*, quæ Meridiem & *Chilem* ſpectat. Quartam *Andeſuyo*, quæ ad *Andes* abit, & montium decliuia. Aeris hic ſumma eſt temperies, moderate frigida, ſalubris adhæc & corporibus conueniens. nulli hic venenati vermes ac inſecta noxia. Quin omnium fructuum Caſtellanorum, florum fragrantiſſimorum & herbarum quauis anni tempeſtate abundantia affluit. In huius diſtrictu vallis eſt *Toyma*, aliæque, quæ *Cocao* copioſe ferunt, & auri, argenti ac argenti viui arrugiis abundant. Indos habet tributarios 100000. Familiare eſt per vniuerſam Indiam indigenis mandere radices, ac herbas has vel illas. Maximus autem in Peruuia vſus eſt *Coca*, quam dentibus attritam & manſam famem profligare aiunt, & vires ſpirituſque agilitate quadam & vigore perfundere, quanquam ob inueteratam potius conſuetudinem ac receptum cacoethes hoc ab illis factitari perhibeant. Hæc herba *Coca* plantata in fruticem aſſurgit, ſtudioſe & tenere colitur, baccaſque, quales Myrtus habet, profert, quæ mox exſiccatæ corbibus ac calathis in foro magno precio diuenduntur.

S. Franciſco de la Vitoria. In valle *Vilcabamba* ſita eſt vrbs *S. Franciſci de la Vitoria*, in *Andeſuyo*, inter *Cordilleras de los Andes* 20. ferè à Cuſco leucis Orientem verſus. Gubernatorem habet, à Vice-rege deſignatum. Ad Epiſcopatum Cuſco pertinet, tractu horrido ac montibus altiſſimis aſpero poſita.

S. Iuan del Oro. Vrbs *S. Iuan del Oro* in prouincia eſt *de Carabaya*, 80. à *Cuzco* leucis verſus Vulturnum, & 30. Orientem verſus à lacu *Collao*. *del Oro* vocatur, quia magna in huius territorio auri copia reperitur.

Arequipa. Vrbs *Arequipa* in altitud. 16. graduum ſita eſt, 130. à *los Reyes* leucis, ferè ad Euronotum ſecundum tractum littoralem, 60. à *Cuzco* abeſt. Ad Epiſcopatum *del Cuzco* pertinet. Monaſteria hic ſunt Dominicanorum, Franciſcanorum, & Mercenariorum. Indos habet tributarios 50000. Aeris temperie omnibus aliis Peruuiæ locis antefertur.

Multum

Multum hic vini colligitur, multum tritici. Portus eſt in ipſo fluminis *Chile* aditu, qui prope vrbem ipſam labitur, quo loco naues merces ſuas reddere, & in terram exponere ſolent.

Sita eſt *Arequipa* in valle *Quilca* 14. à mari leucis, & iuriſdictionis ſuæ limitibus continet prouinciam *de Condeſuyo* & vicos *de los Hubinas*, *Collaguas*, *Chiquiguanita*, & *Quimiſtaca*. Condidit eam Anno 1534. Marchio *Franciſcus Pizardus*. Terræmotibus ſubinde, vti omnes Indiæ tractus, præcipue maritimi, concutitur. Anno 1582. tam vehemens accidit terræ-motus, vt ipſam fere vrbem ſubuerterit; & hac tempeſtate alius quidam accidit, vti & montis cuiuſdam fiſſio ac diſruptio, de qua mira narrant. Anno 1586. 9. Iulii in vrbe *de los Reyes* terræ motus fuit, qui iuxta oram maris ad leucas 160. percipiebatur, & 56. verſus tractus mediterraneos. Vrbem omnem ſubuertit funditus, ſed nullo hominum, qui in agros confugerant, periculo. Ceſſante autem terræ motu mare ad 14. vlnarum altitudinē intumeſcens terras omnes operuit. Similis fuit terræ motus ſequenti Anno 1581. in *Quito*, in vrbe *la Paz*. Rupes excelſa obruit Indos quam plurimos præſtigiatores, & ad ſeſquileucam ſubuerſum fuit terræ ipſius ſolum. Etiam in *Chile* accidit terræ motus, cuius vi & montes & valles ſubuerſæ, occluſi fluminum riui & fontes, & laxatæ maris ad leucas aliquot habenæ, diruti pagi, magnaque hominum exſtincta fuit multitudo. Tradunt philoſophi terræ motum accidere vi Solis aliorumque corporum cœleſtium, attrahentium ad ſe non ſolum exhalationes è terræ ſuperficie, ſed & intimis terræ locis ac viſceribus, quæ exhalationes dum propter terræ incumbentis craſſitiem ac denſitatem penetrare nequeunt, hac illac viam affectant, & tandem, vti accenſus in cuniculis puluis tormentarius, qua data porta ruunt, & terræ molem concutiunt; idque tanto vehementius, quo maior eſt exhalationum & ventorum in occultis terræ meatibus ac cauitatibus copia.

Vrbs *S. Michaelis de la Ribera*, 6. à mari abeſt leucis in valle *de Camana*, à *los Reyes* 113. ab *Arequipa*, 22. ad plagam Æquatoris Auſtralem, ad Epiſcopatum *del Cuzco* pertinens. **S. Michael de Ribera.**

Vrbs *Valuerde*, in valle *Yca*, 35. à *los Reyes* leucis diſtans, 10. verò à portu *de Sangalla*, ſub iuriſdictione eſt *de los Reyes*, & Archiepiſcopatus. Territorium eius triticum, mayzum, alioſque fructus, vti & vina, copioſe profundit. **Valuerde.**

Vrbs *Canjete* ſiue *de Guarco* in valle quoq; poſita, 25. à *los Reyes* leucis verſus Auſtrum abeſt, à mari ſeſquileuca. Optimum fert panem, quem in farinas redactum magna copia in *Terram Firmam* mittunt. **Caniete.**

Priuſquam ad hanc vallem perueniatur, aliæ valles occurrunt *de Chilca* & *Mala*. Prior nec imbribus, nec fluuio aut riuulis vllis rigatur. Aquam quam bibunt ex puteis hauriunt. Solo cœli rore adſpergitur, qui fœcunditatem pratis agriſque largitur. Copioſa hic eſt piſcium, quos Sardinas vocant, piſcatio, quos vna cum granulo mayzi ſulcis abdunt, atque hac humiditate gaudent ſata. **Vallis Chilca.**

In valle *Mala* ad dirimendum obortas controuerſias conuenerant *Diego de Almagro*, *Franciſcus Piſardus* & Pater *Bouadilla* ordinis Mercenariorum, ſequeſter & arbiter litis. Magnus eam interſecat fluuius, è quo multa ad commeatum & victum petuntur. Quinque vero vlterius leucis fluuius eſt *Guarco*, cuius hinc inde vallis fructuum omnis generis feraciſſima eſt. Huius etiam indigenæ quadriennium totum cum Ingis bella geſſerunt, & ad tutelam maiorem ſui ac dictæ vallis, vrbem condiderunt, *Cuzco* vocatam, quin in victoriæ æternum monumentum in colle arcem exſtruxerunt, cuius gradus & fundamenta fluctibus ſuis ferit Neptunus. Sex à *Guarco* leucis vallis occurrit *Chincha* amœnitate ſua & rerum omnium prouentu celebris. **Vallis Mala.**

In locum templi Solis Indis ſacri, Cœnobium exſtructum eſt Dominicanorum, necnon alterum *de las Virgines*.

Vallis Yca. Hanc proxime ſequitur *Vallis Yca*, quæ nec magnitudine nec fœcunditate prioribus cedit. Hæc valles & fluuios *de la Naſca* de ſe fundit. Illarum præcipua eſt *Caxamalca*, quæ optima vina profert. A vallibus his ad vallem *Hacari* itur, ſuntque hic *Ocania*, *Camana*, & *Quilca*, portus vrbis *Arequipæ*. Has ſequuntur valles *de Chuli* & *Tampabolla*, & *Deylo*, vti & *Tarapaca*, fluuii argenti fodinis opulenti, prope mare. Indi, qui inſulas *de Lobos Marinos* inhabitant, auium fimo ac excrementis agros ſtercorant, & hac ratione ſterilitati ipſorum medentur.

Portus, promontoria & fluuii. Quas jam recenſebo inſulas, cuſpides, portus, ad oram huius Cameræ ſiue Audientiæ conſpiciuntur, facto initio à cuſpide *de Aguia*, quo loci confinis eſt Camera hæc Audientiæ *del Quito*, in altitudine graduum 6. ad Auſtralem Æquinoctialis lineæ plagam. Duæ hic inſulæ jacent, *Lobos Marinos* appellatæ, altitud. grad. ſeptem, quarum altera quatuor à littore abeſt leucis, altera longius. Poſt has alia ſequitur, dicta *San Roque*, verſus Zephyronotum, non longe à *Pazcamayo*; quam in littore excipit portus de *mal-Abrigo*, 10. ante *Truxillo* poſitus leucis altitudine graduum 7½. Septem vero leucis vlterius portus *Guanape* occurrit, necnon portus *de Santa* altitudine 9. graduum. At quinque inde leucis verſus Meridiem portus de *Caſma*, octo leucis vlterius portus *Guarmay* ſe offert, in oſtio fluminis, & 20. ab illo leucis verſus Meridiem portus eſt *la Barranca*, & *de Gaura*, prope quem ſalinæ ſunt nobiles Hunc ſi prætereas, inſula *de Lima* occurrit, in ipſo portus *Collao* aditu, & 20. vlterius Auſtrum verſus cuſpis *de Guarco* prominet, & è regione eius inſula *de lobos Marinos*. Mox cuſpis *de Chica* ſequitur in altitud. 15. grad. poſita, & huic vicinus fluuius *la Naſca*. Hinc cuſpis *S. Laurentij* in valle *de Quilca*, non longe à fluuio *Arequipa*, & *de Caleta de Chulien*. Quæ poſt ſequitur fluuius *Nombre de Dios*, vbi fines concurrunt diſtrictus Audientiæ *de los Reyes* & *de los Charcas*.

Inſeratur hic Tabula 12.

Cap. XXI.

De diſtrictu Cameræ, & Audientiæ de la Plata, *ſiue* de los Charcas.

Diſtrictus Cameræ *de los Charcas* conterminus eſt Audientiæ *de los Reyes*, altitudinem polarem habens graduum 17. cum dimidio verſus Meridionalem Æquatoris plagam, prope fluuium *Nombre de Dios* & initium lacus *de Collao*. Longitudo eius ad leucas 300. extenditur ad vallem vſque *Copiapo*, à qua principium ſumit prouincia *Chile* altitudinem attingens grad. 28. quanquam iter facientibus 400. conficiendæ ſint leucæ. Ab Oriente in Occidentem eas terras complectitur, quæ Auſtrale & Atlanticum mare interiectæ ſunt, quæ prouinciis fluminis *de la Plata* ex aduerſo reſpondent. Nec tamen omnes eius tractus explorati ſunt, cum maxima huius prouinciæ pars montoſa ſit, magiſque frigida quam calida. Huius Audientiæ præfecturam habet Pro-rex *Peruuiæ*, vti & *del Quito*, & *de los Reyes*. Duos habet Gubernatores, duos quoque Epiſcopatus, vnum *de los Charcas*, alterum *de Tucuman*. Prouincia *de los Charcas* ea vocatur, quæ confinis eſt Cameræ *de los Reyes* & ſupra *Potoſi* excurrit, longitudine ab Auſtro in Boream penè 150. leucarum, & totidem inſuper ab Oriente in Occidentem.

Regio



DESCRIPCION DEL AVDIENCIA DE LOS CHARCAS 12

RPJCB

Regio frugum minus ferax eſt, licet armenta & greges alat copioſiſſime, præcipue in *Collao*, hoc eſt, à *Titicaca* ad vſque *Charcas*, quo loci plane contrario ac in Europa modo ſe habent æſtas & hyems. Affluit & ſcatet animalium frequentia, præcipue ouium, quarum lana à ſubtilioribus filis commendatur.

In hac prouincia quatuor ſunt Caſtellanorum oppida, ad eundem pertinentia Epiſcopatum: nempe vrbs *de le Plata*, quæ à Duce *Peranzurez* colonos accepit Anno 1583. iuſſu Marchionis *Franciſci Pizardi*. Longitudinem habet grad. 72. à Meridiano *Toletano*, hoc eſt leucarum 1780. latitudinem vero 19. A *Cuſco* 75. abit leucis verſum polum Antarcticum, intra Tropicos, ad finem zonæ torridæ. Habet huius vrbis Iuriſdictio in *Charcaras*, 800. ciues Caſtellanos. Regio eſt frigidiſſima, cum habita ratione altitudinis polaris, cui ſubiecta eſt, temperata eſſe deberet. Reſident hic Camera, Eccleſia Cathedralis & Cœnobia Dominicanorum, Franciſcanorũ, & Mercenariorum, ſubditoſque ſibi habet Indos tributarios 60000. in 29. diuiſos claſſes ſiue tribus, Argenti fodinis locuples eſt, & Caſtellana ſemina liberaliter fert. *De la Plata.*

Vrbs *de Nueſtra Senjora de la Paz*, alio nomine *Pueblo nueuo*, & *Chuquiabo* dicta, in medio prouinciæ *de Collao* iacet, 100. à *Cuſco* leucis, & à *la Plata* 80. Cœnobia habet Franciſcanorum, Auguſtinianorum & Mercenariorum, vberemq; & vini & animalium prouentum. Fundauit eam Dux *Alphonſus de Mendoza* Anno 1549. quo tempore Præſidis officio fungebatur Gubernator *Peruuiæ* Licentiatus *Petrus de la Gaſca*, Epiſcopus poſtmodum *de Siguenca*. Prouinciam de *Chicuito* in regione *Collao* pene ad *Mezen* reſpectu vrbis *de la Plata*, à qua plus 100. diſtat leucis, Indi incolunt, ſub Iudice Caſtellano. Ad Epiſcopatum *de los Charcas* pertinet. Cœnobium habet vnicum Dominicanorum, ſed pecorum infinitam multitudinem. Ad ripam lacus *Titicacæ* iacet. *Nueſtra Senoira de la Paz.*

Oropeſa colonia eſt Pro-regis *Franciſci de Toledo*, in valle de *Cochabamba*, 20. ab vrbe *de la Plata* leucis. Magnum eius incolę ex tritico, mayzo & pecudum mercatu lucrum faciunt. *Oropeſa.*

Ciuitas Imperialis *Potoſi* in altitudine grad. 19. poſita eſt 18. ab vrbe *de la Plata* leucis, & 8. fere à lacu *Aullagas* Orientem verſus, ad radicem montis *Potoſi* qui *Mezen* reſpicit. Domos Caſtellanorum 500. habet, quibus fodinarum commiſſa eſt cura, necnon mercatorum, & 50. millia Indorum ad argenti mercatum quotidie commeantium & remeantium. Quanquam verò ciuitas hæc ſui ſit iuris, tamen politicum iudicem alium non habet, quam iudicem *de la Plata*. Sedes eſt ærarii regii, & Officialium regiorum, propter diuites montis *Potoſi* fodinas, quas primum deprehendit Caſtellanus quidam *Villaroel*, non tamen abſque Indorum opera, Anno 1545. *Potoſſi* appellatur, quia hoc nomine montes & loca edita ſignificare ſolent Indi. Tanta hic argenti fuit copia, vt Anno 1549. ſingulis diebus Sabbathi à 25. ad 30. mille peſos Realium excuderint. Mons æquabilem habet ſuperficiem, habitationis loca ſicciora, & frigida, totus ſterilis, nec fruges nec gramen proferens. Nullus Indiæ locus populis frequentior eſt, ob argenti, quod hic reperire eſt, copiam. Ambitum habet duarum leucarum, in quo nihil, quod ad commeatum faciat, & explendam delicatioris palati cupiditatem, deſideratur, quæ omnia tamen aliunde huc rhedis & curribus deportantur. Terra montis colorem refert ſubrufum, figura verò eius formam panis ſaccharicei in pyramidem aſcendentis. Longe verò ſupra alios omnes vicinos montes excellit. Qua ad faſtigium itur, aſper eſt & horridus, & tamen equo vitam dat, ambitu vnius leucæ. A faſtigio ad radicem vſque quartæ partis leucæ diſtantia eſt. Vndequaque argenti venis perfuſus eſt. Portus *Arica*, è quo merces omnes, & extracta è monte argenti pondera alio mittuntur nonaginta hinc diſtat leucis verſus Occidentem. Sex à monte dicto leucis, ad viam; qua *Potoſi.*

ad portum de *Arica* itur, mons *de Porco* conſpicitur, antiquis argenti fodinis celebris. Ex hoc Indos Ingas argentum illud omne extraxiſſe ferunt, quod ornando templo Solis *de Curianche* conſecratum fuit. Erutum hoc fuit iuxta viam magna copia, vbi & hodie adhuc abundanter etuitur.

S. Cruz de a Sierra.

Santa Cruz de Sierra 100. à *los Charcas* abeſt leucis, verſus Orientem, ad viam quæ à *los Charcas* ad *Aſſumtion* in prouinciam *del Rio de la Plata* ducit, quod intervallum 300. menſuratur leucis. Gubernatorem habet à Pro-Rege conſtitutum, necnon iuriſdictionem Eccleſiaſticam *de los Charcas*, & Cœnobium Mercenariorum. A quæ penuria laborat, & tamen tritici, mayzi & vini vbertate gaudet. Confinis vndique eſt variis regionibus Indorum ſub paganiſmo adhuc viuentium, & propter commercia vitæque ſocietatem accidit, vt plurimi Indorum ſacro baptiſmate tincti Chriſtianam religionem amplexi ſint. Primus autem ritus ſacros hic introduxit miles quidam Caſtellanus, qui ſupplicii metu huc confugerat. Is, cum magna aquarum inopia laborarent Indi, crucis eos ſigno ſignabat, & vt humili eam animi demiſſione ac cordis deuotione adorarent hortabatur. Quod dum facerent & precibus inſuper pluuiam à Deo poſcerent, diſſolutus eſt in imbres æther & incolarum vota expleuit. Anno 1560. relicta vrbe *Aſcenſionis* ad fluuium *de la Plata* contendit Dux *Nufflo de Chaues*, vt regiones haſce exploraret detegeretque. Poſtquam vero in vrbem *Santa Cruz de la Sierra* veniſſet, varioſque harum regionum tractus patefeciſſet, à ſuis deſertus eſt, & cum ſe prope *Peru* eſſe putaret, in vrbem *de los Reyes* profectus eſt, quo loci Pro-regis munere fungebatur Marchio *de Canjete*, qui ipſum Vice-gubernatorem filii ſui *D. Garcia de Mendoza* conſtituit, eique imperauit, vt reuerſus coloniam in iſtam vrbem deduceret: quanquam à fluuio *de la Plata* diſceſſiſſet alio fine, nempe vt prouincias *de Dorado* detegeret.

Ad huius Cameræ oram, quæ ad gradus polares 17½. eleuatur, in ipſo fluuio *de la Plata* ſiue *Tampoballa*, portus eſt *de Hilo*, non longe à fluuio, in altitudine 18. grad. cum ſemiſſe, & vlterius Meridiem verſus, occurrit *Morro de los diabolos*. Portus vero *Arica* in altitud. graduum 19. cum dimidio, portus *Tacama*, in altitud. grad. 21. vti & cuſpis *Tarapaca* ad Meridiem. Vlterius fluuius eſt *de la Pica* & alius *de la Hoia*, vti & ſinus *de Montela*, & magis ad Auſtrum Cuſpis *de Farollones*, ſiue *Morro Moreno* occurrit, antequam ad ſinum & fluuium *S. Claræ* perueniatur. Amplius ad Meridiem fluuius *la Quebrada*, & cuſpis *Blanca* & *Quebrada honda*, & fluuius *S. Clara* 30. penè à fluuio *Copiago* leucis, vbi deſinunt limites *de los Charcas*, & initium ſumit prouincia *Chiles*.

Tucuman.

Prouincia & præfectura *Tucuman*, in mediterraneis terræ partibus ſita eſt. Extenditurque eius diſtrictus à prouincia *de los Chicas*, qui iuriſdictioni Imperialis vrbis *Potoſi* parent, in eadem poſita altitudine cum ciuitate *Aſſumcion*, 100. penè à *Rio de la Plata* leucis, ad oram maris Pacifici contermina prouinciæ *Chiles*. Regio temperata eſt, ſic ſatis fœcunda, & auri ac argenti fodinarum, quod quidem conſtet, in hunc diem expers. Loca Caſtellanorum habet ſub vno Epiſcopatu hæc, nempe ciuitatem *Sant Iago del Eſtero*, quam primum *del Varco* appellarunt, altitudine grad. 28. à *Potoſi* verſus Meridiem 85. leucis nonnihil ad Orientem vergens. Sedes eſt Gubernatoris, Officialium regiorum, ac ærarii regii, necnon Epiſcopatus & Cathedralis Eccleſiæ.

S. Maria de Talauera.

Vrbs *Santa Maria de Talauera*, 45. à *Sant Iago* verſus Boream leucis diſſidet, à *Potoſi* 40. altitudinem habens graduum 26.

S. Michael.

Vrbs *S. Michaelis de Tucuman*, 28. à *Sant Iago* abit leucis verſus Occidentem, iuxta viam *de los Charcas* poſita, altitudine grad. 27. Colonos accepit, quo tempore pater *Don Garciæ de Mendoza* Marchio *de Caniete* Vice-regis titulo imperabat. Sunt etiam hic alia

loca,

RPJCB


DESCRIPCION DE LA
PROVINCIA DE CHILE
13
LOS ANDES
MAR DEL SVR
de las Prouiaˢ del eſtrecho
Lago de Ancud
Caſtro
L. de los Coronados
R. de las Canoas
Oſorno
B. grande
P.º de la galera
Valdivia
R. de Valdivia
Villarica
B. de queule
R de Tolten
La imperiale
P.ᵗᵒ de Cauten
Y.ᵃ democha
Los infantes
P.º de Cãnete
Y.ᵃ de Sᵗ. maria
Aranco
B. de Arauco
P.ᵗᵒ de talgucano
La concepcion
P.º de la herradura
R. ytata
P.ᵗᵒ y R demaule
S. Iu.º de la frontera
S. tiago
P.º Val paraiſo
Topocabna
Mendoça
P.º quintero
P.º de la ligua
La ſerena
R. de coquimbo
R. de Guasco
Valle de copeapo
R. de Copiapo
del audiencia de los

loca, noua *Londres*; & *Chalcaque*, quam nouam *Corduram* vocabant, in prouincia *de los Iurias* & *Draguitas*, quorum incolæ paucis retro annis alio translati ſunt. Indigenæ huius tractus laneas veſtes gerunt, & interiecto corio affabre elaboratas; ad modum tapetorum Caſtellanorum. Magnam alit pecorum frequentiam, propter lanæ vſum, ex qua quæſtum vberrimum faciunt. Habitacula ſua arcte coniungunt, nec ſparſim, ſed vicatim habitant, quanquam minores ſint pagi, nec vſque adeo frequentes. Cum vero ſingulis ſingulæ fere familiæ contineantur, rubis ac ſentibus vepretiſque cinguntur, propter perpetua, quæ inter ipſos vigent, bella & ſimultates. Gens eſt indefeſſi laboris, nec ebrietati, vti aliæ Indorum nationes, dedita. Septem flumina eaque majora prouinciam iſtam irrigant, & torrentes plus quam 80. ab aquarum bonitate laudati. Paſcua inſigni hic amœnitate nitent eaque magnitudine vaſta. Eadem hic, quæ Caſtellæ, eſt æſtatis & hyemis tempeſtas. Tractu jacet ſalubri & temperato. Primi in eam ingreſſi ſunt Duces militum *Diego de Rojas, Philippus Gutierraz & Nicolaus de Heredia*, qui eam aperuerunt ab iſta parte fluminis *de la Plata*, ad propugnaculum vſque *de Gaboto*.

Inſeratur hic Tabula 13.

CAP. XXII.

De diſtrictu Præfecturæ Chiles.

ANno 1534. in vrbe *Toletana* demandatum eſt *D. Diego de Almagro*, vt Gubernatoris titulo præeſſet terræ tractui magnitudinis leucarum 200. quæ longius & remotius eſſet ſita, quam præfectura *Franciſci Pizardi*, verſus fretum *Magellanicum*. Atque hic terræ diſtrictus Imperium *Toletanum* dictum fuit. Poſtquam vero huc conceſſiſſet *Diego* iſte, vt in prouinciæ formam eam redigeret, nec tamen perficere negotium hoc poſſet, demandatæ ſunt eæ partes Marchioni *Franciſco Pizardo* Anno 1537. qui eo miſit *Petrum de Valdiuia* comitatum 50. Caſtellanis Anno 1540. Quotquot ſub hoc Imperio continentur regiones ad latus Auſtrale Æquatoris, maiorem altit. habent populi Antarctici, quam regna *Peruuiæ*, ſitæque ſunt intra zonam torridam, ab Æquinoctiali linea ad Tropicum vſque Capricorni; qui per locum tranſit, è quo ablati ſunt coloni, dictum *Atacama*. Situs eius eſt à 23. ad 26. gradus altitudinis polaris, vbi initium ſumit regnum *Chiles*, ſiue, vti Indi loquuntur, *Chilles*. Antequam vero ad terras habitatas venias, fluuius occurrit *de la Sal*, altitud. grad. 23. ad Orientalem plagam montium *Cordillera*, verſus Occidentem & mare *del Zur* excurrens, per vallem profundiſſimam. Quanquam vero aquas limpidiſſimas & puriſſimas, habeat, tamen ea adſperſa & adhæreſcens equorum pilis, qui eo ſe ad bibendum conferunt, in ſalis conſiſtentiam calore ſolis concreſcit, tamque eſt ſalſa, vt bibi non poſſit. Priuſquam vero primam prouinciam *Chiles* ingrediaris, fluuius ſpectatur ad maris littus longus leucas 22. quo loci *Xaguyes* reperiuntur, ſiue aquarum putei, quos ſolos toto hoc 22. leucarum tractu inuenies. Situm eſt imperium hoc ſiue præfectura ſub Zona, veteribus *Deſerta* appellata, & ab Indis candidi coloris frequenter colitur. Ad littora maris Pacifici ſiue magni jacet, quod ipſum mare huius prouinciæ & *Chinenſis* imperii littoribus intercluditur.

Præfectura hæc longa eſt à Septentrione in Auſtrum leucas 500. & ad fretum vſque *Magellanicum* excurrit, à valle *Copiapo* incipiens, quæ altitudinem grad. 27. habet, ab

Oriente vero in Occidentem ſiue à mari Pacifico ad mare vſque Atlanticum latitudinis ſuæ leucas, numerat à 400. ad 500. quæ tamen in anguſtum deſinit, vſque dum à freto recurrat ad leucas 90 aut 100. Pars huius præfecturæ culta & οἰκουμένη 300. numerat leucas, iuxta oram maris Borealis, latitudinem vero numerat 200. leucarum, quæ ad *Cordilleras de los Andes* minor eſt. Deſinunt hi prope fretum, & in profundiſſimas intimaſque Americæ partes excurrunt, perpetuis fere niuibus operti. Regio eſt plana, nec vlla terrarum aſperitate horrida, niſi qua parte *Cordillera de Peru* initium ſumunt, qui ad 2 aut 3. leucas juxta littus ipſum extenduntur.

Quanquam vero harum prouinciarum temperies varia ſit, & vices ſuas ac viciſſitudines experiatur, propter altitudinis polaris, quibus coextenduntur, varios tractus, tamē nulli Indiarum parti aëris ac cœli clementia cedunt, nulli habitatorum frequentia, & in eadem ferè cum Caſtella ex oppoſito grad. altitudine iacent. Quin commeatus omnis copia, rerumque omnium fœcunditate, fodinarum aliorumque metallorum opulentia, indigenarum robore & agilitate cum aliis Indiæ tractibus certat. Gens bellis aſſueta difficulter ſe in ordinem cogi paſſa eſt Quin & hodie bella gerunt, qui montes, & ea loca inhabitant, vbi *Cordilleras* terminantur, in prouinciis de *Arauco, Tucapel*, & valle *de Puren*, interiecta inter vrbem *Concecion* & *los Confines* & *la Imperial* ciuitatem.

Quinque hæc Præfectura pagos Caſtellanorum numerat. Gubernatorem illi præficit Pro-rex *Peruuiæ*, poſt abrogatam, quæ in ea fuit, Audientiam & Curiam. Epiſcopatum habet geminum, ſuffraganeos Archiepiſcopatus *de los Reyes*.

Sant Iago. Habet Epiſcopatus *de Sant Iago* oppida quatuor. Quorum primum eſt *Sant Iago*, prima *Chiles* colonia, quam condidit Dux *Petrus de Valdiuia* Anno 1541. Poſita eſt in altitud. grad. 34. ac in longitudine grad. 77. leucis à Meridiano Toletano diſtans 1980. à mari 15. & 10. inſuper à valle *Chiles*, quæ primum *Neuuo-ſtreno* dicta fuit. Sedes eſt Eccleſiæ Cathedralis, & Cœnobiorum ordinis Dominicanorum, Franciſcanorum, & Mercenariorum, Loco ſita eſt tritici, vini, aliarumque rerum feraciſſimo, necnon auri fodinis opulentis celebri. Indos tributarios habet plus quam 10000. in 26. vicos ac tribus diſtinctos. Inſeruit ciuitati huic portus *de Valparayſo*, in oſtia fluminis *Topocalma*, qui vrbem ipſam præterlabitur. Colonos quoque in *Serenam* oppidum deduxit ſupradictus *Valdiuia* Anno 1544. prope portum commodiſſimum. Primus eſt Caſtellanorum locus, ea parte qua in *Chilen* itur, 60. à *Sant Iago* leucis diſſidens, penè ad Septentrionem, verſus Occidentem nonnihil deflectendo, non longe à mari in valle *de Coquimbo*. Cœnobia hic ſunt Franciſcanorum, & Mercenariorum. Rari eam irrigant imbres, nec niſi ter quaterue in anno hic pluit, & in regionibus cis eam poſitis nulla percipitur pluuia. Portus *Coquimbo* in altitud. grad. 32. poſitus, in quem à *Peruuia* venientes naues ſe recipere ſolent.

De Mendoza. In prouincia *de Chucuito* vltra *Cordilleras de les Andes*, tractu frigido & ſterili ſita ſunt oppida *de Mendoza* & *S. Iuan de la Frontera*, in quæ colonos deduxit *Don Garcia de Mendoza*. Oppidum de *Mendoza* in eadem eſt cum *Sant Iago* altitud. 40. ab ea diſtans leucis, ad quam via patet per ipſos *Andes*, ſed propter obiectam perpetuo niuem moleſtiſſima.

S. Iuan de la Frontera. Vrbs *S. Iuan de la Frontera* ad plagam Auſtralem vrbis *de Mendoſa* ſita eſt.

La Conception. In Epiſcopatu *de la Imperial* ſeptem numerantur oppida Caſtellanorum. Vrbs *la Conception*, altitudine graduum 37. à *Sant Iago* verſus Auſtrum 70. diſtat leucis, in ipſo maris poſita littore. Colonos accepit Duce *Petro de Valdiuia* Anno 1550. Reſident hic Gubernatores, ex quo tempore abrogata eſt ſuprema Curia ſiue Audientia, quæ hic ab Anno 1567. ad Annum vſque 1574. obtinuit. Cœnobia habet Dominicanorum,

Franciſcanorum, & Mercenariorum. Portus vrbis ſinus eſt ac maris diuerticulum, cui inſula ad arcendas maris tempeſtates veluti pro vallo obiecta eſt.

Vrbem *Villaneuuam de los Infantes*, ſiue *de los Confines*, coloniam fecit *Garcia de Mendoza*, quæ iuſſu Gubernatoris *Villagran, de los Confines* dicta fuit. Ab vrbe *Conception* 16. abeſt leucis verſus fretum Magallanicum, 8. vero à *Cordillera de los Andes*. Cœnobium habet Dominicanorum, & Franciſcanorum. Contermini huius vrbis finibus ſunt Indi, qui bello ac armis ditiones ſuas tuentur. Per mediam vrbem labitur fluuius præſtantiſſimus *Biobio*, aliique in hunc effuſi, vti & fluuius *Niuequeten*. *Villaneuua.*

In ciuitatem *la Imperial* colonos deduxit *Petrus de Valdiuia*, Anno 1551. Altitudinem attingit graduum 39. & à *Conception* 39. abeſt leucis, verſus fretum *Magellanicum*, tribus à mari leucis, quo loci Cathedralis Eccleſiæ ſedes eſt, vti & Cœnobii Franciſcanorum & Mercenariorum. Ditionis ſuæ ambitu plus quam 80000. Indos habet, alioſque in his tractibus militiæ operam dantes. Præterfluit eam fluuius *Cauten*, per quem in ipſum mare nauigatur, licet portum habeat minus commodum & ſecurum. Colonos quoque in vrbem *Villaricam* deduxit *Valdiuia*, quæ ab vrbe *la Imperial* 16. diſtat leucis, penè ad Euronotum, ab vrbe vero *Conception* 44. vicina *Cordillera Neuada*. Cœnobium hic ſpectatur Franciſcanorum & Mercenariorum. Regio frigida eſt, panis & vini ſterilitate ingrata. *la Imperial.*

Vrbs *Valdiuia* duabus à mari diſtat leucis, ab vrbe *de la Conception* 50. verſus fretum *Magellanicum*. Coloniam eo deduxit dux *Valdiuia*, vti & Cœnobia Franciſcanorum, Dominicanorum & Mercenariorum. Tractu ſita eſt fertili, & tritici aliorumque leguminum feraciſſima eſt. Paſcuis inſuper luxuriat, ſed vino caret. Merces per fluuium *Valdiuiam* deuehuntur, qui prope eam labitur, in cuius oſtio ac faucibus portus eſt, altitudine graduum 40. *Valdiuia.*

Vrbs de *Oſorno* colonia Garciæ de Mendoza 70. aut amplius à *la Conception* leucis recedit, verſus fretum *Magellanicum*. 7. à mari leucis. Cœnobium habet Dominicanorum & Franciſcanorum, necnec Monialium. clima frigidum eſt, nec commeatu abundans, ſed auri feraciſſimum. Territorio ſuo continet Indos 200000. *Oſorno.*

In vrbem *Caſtro* deducti ſunt coloni, quo tempore regnorum *Peruuiæ* imperium habebat licentiatus *Lope Garcia de Caſtro*. Indica lingua *Chilue* vocatur, eſtque poſtrema prouinciæ Chiles colonia, exſtructa in vna ex inſulis, quæ in lacu aut ſinu *de Ancud* ſiue *Chilue* jacent. *Caſtro.*

Archipelagus altitudinem habet 43. graduum, ab *Oſorno* verſus Meridiem abiens leucas 41. Cœnobium habet Franciſcanorum, & in confinibus 12000. Indos. Inſula longa eſt leucas 50. & lata à 2. ad 9. leucas, quam aliæ ſequuntur longa ſerie vſque ad *Cordillera de los Andes* Regio eſt montibus & collibus aſpera, tritici, mayzique ferax, &, quod rarum eſt, in ipſo littore auri & ceræ fodinas habet. *Archipelagus.*

Gubernator *Villagran* abrogato nomine vrbis *Caniete*, quam coloniam fecerat *don Garcia de Mendoza*, *Tucapel* eam appellari voluit, ſed & poſtea abducti hinc coloni. *Tucapel.*

In hac præfectura poſita in altitud. grad. 22 portus eſt & fluuius *de Copeago*, à quo 8. leucis Meridiem verſus fluuius *Guaſco* abeſt, necnon fluuius *Coquimbo* altitud. grad. 32. quem excipit portus *de la Ligua* & *de Quintero* in oſtio fluminis *de Concagua*, ante portum de S. *Iago* ſiue *Valparayſo*: adhæc portus *Topocalma* in fluuio de *Maypa*. Poſt fluuium *Maule* portus ſequitur de *la Herradura* in oſtio fluminis *Itata* ante portum *de la Conception*. In magno flumine *Bobio*, verſus Boream inſula eſt *Santa Maria*, è regione ſinus *de Arauco*, quem portus excipit *Canjete* & inſula *de Mocha* verſus Auſttum: portus inſuper *Portus & flumina.*

de Cauten,qui vrbis *la Imperial* portus eſt,necnon locus,in quo naues exonerantur, fluuiuſque *de Tolten*,ante portum *de Valdiuia*,quem prætereuectis occurrit Cuſpis *de la Galera*: magis vero ad Auſtrum ſinus eſt magnus ſiue portus *de Oſorno*, in flumine *de los Canoas*, 30 vero ab eo leucis verſus Meridiem lacus *de los Coranadus* occurrit, omnium huius imperii fluuiorum ampliſſimus. Præfecturam denique hanc claudit lacus *Ancud*.

Cap. XXIII.

De Prouinciis Freti Magellanici.

PRovinciarum *Freti Magellanici* nomine eæ regiones continentur,quæ à fluuio *de la Plata*,ad mare vſque Auſtrale porriguntur,inter limites præfecturæ *Chiles* & fretum ipſum,à gradibus altitud. 42. aut 43. ad gradus 52. & vltra. Quanquam vero hæ ab vtriuſque maris littore frequentatæ fuerint ſæpius, deprehenſumque ſit eas inhabitari, in hunc tamen vſque diem in prouinciarum formas redactæ non ſunt, nec vlla in has deducta colonia, præter eam, quam huc deduxit *Diego de Valdes*, in ipſius Freti oſtio ad latus

S. Philippi vrbs.

eius Septentrionale Anno 1582; vocaturque colonia iſta vrbs *S. Philippi*, quæ tamen hic loci propter nimium, ob poli vicinitatem, frigus, ſeruari non potuit. Eſtque periculoſiſſima in has terras nauigatio, propter perpetuas, quibus hi tractus infeſtantur, ventorum tempeſtates.

Quanquam vero magnus ad vtrumque freti latus portuum, cuſpidum & promontoriorum ſit numerus, quorum aliqua quoque in ipſis tabulis notata reperias, tamen quibus fluminibus hæc littora hinc inde irrigentur, nondum exploratum plene eſt. Maxime vero nota Promontoria, quæ inter oram *Chiles* & fretum ipſum occurrunt, 100. à

Promontoria & portus.

Valdiuia leucis verſus Africum, hæc ſunt: Promontorium *S. Andreæ* altitud. 47. graduum, à quo ora recta in Auſtrum reflectitur, verſus fretum, vſque ad promontorium *S. Roman* altitud. 48. grad. Et prope inſulam *S. Catalinæ* non longe à ſinu magno, quem *Alcarchofada* vocant, in quo ſinus eſt *de Nueſtra Senora* & inſula *S. Barbaræ*. Vlterius paulo altitudine grad. 48. portus *de Hernangallego* occurrit, necnon ſinus *de los Reyes*, 18. à portu *Hernangallego* leucis, ſinus adhæc *S. Iuan*, altitud. grad. 50. & ½. mox promontorium *S. Franciſci* altitud. grad. 51. quo loci in mediterranea loca excurrunt Canales aliquot; poſt hoc inſula ſequitur *de la Campana* 15. à *S. Franciſci* vrbe leucis, ſuos quoque habens canales, & Sinus *S. Lazari* altitud. 52. grad. ſex inſignis canalibus, iiſque amplis ſatis & in penitiores terræ partes excurrentibus, ſed nondum nauigatis; necnon *Archipelagus* inſularum, qui vulgo ad Auſtrale latus Freti eſſe creditur, quod tamen *D. Richardus Aquinas* inficias it, qui in Meridionali ora Freti nihil eſſe vult, præter inſulas minores quatuor, vnamque in medio poſitam, quæ ab oſtio ipſius freti 6. ad minimum leucis recedant: ipſum verò Archipelagum ad harum latus eſſe. Aſſeuerat idem ad plagam freti Meridionalem continentem non eſſe, idque contra receptam opinionem.

Fretum hoc tranſiit iuſſu pro-regis *D. Franciſci de Toledo*, *Petrus Sarmiento*, & *Antonius Pablo Corſo*, altitudine à 52. ad 53. gradus, in qua pars eius Auſtralior poſita eſt, longitudine leucarum à 110. ad 115. latitudine modo vnius, modo 10. leucarum. E mari Pacifico in Atlanticum per fretum primo nauigatum non fuit. Piratas vero, qui ex Atlantico mari hac in Pacificum tranſiuerunt, hac via remeaſſe non conſtat. Affirmat *Richardus*

chardus Aquines ſe per multos dies in hoc freto oberraſſe, nec ab Auſtrali parte continentem eſſe, ſed inſulas complures, quæ ad gradus 56. excurrunt. Ad hanc enim vſque altitudinem nauigando peruenerat, inſtituto per medias inſulas curſu. Cum vero nihil præter mare occurreret, in fretum reuerſus eſt. Comprobant huius rei veritatem varii maris æſtus & fluxus, quorum cauſa ſunt Canales aditusque inſularum quamplurimi. Populus inſuper hic degens è Boreali tractu huc ſe ad piſcandum conferre ſolet, & certis anni temporibus domum remeare. Ait idem, fixas ſe hic domos non inueniſſe, ſed caſas ſolummodo leui ab Indis exſtructas brachio. Quod ipſum & *Franciſcus Draco* affirmat, qui Anno 1579. ſuperato Freto eadem rurſus via remeauit, vectus naui, cui *Fortuna* nomen erat, & circumnauigato Archipelago ad oſtia vſque freti denuo verſus mare Pacificum curſum inſtituit, anguſtiaſque iſtas feliciter emenſus eſt.

Præcipua, quæ occurrunt circa oſtium freti Auſtrale, ſunt: promontorium *Deſſeado*, altitudine grad. quinquaginta trium; Canalis *de Todos Santos* viginti duo ab ipſo oſtio leucis, amplus is & longus; portus *de la Trajicion*: necnon alius Canalis verſus Thraſcio-Zephyrum excurrens: adhæc rupes vaſta in medio oſtio Canalis, dicta *la Compana de Roldam*, nomen ſortita à quodam expeditionis *Magellanicæ* ſocio, qui hunc Canalem deprehendiſſe creditur. Quam ſequitur Cuſpis *de la Poſſeßion*, quatuor à promontorio *de las Virgines* leucis, in ipſo maris Septentrionali aditu altitudine 52. cum dimidio grad. *Petrus Sarmjento* & *Antonius Pauli Torſo*, cum in mandatis haberent, huius vti Freti ſitum, loca, tranſitumque explorarent, & ſpeciatim quidem, num facilius & commodius daretur iter in mare Auſtrale, quam quod terreſtri itinere in *Panamam* inſtituitur, duas ad latus Freti Boreale deprehenderunt anguſtias; quarum altera tam arcta viſa fuit *Petro Sarmjento*, vt tormentis bellicis eam defendi poſſe iudicaret, quod cum perſuaſiſſet, refragante licet Duce *Albano*, irrito euentu eo miſſa fuit claſſis ductu *D. Diego Flores*. Obſeruauit idem formidabilem hic eſſe maris fluxum, tantoque aquarum impetu in medio Freto maria hinc inde concurrere, vt quibuſdam in locis ad altitudinem ſex cubitorum attollantur, vſque adeo, vt, ni firmis anchoris defigantur naues, anguſtias iſtas ſuperare non poſſint, quantumlibet graui ſaburra onuſtæ. *Quæ in oſtio Freti occurrunt.*

Ad oram *Americæ*, quæ à Freto ad fluuium vſque *de la Plata* 400. leucis extenditur, idque verſus *Mezen* & Thraſcio-Zephyrum, fluuii occurrunt *de S. Ileſonſo*, duodecim à promontorio *de las Virgines* leucis; fluuius *Gallego*; ſinus de *Sant Iago*, quadraginta à fluuio *de Santa Cruz* leucis, altitudine quinquaginta grad. Prope cuius oſtium inſula eſt *de los Leones* dicta: Portus *de Sant Iulian*, altitudine quadraginta graduum: fluuius *de Iuan Serrano* verſus Auſtralem plagam inſularum *de los Patro*, altitudine quadraginta ſeptem grad. fluuius *Cananor* altitud. quadraginta quinque grad. promontorium *de S. Domingo*, & promontorium *de tres Puntas*: necnon terra *de los Humos* altitudine triginta octo grad. Adhæc Cuſpis *de Sant Helena*, & *Sant Apollonia* altitudine grad. triginta ſeptem, ante promontorium *Blanco*, in ipſo aditu & oſtio fluminis *de la Plata*, ad latus eius Meridionale.

CAP.

Cap. XXIV.

De Prouinciis de Rio de la Plata, *&* Braſilia.

FLuuium *de la Plata* aperuit *Iohannes Diaz de Solis* Anno 1515. & *Sebaſtianus Gaboto* Anglus, cum Cæſaris mandato ac auſpiciis claſſem Fratris *Garciæ de Loayſa* in inſulas *Moluccas* tendentem inſequeretur. Quam cum aſſequi non poſſet, aliquod regi ſuo officium præſtare conſtituit, & has tandem prouincias flumenq; *de la Plata* detexit, Anno 1529. per triennium fere hic hærens. Verum cum reſcriptum non reciperet, quid ſibi agendum eſſet, in Caſtellam reuerſus eſt. Hic poſtquam ad aliquot leucas flumen conſcendiſſet, argentum apud Indos in hoc diſtrictu repperit, quod bellis cum *Peruuiæ* incolis geſtis partum erat. Atque hac de cauſa fluuio nomen *de la Plata* inditum, qui antea fluuius *Solis* dictus fuit. Prouinciæ hæ limites ſuos *Braſiliæ* finibus iungunt, non longe à linea ac meta inſtitutæ diuiſionis, nec certis circumſcribuntur limitibus, niſi ora maris Septentrionalis, & flumine *de la Plata*, à quo & nomen ſuum habet vicina regio. Abeſt oſtium hoc à portu *S. Lucar de Barrameda* pene 1600. leucis. Maxima in his prouinciis eſt tritici, vini, ſacchari, omniumque ſatorum & fructuum Caſtellanorum vbertas. Paſcua adhęc pecorum paſtui peridonea & præcipue equorum vaſtiſſima habet. Et quanquam antehac nullæ hic deprehenſæ ſint auri aut argenti fodinæ, hac tamen tempeſtate auri, argenti, ferri, æris hic arrugiæ obſeruatæ ſunt, necnec fodina, è qua lapis amethyſtus eruitur. Ad vnam eandemque præfecturam referuntur hæ regiones, pro-regi *Peruuiæ* propter ſuam vicinitatem ſubditæ. Epiſcopatum habet, in quo tres ſunt Caſtellanorum pagi. Magna quoque in his eſt indigenarum frequentia, quibus corpora ſunt vaſta & vegeta. Loca hæc ſunt: *Nueſtra Senora del Aſſumcion.* Vrbs *de Nueſtra Senora del Aſſumcion*, prima colonia & prouinciæ metropolis, in altitud. 25½. grad. poſita, fundata à Duce *Iohanne de Salazar* iuſſu gubernatoris *D. Petri de Mendoza*. Ierritorium eius primum *Guranbare* dictum. Ad huius latus dextrum 280. *Braſil.* ab ea leucis *Braſilia* iacet, & in huius diſtrictu 80. ab ea leucis recedit *Ciuidareal*, quam Indi *Guayram* vocant: ad latus vero *Peruuiam* ſpectans, 480. leucis ab ea abeſt *Vrbs de la Plata.* vrbs *de la Plata*. 280. vero leucis vrbs *S. Cruz de Sierra*, *Vrbs S. Cruz de la Sierra.* in quam colonos deduxit *Nuflo de Chaues*, ad plagam Meridionalem verſus fretum *Magellanicum*. Regio vaſta eſt & locuples. Abeſt vrbs 300. leucis à flumine *de la Plata*, prope fluuium *Paraguay* condita, ad latus Orientale, ciues habens Caſtellanos 400. & plus quam 3000. iuuenes ex Indo & Caſtellano parente natos, quos *Meſtizos* vocant. Reſidet in hac Gubernator, Officiales regii, Eccleſia Cathedralis, quam Epiſcopatum *de la Plata* vocant, ſuffraganeum Archiepiſcopatus *de los Reyes*. Indos tributarios habet 400000. quorum numerus indies accreſcit.

Cuidadreal. Vrbs *Cuidadreal* aliter *Ontiueras* dicta, colonos accepit à *Ruidiaz* à *Melgarejo*, ab vrbe *Aſſumcion* 80. ſita eſt leucis verſus *Mezen* & *Braſiliam*, non longe à fluuio *Parana*, regione fertili & commeatu omni affluente, quæ & vina & æs copioſe fert. Frequentes eam incolunt Indi, quorum de die in diem augetur numerus. In fluuio *Parana* prope vrbem *Cuidadreal* tantus eſt aquarum delapſus, vt non, niſi ducentis ab eo paſſibus, accedere audeant indigenæ, idque propter immanem ſtrepitum, & aquarum vortices. Integra quoque leuca ab eo recedunt *Canoæ* ſiue ſcaphulæ Indorum, quæ ſi propius accederent, vndarum impetu & rapiditate ſubuerſæ mergerentur. Locus è quo præceps fertur aqua, altus eſt cubitos ducentos, tantaque velocitate labitur, vt non poſſet velocius torqueri telum.

Buenos Ayres. *Buenos Ayres*, ciuitas eſt, quæ prope eum locum, in quo olim colonis orbata fuit, fundata

data eſt,in prouincia *de los Morocotes*,at littora fluuii *de la Plata*, ſolo vbere, & fructuum omnium Caſtellanorum feraci. Colonos in eam deduxit *D. Petrus de Mendoza* Anno 1535.qui,ceſſante à terrarum vlteriore inquiſitione *Gaboto*,eam aperuit. Regio omnis plana eſt,exceptis montibus *Cordilleras*,qui iuxta maris littus ad *Braſiliam* vſque ad 20.leucas continua ſerie extenduntur,& hinc excurrentes totam regionem ambiunt, vſque ad fluuium *Maranjon*,& *Cordilleras* regnorum *Peru*.

Circa littora iſtarum prouinciarum,quæ à *Braſilia* ad fluuium vſque *de la Plata* expanduntur,quinque aut ſex occurrunt portus,commodi ſatis: nempe portus *Sancti Vincentij* altitud. grad.33. è regione Inſulæ *Buenabrigo*: & 6. vlterius leucis verſus Meridiem fluuius *Vbay*,necnon portus *de la Cananea* altitud. 35. portus *de la Barca*,ante portum ſiue fluuium *S.Franciſci*,& inſula *Santa Catalina*,aliter dicta portus *de Vera*, ſiue portus *de Patos*; portus adhæc *de Don Rodrigo* 20. à *S. Catalina* leucis Meridiem verſus, 5. verò leucis portus *Cerrado*, 50. portus *Riopoblado*,totidemque à *Bahia Onda*: fluuius *Tiraqueri* altitud. eſt grad. 32. cum dimidio,ante promontorium *Santæ Mariæ*, altitudinem habens 35. grad. in ipſo fluminis *de la Plata* aditu. Indi fluuium hunc lingua ſua *Paranaguazu* vocant,aut *Parana* vulgo. Oſtium eius eſt ad mare Meridionale inter gradus 35. & 36. altitudinis,inter promontorium *S. Mariæ* & promontorium *Blanco*, interuallo 30. leucarum. Vlterius verò in ipſo flumine latitudo eius eſt leucarum 10. multæque in medio eius poſitæ ſunt Inſulæ. Quin plurimi quoque in eum hinc ab Oriente hinc ab Occidente excurrunt fluuii magni & celebres,ad portum vſque *de los Reyes*, qui lacus eſt vaſtus, quem communiter *de los Xarayes* vocant,paulo minus 300. à fluuio *de la Plata* leucis, in quem quoque flumina non pauca excurrunt, quæ à riuis ac torrentibus *Andium* originem ducunt,aut è fluminibus prouinciarum de *los Charcas* & *Cuzco*, verſus Boream. qua parte alius in lacum iſtum excurrit maris ſinus. quæ res occaſionem præbet ſuſpicandi, fluuium hunc cum fluuio *S.Iuan de los Amazones* concurrere, quanquam alii opinentur eam oriri è lacu *del Dorado*,qui 50. dierum itinere à lacu *de los Xarayes* abeſt; licet quidam in ea ſint ſententia non eſſe lacum *Dorado*.

Quo tempore Dux *Salazar* mortuo *Petro de Mendoza* harum prouinciarum habebat imperium, Anno nempe 1545. accidit, vt de nocte irruens in ædes tigris hominem Caſtellanum in conclaui ſuo præſente vxore lethaliter læſerit; moxque avectum in arundineta vorauerit.Summo autem mane egreſſus Dux *Salazar* 50. militibus ſtipatus tigrem quæſiturus,eam in diripienda præda occupatam deprehendit, cumq; hæc contra ipſum inſurgeret & iam ictum vibraret,Dux exploſo ſclopeto & vulnerato corde eam neci dedit. Facinus ſanè memorabile,magnique animi & dexteritatis.

CAP. XXV.

De Prouinciis & Regione Braſiliæ.

PRovinciæ *Braſiliæ*,ad oram maris Atlantici & *Terræ Firmæ*, vocantur omnes illi terrarum tractus,qui ad Orientale latus lineæ ſiue Meridiani terras haſce partientis ſiti ſunt,à gradibus longitudinis 29. ad grad.39. à Meridiano *Toletano*, ſpacio leucarum 200. ab Oriente in Occidentem:à Septentrione verò in Auſtrum 450.inter altitudinis Auſtralis gradus 2.ſive promontorium *de Humos*,& 25.gradus,ſive inſulam *de Buenabrigo*. A prima vero colonia *Braſiliæ* ad poſtremam leucæ numerantur 350.

Primus

Primus has Regiones auſpiciis Catholicorum Regum detexit *Vincentius Yaniez Pinzon*, & poſt hunc *Diego de Lepe*, Anno 1500. ſeptemque poſt hunc menſibus in eas caſu delatus eſt *Peraluarez Cabral*, inſtructa Luſitanarum nauium claſſe in Indiam cogitans. Dum enim littora *Guineæ* devitare longius vellet, & ab iis declinaret, in has oras deflexit, quas *Santa Cruz* vocauit, quod eo die eas detexiſſet. Regio & brumali & æſtiuo tempore calet, ac imbribus frequenter irrigatur. Nebuloſa eſt, multiſque cincta ſaltibus, inſalubris adhæc, & plena animalium venenatorum. Paſcuis ad pecorũ paſtum abundat, ſed mayzum ac triticum parcius fert. Multas hic auri & argenti arrugias inuenias, quanquam eas non excolant Luſitani.

Ex *Cazabi* præcipue rem faciunt incolæ, quod ex *Yuca* conficiunt, quin & ex ſaccharo, goſſypio, ac ligno Braſiliano victum quæritant: Habet prouincia vniuerſa Præfecturas 9. in quibus pagi Luſitanorum ſunt 17. ciues pene 3000. Indorum ingens multitudo bellis exercitata & militiæ ſtudiis, qui Luſitanos in interiores telluris tractus penetrare non permiſerunt, ſed circa littus ſubſiſtere coegerunt, vbi fluuii ſunt quam plurimi & portus idonei recipiendis nauibus.

Colonia primæ præfecturæ & vetuſtiſſima eſt *Tamaraca*: ſecundæ *Pernambuco*, 5. à *Tamarica* leucis, altitudine graduum verſus Meridiem 8. vbi domus eſt ſocietatis Ieſu; tertiæ eſt *Todos los Santos* 100. à *Pernambuco* leucis, altitudine grad. 13. quæ ſedes eſt Gubernatoris, Epiſcopi, & Audientiarii Generalis totius huius oræ. Collegium habet Societatis Ieſu. Quarta præfectura eſt *los Isleos* 50. à ſinu *de Todos los Santos* leucis altitud. grad. $14\frac{1}{2}$. domo quoque Ieſuitarum inſignis. In hac quoque arbor reperitur, è qua precioſiſſimum ſtillat balſamum. Quinta eſt *de Portoſeguro* 30. à *los Isleos* leucis, altitudine grad. 16'. colonias habet tres, necnon collegium Ieſuitarum. Sexta eſt *del ſpiritu ſanto* 50. à *Puerto ſeguro* leucis, altitudine grad. 20. Multum hic ligni Braſilienſis colligitur. domum quoque Ieſuitarum habet. Septima eſt præfectura fluminis *de Genero* leucis 60. à *Eſpiritu ſanto*, altitud. $23\frac{1}{2}$. grad. domum Ieſuitarum habet, & magnam ligni iam dicti copiam. Fluuius inſignis eſt, ripas habens amœnas & commodas. Poſtrema præfectura eſt *S. Vincentij* 60. à fluuio *de Genero* leucis, altitud. grad. 24. Habet hæc in inſula quadam propugnaculum, idque aduerſus impetum Indorum & pyratarum, domum quoque Ieſuitarum, qui de Indorum ad Chriſti fidem conuerſione, eorumque libertate optime meriti ſunt. Pecorum hic numerus ſine numero eſt, præcipue porcorum, vti & gallinarum. Copioſe hic in littus ambram effundit mare, ex qua quæſtum vberrimum plurimi fecere. Æſtatis hic tempus eſt à Septembri ad Februarium, hyemis à Martio vſque ad Auguſtum. Noctes diebus penè æquales ſunt, qui vna ſolummodo hora creſcunt ac decreſcunt. Brumali tempore flant Auſtri & Euronoti: æſtiuo vero Meſes & Cæcias.

Portus. Iuxta oram hanc portus octo aut nouem nobiliores occurrunt. Fluuius nempe de *Sant Domingo*, & *de las Virtudes*, verſus *Mezen* reſpectu *Pernambuco*, & *Tamaraca*, (inſula hæc eſt ac prima harum prouinciarum colonia) ante promontorium *S. Auguſtini*, poſitum in altitudine grad. 9. Fluuius adhæc S. *Franciſci* altitudine grad. $10\frac{1}{2}$. magnus is & celebris. Mox ſinus *de Todos Santos*, latus leucas 3. in intimas terræ partes ad leucas extenſus 13. vſque ad *S. Saluador*. Necnon fluuius & portus *Trenado*, in quem huc tendentes naues ſe recipiunt. Eſt in eadem ora fluuius *Canamum*, altitud. grad. $10\frac{1}{2}$. vti & fluuius de *las Cuentas*, ſiue *S. Auguſtini* altitud. grad. $4\frac{1}{4}$. fluvius *de las Virgines* altitud. grad. 16. *Puertoſeguro* altitud. grad. 17. fluvius *la Parayua* altitud. grad. 20. prope fluvium *Santi ſpiritus*; fluvius *Genero*, non longe à *Sant Sebaſtiaen*, & *Cabo Frio* altitud. grad. 23. ante *S. Vincente*.

Inſeratur hic Tabula 12.


DESCRIPCION DE LAS INDIAS DEL PONIẼTE
14
NORTE
Yᵃˢ del Maluco
1 Terrenata
2 Tidoro
3 Motil
4 Batan
Yᵃˢ Philippinas
1 Mindanao
2 Masbat
3 Tandaya
4 Panay
5 Buglas
6 Cubu
7 Abuyo
8 Matan
9 Bohôl
10 Sanſuan
11 Manila
Yᵃˢ de los Ladrones
1 La ingleſa
2 Otà O' Bòta
3 Mahao
4 Gregua
5 Chemechoa
6 Agân O'Pagân
7 Oramagân
8 Guagân
9 Natân
10 Saepan
11 Volid
Xapon
Liãpo
Vnchiu
Cuchincheo
Chincheo
Tauſua
Tiuchiu
La China
Canton
Sibân
Lequio mayor
Lequio minor
R. Ganges
Tropico de Cancro
Chiaitan
Couchiu
Saichiu
yauquican
Sanchiu
Aylau
Siancho
Quiũchio
Bengala
Demarcaçion
Siuchi
Cauchi
Sian
Las Philippinas
Luzòn
mindana
Los Ladrones
los hermanes
S. Juan
S. Bernabe
Yᵃ de los martires
S. Bartholome
La poblada
Yᵃ de arracifes
Sahauedra
los corales
Matalotes
Palo Vilan
los Reyes
Abreojo
miracomo Vas
quita ſueno
Yᵃ de palmas
el Maluco
Gilolo
Malaca
Çamatra
Borney
Çelebes
el burro
Banda
Jaua mayor
timor
Ceynda
Linea Equinoccial
Los crespos
mõ de buena
mala gente
Lacaymana
Volcanes
S. tiago
elaguada
primᵃ tierra
S. andres
R. d. las Virgines
Nueua Guinea
R de Santaguſtin
de Sanpº y S. Pablo
Sa. hieronimo
Pº Salida
el abrigo
B. de San nicolaus
natividad de nra Sª
Yᵃˢ de Salamôn
Isla de la Estrella
Sᵃ yſabel
malaita
nõbre de Dios
Otreguada
tres marias
S. Marcos
Sa ſarga
Arraiſes
Sa. nicolas
Guadalcanal
Santiago
S. Xpoual
Sª Ana
S. Catalina
10
20
30
150
160
170
180
190
200
210

RPJCB

Cap. XXVI.

De India Occidentali, nempe, in ſulis *aromatiferis*, Philippinis, Chinarum *tractu*, Iapan, *&* Los Lequios.

INdiam Occidentalem conſtituunt Inſulæ omnes & continens coërcita intra limites diſtributionis regum Caſtellæ & Legionis, poſitæ in Occidentali parte dictæ diſtributionis, cuius linea, vti dictum, per aliam Orbis partem, ſupra vrbem *Malaccam* tranſit, à qua Orientem & Nouam Hiſpaniam verſus mare eſt, inſulis infinitis tum magnis tum paruis veluti conſperſum, variique littorum & continentis tractus. Diuiduntur hæc in Inſulas aromaticas, ſiue *los Molucos*: inſulas *Philippinas*: oram *Chinæ*: inſulas *de los Lequios* & *Iapones*: littora *Nouæ Guineæ*: inſulas *Salomonis*, & inſulas *de los Ladrones*. Omnium harum inſularum & regionum, ſi communiter ſpectentur, temperies humida eſt, & moderate calida. Commeatu & rebus ad humanæ vitæ præſidium neceſſariis abundant, vti & pecorum multitudine. Aurum habent, ſed vilis precii. Argenti prorſus expertes ſunt, ſed ceram copioſe ſufficiunt. Populus eas inhabitans diuerſicolor eſt, & vulgarem Indorum formam præferens. Quidam inter illos candidi, quidam nigri ſunt.

Inſulæ *aromatiferæ*, ſic dictæ ſunt, quod ex iis aromatum ſpecies variæ, vti piper, caryophyllata, cinnamomum, zingiber, nux muſcata ſiue odorata, & maſtyx petantur, quæ in Europæis potiſſimum regionibus diſtrahuntur. Sunt autem illæ frequentes, licet principales earum quinque ſolum ſint, eæque minores, ſitæ ſub Æquinoctiali, à meridiano Toletano gradibus 194. comprehenſæ ſub hypotheca, quam Cæſar Carolus V. regi Luſitaniæ pro 300000. ducatis oppignorauit. Prima eſt *Ternate* ambitu 8. aut 9. leucarum, portum habens *Talamgame* dictum. Imperauit hic *Corala*, qui titulum ſibi tribuebat Vaſalli Regis Caſtellanorum, quo tempore naues è claſſe Magellani reliquæ inſulas has detegebant. Inſula *Tidore* leuca vna verſus Auſtrum à *Terrenata* abeſt, ambitu continens leucas 10. Inſulæ *Matil* ſiue *Moutier* peridromus eſt leucarum 4. ſub ipſo Æquatore poſita eſt. *Maquian* inſula tribus leucis ad Meridiem iacet, ambitus eius leucarum 7. à *Batan* ſiue *Baquian*, quæ ambitu continet 20. leucas verſus Auſtrum 10. leucis recedit. Tidoræ imperium tenebat *Almanzor*, qui ſe quoque Regis Caſtellanorum vaſallum profitebatur, qui, vti & *Corala*, litteras ad Regem dederunt per *Iohannem Sebaſtianum del Cano* oriundum è ciuitate *Guitarca* in prouincia *de Guipuzcoa*, qui Anno 1522. Tidora ſoluens in inſulam Zamatiam propulſus eſt, & ad gradus poli Antarctici 42. prouectus in inſulam *de Santjago* peruenit, à promontorio Viridi, (*Caboverde*) & iſtinc Hiſpalim reuerſus eſt, vectus naui, cui *Victoria* nomen erat, poſt exactos iam in itinere hoc menſes 7. paulo minus. P*atian* quinta eſt inſula, eiuſdem cum prioribus indolis, ab Æthiopibus & paganis culta, qui animæ immortalitatem ignorabant. Quo tempore ad hanc appulit nauis è claſſe *Garciæ de Loyaſa* Tidoræ præerat *Rajami* 13. annorum adoleſcens, qui Regem quoque Caſtellæ Dominum ſuum agnoſcebat. quod & fecit Rex inſulæ *Gilolo*, dictus *Sultan Abderra menjami*, idque interpoſito iuramento.

Ternate. *Tidore.* *Matil.* *Maquian.* *Baquian.* *Patian.*

Gilolo inſula eſt Æquatori ſubiecta, à prioribus 4. leucis recedens, cuius peridromus 200. leucis menſuratur. Aromata non fert. Inſula *Ambona*, altitud. grad. 3'. verſus meridiem ab inſula *Gilolo* ſita eſt, aromatum quoque expers, Inſulæ *Banda* in altitud. grad. 4. ver-

Gilolo. *Ambona.* *Banda.*

G

Burzo. *Timor.* *Zeinda.* *Celebes* *Borney.* *Zamatia.*

4. verſus Meridiem iacent, quæ nuces muſcatas & macem ferunt. Inſula *Burzo* ad Occidentalem Ambonæ plagam iacet. *Timor* inſula ad Occidentale latus Bandæ 100. pene ab ea leucis recedit, aromatum ſterilis, verum ligni, quod ſantalum vocant, ferax. *Zeinda* 50. à *Timor* abeſt leucis verſus Thraſciozephyrum. ambitu ſuo leucas 40. habet, piper copioſe ſufficit. Inſula quoque hic eſt magna *Celebes*, & *Borney* maior prope fretum Malaccæ, quod Continentem à *Zamatia* dirimit, quam olim *Taprobanam* vocabant: aliæque inſulæ complures maiores minoreſue, ad plagam meridionalem, prope *Iauam* maiorem & minorem, & circa littora Chinenſium ad plagam Borealem. Munimentum habent in *Terrenata* Luſitani, vti & in vrbe *Malacca* in ipſo Archipelagi aditu.

Philippinæ.

Inſulæ *Philippinæ* Archipelagum conſtituunt 30. aut 40. inſularum maiorum, exceptis minoribus infinitis, quæ coniunctæ, longo tractu, leucarum nempe 200. exporriguntur, aliæ Boreales, aliæ Auſtrales, ad quas quoque referuntur centum aliæ, poſitæ in anguſtiis inter Nouam Hiſpaniam, & ſinum *de Vengala*, 1[illegible]0. pene leucis à portu *de Natiuidad* in Noua Hiſpania, in altitudine grad. 6. 15 & 6. ad Æquinoctialis partē borealem. Temperies illis optima eſt, annonæ fœcunditate gaudent, præcipue oryzæ. Aurum quædam habent, ſed vilius, aliæ arboribus, vnde cinnamomum colligitur & piper oblongum celebres ſunt. Incolæ iuſtæ ſunt magnitudinis; in quibuſdam locis nigri coloris: candidiores vero ſunt, qui in locis inſularum penitioribus habitant, quam qui ad littus. Portus præbent commodos nauibus, vti & ligna. Præcipuarum inſularum nomina ſunt hæc: *Mindanao*, omnium maxima, & ad Auſtrum maxime vergens, longitudine leucarum 1[illegible]0. ambitu 300. Regio eſt aſpera, verum fertilitate mayzi, ceræ, oryzæ, zingiberis, cinnamomi commendata. Auri quoque fodinas habet, portuſque ac nauium ſtationes commodiſſimas.

Mindanao.

Buenas fenia-les. *Behol.*

Inſula *de Buenas Senales*, & *S. Iuan* vicina *Mindanao*, ad Orientalem partem longa eſt ab Auſtro in Boream leucas [illegible]0. *Behol* 10. à *Mindanao* leucis longa eſt ad plagam Borealem leucas 19.

Buglas.

Inſula *Buglas* ſiue *de Nigros* vna ex Archipelagi inſulis verſus Occidentem ab Auſtro in Septentrionem ad leucas 40. extenditur, lata leucas 14. Margaritas habet.

Zubu.

Inſula *Zubu* in medio poſita longa eſt ab Auſtro in Septentrionem leucas 30. locum habet à Caſtellanis inhabitatum, quem vocant vrbem *de Ieſus*, ad inſulæ partem Orientalem, portu commodiſſimo nobilem. Detecta eſt à duce Ferdinando Magellano Anno 1520. & inſulæ rex titulum vaſalli regis Hiſpaniarum in ſe recepit. Detexerat idem ante inſulas *de las Velaslatinas*, quarum incolæ velis vtuntur, ex palma arbore contextis, ad formam ſtraguli Hiſpanienſis. A *Zabu* vna cum rege oppugnatum ibat Magellanus Regem *Matan* in inſula quadam parua ad plagam Auſtralem poſita, quem, vtpote animo & viribus ſuperiores, trucidarunt. Caſtellani vero iter ſuum perſequentes aperuerunt inſulas *Quepindo*, *Puluan*, & *Burney*, quæ poſtrema non magna ſolum eſt, ſed & multarum rerum prouentu, vti oryzæ, & ſacchari affluit. Caprarum hic, & porcorum & Camelorum magna frequentia, ſed tritici, aſinorum & ouium inopia laborat. Zingiber, camphoram, & myrobalanum aliaque aromata profert. Detectæ quoque ſunt Philippinæ inſulæ ab *Aluaro de Saauadera*, qui eas nomine regis Caſtellæ occupauit. Soluebat iſte iuſſu marchionis *de Valle* è portu *de Ciuatlanejo* in noua Hiſpania, & potiſſimum in inſula *Mindanao* hærebat, quæ excurſio non ſine graui conſilio ac ratione inſtituta fuit.

Velaslatinas. *Quepindo, Puluan & Burney.*

Abuyo ſiue Babay.

Verum, vt ad inſularum Philippinarum hiſtoriam reuertar, eſt inter eas *Abuyo* ſiue *Babay*, inſula, longitudine ab Auſtro in Septentrionem leucarum 30. latitudine 10. fodinas

dinas habens laudabiles,& circa oram ac littorum tractus, margaritas. Omnium celeberrima eſt *Tandaya*,quæ,quod prima omnium detecta eſſet, P*hilippina* dicta fuit, quo nomine poſtea & aliæ omnes appellatæ ſunt,in memoriam inuictiſſimi regis D. Philippi ſecundi,cognomine *Prudentis*. Parte ſui Boreali leucas numerat 40. vti & Orientem, Aquilonem,& Zephyronotum verſus,lata eſt leucas 12. quibuſdam in locis latior, portus habens & ſtationes idoneas. *Masbat* mediocris magnitudinis inſula ad latus Occidentale *Tandapæ* longa eſt leucas 16. *Tandaya.* *Masbat.*

Panay inſulæ longitudo eſt 40.leucarum,latitudo 15. *Mindoro* latitudinis leucas numerat 12. longitudinis 25. ab Auſtro in Septentrionem.Piper habet & aurifodinas. *Panay.* *Mindoro.*

Inſula *Luzon*,noua Caſtella dicta,maior eſt inſula *Mindanao*,inter Philippinas maxime ad Boream vergens,vrbem habens *Manilam* à Caſtellanis cultam, in qua ſedem fixit Gubernator,regiorum redituum officiles,ærarium regium & Eccleſia Cathedralis. Quę ad victum faciunt abundanter profert,multiſque auri fodinis locuples eſt. Portus illi eſt incommodus valde,& ex Chinenſium mercatu potiſſimum victitant incolæ, qui huc vaſa *porcellana*,lintea,& tinctum coloribus variis ſericum aliaſque merces mittunt. Longitudo eius eſt leucarum 200. amplitudo inſignis. *Luzon.*

Magna in his inſulis eſt Mahumetanorum frequentia, qui per Indiam Orientalem in has profecti facile in tam craſſo paganiſmi errore ac tenebris religionis ſuæ deliria incolis perſuaſerunt. Aperuit has, vti dictum jam ante, dux Magellanus, Anno 1520. cum inſtructa nauium claſſe inſulas Moluccas detectum iret, idque auſpiciis regis Caſtellæ, qui has quoque ſceptris ſuis addidit. Poſt hunc, quæ reliqua erant, perluſtrauit & detexit *Miguel Lopez,de Legarpi* Anno 1564. è *nova Hiſpania* ſoluens iuſſu pro-regis *Lodouici de Velaſco*. Creditur inſula tum maiores tum minores numerum excedere 1100. Earum plus quam 40. Caſtellæ regi parent, multæque hominum myriades ad Catholicam fidem conuerſæ ſunt, magnis regis impenſis, qui in ſingulos Religioſos huc miſſos 1000. ducatos impendit, licet in hunc vſque diem nulla adhuc ex iiſdem inſulis ad Regem redierint commoda. Qui animarum hic curam habent, Dominicani ſunt, Franciſcani, diſcalceati, Auguſtiniani, & Ieſuitæ. Harum Inſularum ope Mahumetanorum vires frangi cœperunt, qui iuxta littora Aſiæ, in inſulas haſce, imperium Chinenſium & Iapan dominationis ſuæ ac regni limites extendebant. Exacti iam dudum ab iiſdem fuiſſent inſulis Moluccis Luſitani, niſi promptam ipſis opem tuliſſent qui inſulas Philippinas incolunt, Luſitani.

Exactius iam Chinarum imperium cognoſcitur, propter mutua cum inſulis Philippinis commercia: quæ nempe Chinenſium ſint opes, quæ regionum aliorumque regnorum indoles, fertilitas, & cœli temperies, A *Manila* ad littora vſque Chinæ interuallum eſt 300. leucarum, quantum octiduo velificando confici poteſt. Imperii iſtius ora penè ad Mezen leucas 700. extenditur, à gradibus 21. ad 22. facto à Boreali eius tractu vbi latiſſima eſt, initio. Autumant multi viam ex China ad limites vſque Tartariæ ſterni per mediam regionem, 6. aut 7. menſium itinere. Plurimas habet ciuitates maiores, plurimos quoque pagos, incolas perhumanos & ciuiles, patriæ ſuę ſtudioſiſſimos, quanquam bellis minus idoneos. Littora fluuiis & portibus eximiis celebrata ſunt. Ab Auſtro in Septentrionem abit regio hæc à gradibus 17. ad 50. ab Occidente verò in Orientem gradus numerat 22. Ciuitas *Paquin*, ſedes aulæ Regiæ in altitud. grad. 48. poſita eſt. Diuiditur Imperium in prouincias 15. quarum 6. maritimæ ſunt ac littorales, 9. vero mediterraneæ, quas diſiungunt intermedii montes, (vti Galliam & Hiſpaniam Pyrenæi) per quos non niſi duplex patet via. *China.* *Paquin.*

Thomas Perez regis Luſitaniæ legatus, quatuor menſibus in via à *Cantan* ad *Nanqui* ſubſtitit, Boream verſus tendens. Accedit ad Imperii huius vaſtitatem ac magnitudinem, terræ mira fertilitas, quam auget fluuiorum præſtantiſſimorum, à quibus irrigatur, copia. Nemus dixeris eſſe amœniſſimum, aut roſetum pulcherrimum, omnium rerum prouentu affluens; quam ſoli bonitatem multum promouet Regum cura, qui ne aquæ deſint, montes perfodiunt, valles æquant, quo facilius quoque Solis calore agri foueri poſſint. Sita enim eſt regio fere omnis ſub Zona temperata; nec vllus in ea eſt terræ angulus, quem non indefeſſa incolarum induſtria & ſolertia inſigni aliquo emolumento excolat.

Inter alia notatu digna hoc quoque memoratur, magnum eſſe in *Cantan* cœcorum numerum, qui ſinguli operi ſuo gnauiter incumbunt. Quoniam verò nulli incolarum extra huius regni territorium ſe conferre licet, niſi impetrata venia, quæ ipſa non niſi ad certum tempus conceditur, fit, vt mirum in modum indigenarum numerus accreſcat, præcipue cum plures quotidie naſci quam mori perhibeant. Tam purgato fruuntur aëre, vt quoad longiſſime incolarum mens reſpicere poteſt & memoriam pręteriti temporis recolligere, nulla peſte has terras infectas fuiſſe perhibeant. Sed nec ſua quoque huic Imperio deſunt mala & calamitates. Terræmotibus crebrò infeſtatur, qui integras vrbes subvertunt, & fluuios obſtruendo, aliis nouam originem præbent, quin & magno accolarum damno montes altiſſimos deiiciunt.

Anno 1550. tanta aquarum è terra erupit copia, vt regiones vicinas 60. leucarum ſpacio inundauerit, ſeptem vrbes vortice ſuo abſorbens. Atque hæc quidem de Continente Imperii Chinenſis dicta ſunto.

Ora eius paſſim inſulis conſperſa eſt, quarum pauciſſimas exploratas habemus. Non longe à ciuitate *Nanqui* promōtorium eſt *de Lampo*, inſulæ *de Aueniga, Abarda*, & *Sumbur, Lanqui*, & *Cauallos*, de quibus nihil certi compertum habemus. Vrbem *Chincheo* prætervectis occurrit *Lamao*, magnaque inſularum conſpicitur multitudo prope *Cantan*, quarum maximè celebres ſunt *Lantao, Macao, Veniaga*, in qua portus eſt *Tamo, Lampacao, Sancoan*, quæ omnes milite præſidiario regis Chinarum munitæ ſunt excepta ſola *Lampacao*, inculta & incolis carente.

Macao. In *Macao*, quæ alio nomine *Macan* dicitur, colonia eſt Luſitanorum, cui infeſtiſſimi ſunt Chinenſes, propterea quod à potentia Luſitanorum & præſidiis Caſtellanorum in Philippinis inſulis degentium ſibi metuant. Verum propter commercia Chinenſium eam omni ope tuentur Luſitani.

Sancon. *Sancon* 30. à *Cantan* abeſt leucis, quo loci ſæpius terram conſcenderunt Luſitani. *Aniam* *Aniam.* inter inſulas Chinenſium præcipua eſt, ſita in oſtio ſinus *de Cauchinchina*, 5. ab ipſa Continente leucis, 180. ab inſulis Philippinis. Tantæ eſſe creditur magnitudinis, vt 30. eam munimentis ac propugnaculis defendi perhibeant. Piſcatura margaritarum nobilis eſt. Commeatu abundat, variiſque fructibus, ſubdita imperio *de Cantan*, quæ potiſſima eſt Chinæ pars. Incolæ ruſticis ſunt moribus & humanioris culturæ expertes.

Iapan. *Iapan* inſulas complures complectitur in 33. regna diuiſas, quarum metropolis eſt *Meaco*. Situm reſpectu Chinæ varium habent. Ab inſula *Goto* in *Iapan* ad *Liampo* vſque in Chinam 60. numerantur leucę, quę maxima eſt harum inſularum ad Chinam vicinitas. Iaponenſes Chinenſibus infeſtiſſimi ſunt, eoſque latrocinando & prędando magis, quam iuſta belli forma oppugnant. Cum enim in varias inſulas & diuerſa regna ſuis ſubdita regibus diuiſi ſint Chinenſes, fit, vt ſingulorum regum vires bello iſti non ſufficiant.

ficiunt, Aptiores bello eſſe videntur Chinenſibus; majoreſque animos gerere. Regio temperata eſt, ferax frugum & pecoris, omniumque, quas Europa habet, auium. Ferri habet fodinas & æris. Indigenæ ſtatura ſunt longiore, magnanimi, fortes, ad labores nati. Situs inſularum eſt in altitudine graduum 35. plus minus, habita ratione diſtantiæ ſingularum Inſularum.

Iaponenſes à Chinenſibus non intelliguntur, niſi ope characterum, quos depingunt, qui eadem ab his & illis figura formantur. Quanquam enim characteres iſti ac verborum notæ idem vtrobique ſignificent, tamen diuerſis eas vocibus Chinenſes & Iaponenſes enunciant, cum non ad vocabulorum diſcretionem, ſed rei ſolummodo ſignificationem inventæ ſint. Exempli gratia, numerum hunc Arithmeticum 9. aut 10. intelligit Gallus, Hiſpanus, Anglus; ſed ſinguli diuerſa & linguæ ſuæ propria voce numerum illum enunciant. Ab alia parte Iaponenſes Philippinis inſulis vicini ſunt, cum quibus commercia quoque ineunt & mercantur quotidie. Nec leuiter ſane adlaborauerunt patres Ieſuitæ in harum gentium conuerſione, benedicente laboribus ac ſtudiis ipſorum Domino. Quæ res effecit, vt harum inſularum fama per vniuerſum orbem terrarum increbuerit, præcipue poſt ſolennem iſtam ad Pontificem Maximum, & Philippum ſecundum, cognomine *Prudentem*, inſtitutam legationem. Et quemadmodum à reliqua orbis habitati parte abſciſſi ac diuulſi ſunt, ita etiam diuerſi ſunt horum populorum mores ab aliarum omnium nationem moribus. *Nobunanga* Imperator *Iaponenſium* ſuſcepta Anno 1592. in prouinciam quandam *Chinenſium* expeditione, cum claſſe nauium 800. & exercitu 200000. militum eam inuaſit & expugnauit.

Ab Inſula *Simò*, quæ eiuſdem cum *Iapon* eſt magnitudinis, inter Orientem & Septentrionem plures continuata ſerie excurrunt inſulæ, quas *los Lequios* vocant, & ad ipſam vſque oram *Chinæ* porriguntur. Duæ earum majores ſunt, quarum vnaquæque quindecim eſt aut viginti leucarum. Quæ Iaponenſibus viciniores ſunt, *Lequio Major*, quæ verò ad finem reliquarum jacent, *Lequio Minor* vocantur. Harum nonnullas incolunt homines robuſto corpore, candidi, certa politiæ forma ac legibus viuentes, veſtibus induti, ingenioſi, & bellicoſi. Aurum abundantius habent, quam aliæ Oceani inſulæ, frugum feraces ſunt, nec vlla rerum ad victum pertinentium penuria laborant. Aquas inſuper hic dulciſſimas reperias. Inſulis *Lequio menor* vicina eſt inſula *Hernoſa*, eiuſdem cum prioribus genii ac indolis. Sunt qui eam *Siciliam* magnitudine ſua adæquare volunt. *Inſulæ Lequios.*

Cap. XXVII.

De Noua Guinea, *inſulis* Salomonis, *&* de Ladrones, *quibus India Occidentalis terminatur.*

Littora *Nouæ Guineæ* centum ab Orientali inſulæ *Gilolo* parte leucis initium ſumunt, ab altitudine vnius gradus paulo amplius, ad latus Æquatoris Auſtrale, vnde in Orientem ad leucas 300. excurrunt, donec conficiant grad. quinque aut ſex. An continens ſit, an inſula hactenus dubitatum fuit, cum in tantam longitudinem porrigantur, & num alicubi cum inſulis *Salomonis*, aut freti *Magellanici* à parte Auſtrali prouinciis connectantur. Verum dubium hoc tollitur ab illis, qui freti *Magellanici* tractum Auſtralem perluſtrarunt. Affirmant ſiquidem hi, non eſſe hic continentem, *Noua Guinea.*

 verum

verum confertas inſulas, quas excipit vaſtum & patens mare. Inter hos vero eſt *D. Richardus Aquinas* Eques Anglus, qui per 45. dies circa has inſulas oberrauit.

Littora *Guineæ* à ſoli bonitate commendantur, viſique ſunt hic indigenę coloris nigri, ſed fulgidi. Multę circa littora eius conſpiciuntur inſulę, ſtationes & portus habentes commodos, de quibus tamen ſpeciatim nihil conſtat. Quæ in Tabulis quibuſdam annotantur, hæ ſunt: ad Orientem *El Aguada* 35. leucis ab ea diſtans terra, quæ vno gradu ab Æquatore Meridiem verſus iacet: 18. vlterius leucis portus eſt *S. Iago*, & inſula *de los Creſpos* longitudine leucarum 16. ſub ipſum littus, è regione portus *de San Andres*, qui 40. à *S. Iago* abeſt leucis: Vlterius verſus Ortum fluuis eſt *de las Virgines*, & *Vallena* inſula parua ante fluuium de *S. Auguſtin*, qui 50. fere leucis abeſt à portu *S. Andres*, nec longe hinc abeſt fluuius *de San Petro, & San Pablo*, ante portum *de S. Hieronymo*, necnon inſula prope Cuſpidem *Salida*, 40. à *S. Auguſtin* leucis, quam *Buenapaz* vocant: longius vero ab ea abeſt *Abrigo* & *Malagente* inſulæ duæ, & Sinus *de San Nicolas* 50. à Cuſpide *Salida* leucis. Inter alias inſulas vna eſt, cuius incolę candido ſunt vultu. Sequitur *de la Madre de Dios*, ante *de Buenauaya*, & *de la Natiuidad de Nueſtra Senora*, terræ cognitæ poſtrema. Ad latus huius Boreale inter alias innumeras inſula *Caymana* iacet.

Inſulæ ſitæ iuxta littus Nouæ Guineæ.

Ora Auſtralis incognita eſt. Primus *Nouam Guineam* aperuit *Aluarus de Saauedra*, cum miſſus à Marchione *del Valle* Anno 1527. ad quærendum inſulas aromatiferas, errabundus ad hæc loca appelleret, reditum in Nouam Hiſpaniam parans.

Inſulæ Salomonis.

Inſulæ *Salomonis*, 800. à *Peru* leucis, nomen illud ſortitæ ſunt, propter conceptam de iis magnarum opum & diuitiarum opinionem. Proprie & diſtincte inſulæ Occidentis vocantur, quia ad plagam Occidentalem Peruuię iacent, è qua profectus *Aluarus de Mendoza* eas detexit, iuſſu licentiati *Lope Garcia de Caſtro*, quo tempore cognatus eius imperium Peruuię habebat Anno 1567. Iuuenis quidam *Trejo* primus has inſulas vidit, è nauis galea. Sitæ ſunt inter gradus altit. polaris 7. & 12. ad latus Æquatoris meridionale, 1500. pene ab vrbe *de los Reyes* leucis. Complures ſunt numero, & iuſtæ magnitudinis. Præcipuæ ſunt 18. Quarundam ambitus 300. eſt leucarum; duæ ſunt, quarum peridromus eſt 200. leucarum, aliæ 100. aliæ 50. aut minus. Sunt & quædam nondum vndequaque luſtratę ac circumnauigatæ. Sunt qui putant, eas continuas eſſe cum Continente nouæ Guineæ, iiſque terris, quæ ad latus Occidentale Freti Magellanici nondum detectæ ſunt. Omnes quotquot hic ſunt inſulæ, temperie aeris ſunt bona & habitabiles, annona abundantes, vti & pecorum multitudine. Incolę nigri ſunt, quidam tamen candidi & rufi, quidam flaui: quod argumento eſt, has terras cum Noua Guinea eſſe continuas. Maximæ & celebratiſſimæ ſunt hæ: *Santa Iſabel*, à grad. 8. ad 9. extenſa, portum habens commodiſſimum, quem *de la Eſtrella* vocant: *S. Iorge* ſiue *Borbi* ad latus Septentrionale Iſabellæ, longa ſeſquileucam, ambitu ſuo continens leucas 30. *San Marcos*, & *S. Nicolas* ad Euronotum ſitæ reſpectu Iſabellæ ambitus ſunt leucarũ 100. Inſula *Arrazifes* his non minor ad Auſtralem Iſabellę plagam ſita eſt. Verſus Orientem *S. Hieronymo* iacet, cuius peridromus leucis 100. menſuratur. Ad Zephyronotum iacet *Guadalcanal*, omnes alias magnitudine ſuperans, ad Occidentalem vero plagam Iſabellæ inſula iacet *Buena viſta* & *San Dimas*, vti & inſula *Florida*, quarum circuitus eſt leucarum 20. Ad huius partem orientalem Inſula conſpicitur *Ramos* ambitu leucarum 200. à qua non longe abit *Malaita*, & *Atreguada* 30. leucarum, & *Tres Marias*.

Inſula quoque *Sant Iago* ad Auſtralem partem *Malaitæ* ambitu leucarum centum. Et qua hæc Euronotum reſpicit, inſula eſt *S. Chriſtoval*, eiuſdem cum priore magnitudinis; aliaque S. *Anna* dicta; & *Santa Catarina*, duæ inſulæ paruulæ, quibus quoque iungitur exiguæ magnitudinis inſula *Nombre de Dios*, à reliquis 50. diuerſa, altitudinis grad. 7. ac ſub eadem poli eleuatione ad Borealem partem S. *Iſabellæ* ſcopuli occurrunt, quos *la Candelaria* vocant.

Occurrit quoque in itinere, quod è *Peruuia* in inſulas *Salomonis* inſtituitur, inſula *San Pablo*, altitud. grad. 15. 700. à *Peruuia* leucis, & in altitud. grad. 19. aliæ jacent, forte illæ, quas primum inſulas *Salomonis* vocarunt; licet quidam putent alias eſſe, poſitas in eodem cum *Chile* tractu.

Inſulæ *de los Ladrones* ſedecim ſunt, quarum aliæ Septentrionaliores ſunt, aliæ Auſtraliores, è regione *Nouæ Guineæ*, à gradibus 12. ad 17. Boream verſus protenſæ, non longe à *Philippinis* Ortum verſus. Steriles ſunt & incultæ, pecorum & metalli expertes, modico inſtructæ commeatu. Gens eam incolit pauperrima corpore habili ſatis, ſed furto ſupra modum dedita, vſque adeo, vt nauium quoque clauos ferreos euellere ac auferre ament. Atque hanc ob cauſam eam *Ladrones* vocauit *Magellanus* Anno 1520. quo tempore aromatiferas inſulas quæſitum ibat. Nomina earum hæc ſunt: *La Ingleſa*, maxime ad Boream vergens, *Ota*, *Mao*, *Cbemechoa*, *Gregua*, *Agan* ſiue *Pagan*, *Oramagan*, *Guguan*, *Chareguam*, *Natan*, *Saepan*, *Bota*, *Volia*. *Inſulæ de los Ladrones.*

Inter *Philippinas* inſulæ ſunt octodecim aut viginti numero, quas *de los Reyes*, *Arzipelago*, ſiue inſulas *Coralli* vocant, necnon aliæ complures *de los Iardines* dictæ. Eſt hic *Pialogo* inſula, & *San Vilan* prope *Iardines*, aliaque *de los Matalotes*, vti & *de Arracifes*, & *Sant Iuan* ſiue *de Palmas*, prope *Moluccas*.

Ad Boreale latus *de los Ladrones*, quinque aut ſex coniunguntur, quas *Volcanes* vocant, quæ copioſe Cochinillam ſufficiunt, vti & *Malpelo*, quæ *Cinaloes* fert. Ad Orientalem partem *de dos Ladrones*, conſpiciuntur *de dos Hermanas*, inſulæ binæ, altitudinis grad. decem, adhæc *S. Bartholomæi* altitud. grad. quatuordecim & amplius. necnon ſcopuli *Miracomotas*, *Quiteſvenio* ſiue *Catanoduermas*, & non longe ab his *S. Martini* inſula & *Sant Pablo* inſula vadis obſeſſa, præterea *la Poblada* maxime Orientalis verſus *Nouam Hiſpaniam*. Anno 1527. exſcenderat in inſulas *de los Ladrones Aluarus de Saavedra*, ex inſulis aromatiferis *in Nouam Hiſpaniam* remeans.

Cap. XXVIII.

In quo de Supremo Indiarum Concilio, & ſpirituali Eccleſiarum in his locis regimine, ſub auſpiciis Regis Catholici, agitur.

Poſtquam Reges Catholici Caſtellæ & Legionis Nouum hunc Orbem Indiamque fere omnem Occidentalem ſceptris ſuis adiunxiſſent, hoc omnibus ſtudiis egerunt, vt eaſdem terras populumque altis paganiſmi tenebris immerſum ſalutari Chriſtianæ religionis doctrina imbuerent; & certis politiæ legibus in ordinem reuocarent. Atque hunc in finem, ex conſilio prudentiſſimorum virorum, conſtituta ab ipſis fuit *Curia Suprema*, ſuum habens Præſidem, & Conſiliarios, quibus hoc vnum in mandatis datum fuit, vt quæ ad gloriæ diuinę propagationem

& terrarum iſtarum felicitatem facerent, impenſe curarent. Cum verò poſtea dicendum nobis ſit, de iis, qui primum, qui deinde, qui in hunc vſque diem Curiam hanc conſtituerunt, & Indiarum res cura & conſiliis ſuis moderati ſunt; nunc dicere inſtitui, qua poſſum breuitate, de Spirituali & ſeculari *Noui Orbis* regimine ac iuriſdictione, ea ſolummodo in medium adducturus, quæ memoratu digna erunt, & ad cognoſcendam nouæ huius Monarchiæ formam ordinemque facient.

Primum quidem hoc ante omnia ſupradicti Reges primis terrarum iſtarum detectoribus, gubernatoribuſque, & quotquot poſtea iis ſucceſſere, mandauerunt & rigidiſſimis edictis ſuper hac re conceptis præſcripſerunt, vt populus, quem eo ad formandas hic illic colonias eſſent deducturi, ita vitam, ac mores ſuos componeret, vt vitæ ſanctioris ac inculpatæ exemplo ad religionis ſuæ amorem Indorum gentem pellicere poſſet. Ideoque voluerunt, vt primi ibidem, ſecundum Euangelicæ legis præſcriptum, docerent Religioſi & ſuaui potius concionum, ac adhortationum voce ad ſe invitarent rudem populum; quam armorum vi ac metu adigerent. Quin & iuſtitiam ac ius ſine perſonarum reſpectu ſingulis adminiſtrari imperauerunt, vt partim religionis, partim iuris ac æquitatis rigida obſeruatione famam ſibi gratiamque apud indigenas conciliarent.

Iamque augeri noſtrorum numerus in *Nouo orbe* inſigniter incipiebat, & pietatis ac Chriſtianiſmi doctrina mirifice incrementa de die in diem capiebat, vſq; adeo, vt in iſtis terris hodie reperiantur Archi-epiſcopatus 5. Epiſcopatus 27. Academię duæ, artiū omniū & ſcientiarum profeſſione florentiſſimæ, cœnobia plus quam 400. Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum, Mercenariorum, Ieſuitarum, necnon aliquot Monialium Cœnobia, Collegia, Xenodochiorum infinitus numerus, plurimæ ſcholæ & gymnaſia erudiendæ iuuentuti dicata, (Hiſpani *Dotrinas* vocant) Eremitæ denique, & pœnitentiarii ſine numero. Atque hæc omnia Regis ſumptibus exſtructa eiuſdem munificentia conſeruantur in hunc vſque diem, licet nullis eædem impenſæ reditibus redimantur. Quamobrem magnis hic ſucceſſibus promouetur Chriſti negocium, & longe lateque ſe diffundit Catholica fides, conferente ad hanc rem omnes ſuas curas & cogitationes Supremo Indiarum Concilio. Accidit hoc ipſum indulgentia & permiſſu Apoſtolicæ Romanæ Sedis, quæ Eccleſiarum *Noui Orbis* patrocinium Regibus Caſtellæ & Legionis conceſſit. Atque hoc in negocio ſumma Dei Opt. Max. & bonitas & potentia eluxit, quæque huius cœpti & ſanctiſſimi inſtituti euentum moderata fuit, diuina Sapientia. Et ſane docuit poſtmodum experientia, non alia commodiore via tantæ molis opus confici potuiſſe, tanto religionis, politiæ, iuſtitiæ, & imperiorum vndique conſenſu.

Idem hic viget Eccleſiaſtici regiminis ordo ac modus, qui in regno Granatenſi. Offerunt ſiquidem Catholici Reges Pontifici ſolos Archiepiſcopos & Epiſcopos eximiæ pietatis ac eruditionis viros, vt è manu eius Prælaturas accipiant, &, quibus auctorantur, Bullas. Reliqui dignitatum & beneficiorum gradus ordineſque penes Regem ſunt, & Supremam Indiæ Curiam. Romam Bullas petituri non abeunt; redituſque ipſorum ex decimis & primitiis frugum, quas Caſtellani incolæ pendunt, colliguntur.

In maxima enim harum Indiarum parte, decimas non ſoluunt indigenæ, & vbi decimæ deficiunt, eædem ex reditibus regiis ſupplentur. Decimas quod attinet & agrorum primitias, qua nempe ratione exſolui debeant, multis variiſque conſtitutum eſt legibus & edictis, quæ ad formam & tenorem Edictorum Caſtellæ concepta ſunt. Æquiſſimum enim videtur, vt Caſtellanorum coloniæ & noſtratium quaſi propagines, iiſdem, quibus ipſi, legibus adſtringantur. Et quanquam Pontificis indulgentia ius de decimis diſponen-

diſponendi penes Reges ſit Caſtellæ & Legionis, eaſque in ſuos vſus conuertere poſſint, tamen eas Prælatis eorumque Eccleſiis largiuntur, & quæcunque ad templorum ſtructuram aliaſque neceſſitates requiruntur, liberaliter ſufficiunt, vti & calicem, campanam & altare.

Plurima verò ſuper decimarum diſtributione, & in Prælatos, Canonicos, Cathedrales, paſtores, ſacerdotes & Indorum doctores erogatione à Supremo Indiarum Concilio ſtatuta & edicta formata ſunt. Ac primò quidem omnes hoſce, & quotquot Indorum inſtitutioni præficiuntur, vitæ probatæ eſſe oportet, linguæ Indicæ peritos & humanioribus diſciplinis excultos. Adhæc, vt ſuo quiſque doctor ac paſtor adſit cœtui & parochiæ parochus; & ne duplici eorum quiſquam beneficio ac mercede gaudeat, cautum eſt. Vt verò certius de horum conſtet probitate ac eruditione, nulli clericorum in has oras ſe conferre licitum eſt, niſi conſcio Prælato ſuo ac Rege. Quod ſi vero abſque horum mandato & litteris quenquam huc veniſſe compertum ſit, confeſtim is ad ſuos remittitur.

Vt verò planius conſtet, qua ratione & modo Regis hic imperium & poteſtas vindicetur (proprie jura patronatus vocant) ſtatutum eſt, vt in præuaricantes quoslibet animaduertant, Regis vicarius, Audientiæ, Gubernatores, & Iudices. Primum quidem nulli fundare licet Cathedralem vllam Eccleſiam, Parochiam, Cœnobium, Xenodochium aut templum votiuum, niſi impetrato Regis conſenſu. Quod ſi contingat Cathedralem Eccleſiam non habere apud ſe actu reſidentes quatuor Canonicos, per regiam oblationem & Canonicam prouiſionem Prælati promotos, (ſiue beneficia iſta vacent, ſiue qui iis fruuntur vltra octomeſtre ab Eccleſia ſua, vel iuſta de cauſa, abſint) Prælati munus erit, quoad à Rege facta fuerit oblatio ac præſentatio, ad tempus, ſiue vti loquuntur, prouiſionaliter, quatuor alios eligere, & quidem maxime idoneos, licet iſtiuſmodi prouiſio ratæ poſſeſſionis titulum nondum habeat, ſed nutu Regis mobilis ſit, iiſque ipſis ſic electis nondum aut in Choro, aut in Capitulo locus concedatur. Præterea nulli Prælato licet Canonicatum inſtituere, aut præbendas beneficiaque largiri, ſine præuia Regis oblatione, vſque adeo, vt ea impetrata abſque mora beneficia concedat, dignitatumque fructibus ac emolumentis frui eos ſinat. Decretum quoque, vt in muniorum, dignitatum ac præbendarum donatione eorum potiſſimum habeatur ratio, qui doctrina & eruditione præcellunt, quique in Cathedralibus Caſtellæ Eccleſiis ſacra obiuerunt, & in Chori muniis exercitati ſunt. Item, vt ſingulis Cathedralibus Eccleſiis ad minimum præficiatur Iureconſultus vnus Graduatus, (ſit venia verbo) & Theologus vnus concionator, iiſdem legibus, quibus in Hiſpania Canonici, doctores, & magiſtri: & inſuper eligatur Theologus doctrina inſignis, qui ſacras litteras prælegat; vna cum Iureconſulto vel Theologo, qui obeat Canonicatum pœnitentiæ, juxta decreta concilii Tridentini. Vt verò vacantibus beneficiis, & paſtorum muneribus, ſecularibus, ſpiritualibus, omnibuſque aliis Eccleſiaſticis functionibus in tempore proſpici poſſit, & regis in iis vindicari ius ac authoritas, hunc in modum de iis ſtatutum:

Si quando contingat functionem aliquam in Eccleſia vacare, Prælati erit affixo hic illic programmate hoc ipſum tempeſtiue indicare, eoſque, qui operam ſuam oblaturi erunt, examini ſubiicere, & exploratis ipſorum tum moribus, tum progreſſu, duos ex iis nominare. Mox pro-regis, Cameræ, ſiue Gubernatoris prouinciæ erit vnum ex iis eligere, cui poſtea Prelatus prouiſionem & Canonicam inſtitutionem conferet, non perpetuæ poſſeſſionis titulo verum ea lege, vt ſi quando oblationem fecerit Rex, & in ea expreſſum fuerit, vt collatio & Canonica inſtitutio fiat in perpetuum,

tuum,& non per prouiſionem,rata ſit prior prouiſio. Quod ſi vero in iis locis, quæ ab Indis habitantur,deerunt reditus ac beneficia alendis Clericis aut paſtoribus, qui Sacramenta aliaque ſacra obeant,curabit prælatus, vt paſtor iſti loco præficiatur, & præmiſſo vnius aut duorum examine,nomina eorum ad regios Officiales tranſmittet, hoc fini, vt vnum ex duobus nominatis,aut ſi vnus ſolummodo ſit, eundem eligant: qua electione impetrata beneficium illi prouinciamque confert prælatus,præſcribens illi rationem & modum docendi, mandanſque, vt dignitatem illam cum fructibus ac emolumentis accipiat. Statutum etiam,vt munia quælibet & beneficia in illos conferantur, qui maxime iis digni videbuntur,quorumque in Indorum conuerſione & Sacramentorum adminiſtratione perſpecta fuit ſedulitas,vti & in illos, qui Indorum linguas probe callent. Item,vt illi,qui à rege oblationem poſtulare volent,primum ſe coram prouinciarum rectoribus ac officialibus ſiſtant, ibidemque conſilii ſui ac petitionis ſummam exponant, & familiam ſuam,eruditionem,mores fide dignis teſtimoniis iis ipſis probent. Nec minus in hæc ipſa ſtudioſe inquirent Officiales ſupradicti. Moxque eundem ad Regem mittent,inſtructum quoque literis συςαλικαῖς prælati ſui. Quæ omnia niſi religioſe obſeruentur, ad munus capeſſendum admitti non poterit. Nulli quoque in vna eademqu Eccleſia, aut etiam in diuerſis duplici beneficio frui,aut gemino munere fungi licet. Si præſentatus,ſiue ad munus electus,non compareat intra præſcriptum ac debitum tempus coram Prælato,nullius hæc erit electio valoris,nec vlla canonica formari poterit inſtitutio.

De Collatione beneficiorum.

Cap. XXIX.

De ſpirituali regimine,bonis defunctorum,matrimoniis, ac S. Inquiſitionis Officio.

NVlli Cathedralis Eccleſiæ Canonico redituum iſtius Eccleſiæ fruitio conceditur, niſi in ea reſideat & ſacra ipſe obeat,nec fas eſt, vt in Indorum Pagis beneficiis quiſquam gaudeat,niſi officio aliquo & munere fungatur.Statutum etiam, vt in nouis paſſim coloniis fundentur Xenodochia & Noſodochia,in vſum pauperum & ægrotorum,modo contagioſis morbis non laborent,vtque hæ ędes publicę prope ipſum templum exſtruantur: Item, vt in vſum eorum, qui peſte ac contagioſis morbis laborant,ædificetur Noſodochium peculiare,loco ſolitario & edito,nec noxiis ventis expoſito. Quoniam verò edoctus eſt Rex,bona defunctorum hiſce in locis, aut difficulter aut ſerò ad hęredes legitimos tranſire, ſiue teſtamento, ſiue ab inteſtato hæreditatem adeant,& magno horum damno teſtamenta effectum ſuum non ſortiri,ſtatutum eſt: vt quotquot è Caſtella huc commigrant, ſe quamprimum apud Magiſtratus ſecretarium ſiſtant,& nomen ſuum ac cognomen, & locum natalem in tabulis publicis annotari curent,vt hac ratione, ſi mori aliquem contingat, in amicos & hæredes inquiri commodius poſſet. Item,vt ordinarius loci Iudex, vna cum conſiliario & magiſtratus ſecretario,in bona defunctorum diligenter inquirant, eorumque Syllabum conſcribant præſente ſecretario & iuratis teſtibus,bonaque omnia annotent, vna cum ipſorum debitis & creditis,vtque mox eadem diuendant & ciſtæ pecuniam includant, quę tribus clauibus, quas ſupradicti aſſeruabunt, obſerabitur. Hęc ipſa autem bona auctione publica diuendi neceſſum erit,ſub fide & cautione ſecretarii, & ſi res exiget conſtituendus

De Xenodochiis & Noſodochiis.

De bonis defunctorum.

dus quoque erit bonorum procurator. Inſuper eorum, qui ius iſtis in locis populo dicunt, munus eſt, rationes accurate exigere ab iis, quorum cura bona defunctorum diuendita ſunt, precium omne ab iiſdem repoſcere, & in arca ſupradicta aſſeruare. Quod ſi verò teſtamentum ſcripſerit defunctus, & præſentes adſint hæredes, ad Iudices eius cura non pertinebit, ſed ſolummodo in defuncti hæredes, legitimi-ne illi ſint an illegitimi, inquirent.

Præterea ſupradicti, Iudex nempe, conſiliarius & ſecretarius, omnia defunctorum bona ad domum *Contractation*, Hiſpalin tranſmittent, additis nominibus & cognominibus ipſorum, nec non habitationis ſede & bonorum ſyllabo, vt hac ratione in hæredum ea manus perueniant. Adhæc rationes procuratorum ad Supremum Indiarum Concilium tranſmittentur. Magiſtratus quoque curioſe inquiret, an fraus aliqua facta ſit in bonorum adminiſtratione, & ſi quid tale acciderit, ea de re certiorem faciet Supremam Curiam. Iidem procuratores rationem ſuæ adminiſtrationis reddent dicto Magiſtratui, ſolutis impenſis omnibus. Quotannis apud Gubernatorem prouinciæ exponere oportet nomina omnia eorum, qui eo ipſo anno è viuis exceſſerunt, & bonorum Syllabos ſiue Regeſta, vt ea tranſmiſſa Hiſpalin hæredibus cedant. Quælibet Camera Iudicem habebit bonis defunctorum præfectum, qui Commiſſarios ſuos per omnes iſtius Cameræ tractus mittet ad colligendas rationes, & ſi negligentia hac in parte peccabitur, inquirere in rem omnem iubentur ipſi Cameræ iudices, rationeſque propius excutere. Quoniam vero Catholici reges edocti ſunt, quam plurimos Caſtellanos deſertis coniugibus & liberis in hæc loca commigrare, cuius rei indignitas non ſolum Deum Opt. Max. grauiſſime offendit, verum etiam harum regionum felicitati non parum præiudicat, cum huiuſmodi homines fixam hic ſibi ac perpetuam ſedem minime deligant, & quæ ad familiarum decus & ornamentum, coloniarum incrementa, agrorum culturam faciant, minus curent, vtpote ab vxoribus & liberis ſuis longe ſepoſiti: ſupradicti Reges, quo tantis malis commode obuiam iri poſſet, decreuerunt, vt quotquot in his regnis commorabuntur vxorati & matrimonio nexi, quamprimum ad vxores ſuas & liberos in Caſtellam remeent, nec eo ſe denuo conferant, niſi adductis vna vxoribus, aut poſtquam has fatis conceſſiſſe probauerint. Renouatum aliquoties fuit per vniuerſum Nouum orbem hoc decretum, &, vt rigide executioni mandaretur, graui pœna ſancitum. *De coniugibus.*

Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, quo tempore primum Nouus hic orbis detegi cœpit, Spiritualis hic Iuriſdictio conſtituta eſt. Etenim *Philippus* II. cognomento *Prudens*, rex Catholicus, apud animum ſuum reuocans, inter alia beneficia nullum maius præſtantiuſque Indis diuinitus contigiſſe, ſalutari Euangelicæ doctrinæ luce, qua plurimos ipſorum cœcutientes, eheu, & palantes miſericors Deus illuſtrauit; & nihil magis neceſſarium eſſe, quam vt diuinus cultus, & quæ ex eius rigida obſeruatione Caſtellanis incolis, tum ducibus tum priuatis accreſcit dignitas & exiſtimatio, ſarta tecta conſeruentur; adhæc conſiderans, eos, qui à Catholica fide & Romana Eccleſia alieniores ſunt, in erroribus ſuis ac hæreſibus pertinaciter perſeuerare, & Heterodoxias ſuæ ſcabiem tum priuatis colloquiis, tum libellis, aliis adfricare, nec vllum ſalutarius remedium excogitari poſſe, quam vt hæreticorum familiares conuerſationes ſedulo vitentur, & errores ipſorum iuxta Canones ſacros & leges horum regnorum puniantur, ne ſerpat porro ad indigenas harum prouinciarum peſtilens tot hæreſium contagio: Decreuit & ſanciuit, approbante Cardinali *D. Diego de Eſpinoſa*, *Siguenzæ* Epiſcopo, & generali iſtorum regnorum Inquiſitore, viro ſingularis pruden- *De S. Inquiſitionis Officio.*

tiæ &

tiæ & raræ virtutis, vt in *Mexico* vrbe erigeretur ſancti huius officij ſiue *Inquiſitionis* Curia, quæ ad Nouam Hiſpaniam & reliquam Indiæ Septentrionalis partem attendat, necnon alia in ciuitate *de los Reyes*, quæ Peruuiam curet & Indiam Meridionalem. In quibus Curiis non de iis tractabitur, quæ Indos, ſed quæ ad Caſtellanos aliaſque nationes hic commorantes pertinent; Ita, vt alio prouocare non detur, niſi ad hoc Concilium, more & legibus in Hiſpania receptis. Ad huius vero negotii tam ardui conſummationem *Philippus ſecundus* Anno 1570. in ciuitate Madrid 16. Auguſti poteſtatem plenariam conceſſit Apoſtolicis inquiſitoribus, ad occurrendum hæreticorum perfidiæ, apoſtaſiæ, & hæreſibus; decretumque, vt Officiales aliique huius Inquiſitionis miniſtri ſedes ibi doligant in *Mexico*, & *de los Reyes* ciuitatibus, & regias conſtitutiones, quæque muneris ſui ſunt, fideliter exequantur, vtque his ipſis operam ſuam & auxilium, quoad poſſunt, commodent *D. Martinus Enriquez*, & *D. Franciſcus de Toledo* regis vicarii, aliique Nouæ Hiſpaniæ, & Peruuiæ duces, Curiæ, Iudices, gubernatores; & vt Inquiſitorum & Officialium S. Inquiſitionis titulo ornentur; qua de re ſuo loco latius agendum.

Cap. XXX.

De forma imperii, qua vti ſolet Supremum Indiæ Concilium, deque Camerarum fundatione & regiis iſtorum tractuum Cancellariis.

De Indiarum regimine.

CAtholici Reges magnis adducti rationibus Supremum aliquod rerum Indicarum Concilium erexerunt, quod tot & tantorum negociorum molem humeris quoque ſuis ſuffulciret, & totius Noui orbis imperium conſilio ſuo moderaretur. Conſtat Concilium hoc ex Præſide, Conſiliariis octo, aut pluribus etiam, ſi res exigant, fiſcali, ſecretariis, Scribis, Relatoribus aliiſque Officialibus, ex Curia rationum, in qua de reditibus regis agitur. Conuenire ſolent Concilii iſtius Senatores ſingulis hebdomadibus ter, & tres horas matutinas, duas verò veſpertinas, de regni rebus deliberant, niſi forte ferias imperet dierum feſtorum religio. Hic de officiorum & beneficiorum collationibus agitur, ita tamen, vt, quæ in India conferuntur, non niſi impetratis regiis litteris ratæ ſint. Conſtitutum quoque, vt penes hos ſit ſuprema Iuriſdictio, & poteſtas leges condendi, examinandique ſtatuta prælatorum, Capitulorum, & Conuentuum religioſorum, necnon pro-regum, Camerarum & conciliorum ſubordinatorum, vtque paſſim obſequium ipſis, fides, & obedientia ab omnibus, & ſingulis præſtentur: Vt regimen Indiarum ad horum regnorum formam componatur, vtque ſpeciatim Concilium hoc attendat ad ea, quæ harum regionum gubernationem concernunt. Et ſi quando lites forenſes arduæ & majoris momenti decidi non poſſunt; in conſiliorum ſocietatem aduocantur Regis Conſiliarii, quibus priori Concilio adiunctis ſuffragiorum pluralitate deciditur; nempe quando lis eſt de precio minore peſis quingentis: Verum ſi lis ſit de precio peſorum 10000. ſecundæ ſupplicationi locus erit. Idem Concilium in conferendis muneribus ac beneficiis ad præſcriptum ſupradictarum conſtitutionum ſe componet: Quod ſi verò alicui gratificari volet, ex plurium ſuffragio hoc fiet. Cauſas, de quibus ſtatutum fuit bis, tertium non admittet, & quoad fieri poteſt breuiſſimo tempore, lites expediet. In bene meritos functiones & munia conferet, nequaquam verò in conſanguineos, aut alia quadam ratione Curiæ ſupremæ obſtrictos,

De Supremo rerum Indicarum Concilio.

quibus

quibus ipſis quoque nec ſollicitatoribus nec procuratoribus in eadem Curia eſſe licet; Hoc ante omnia cauendum , ne munerum largitionibus corrupti Curiæ Senatores προσωπολήπται ſint.

Secreta quoque Curiæ eliminare nulli fas erit, & potiſſimum curabit Conſilium hoc,quæ ad conuerſionem & inſtitutionem Indorum,& ſpiritualem eorundem gubernationem facient. A litibus 600000. *Marauidij*z (numiſmatis genus eſt) ad Curiam hanc inſtitui poterit prouocatio. Item à ſententiis latis ſuper quinque caſibus , mortis nempe naturalis,mutilationis membrorum,aut alius modi vulnerum, publicæ ignominiæ ac denique torturæ. Præſes,ſi doctrinæ titulo inſignis ſit, ſuffragium dicet de regni rebus & fauoris caſibus,non autem de cauſis forenſibus, quo liberius & expeditius Cameræ negotiis vacare poſſit: ſi vero illiteratus ſit,ſuffragium non dicet,niſi in caſibus fauoris. Idem poteſtatem habebit indicendi Concilium,& domi ſuæ celebrandi : negotiaque omnia de quibus deliberatum ac determinatum eſt, in acta publica referri curabit: Adhæc nulli ex hoc Concilio conceditur commerciorum ſocietatem cum mercatoribus inire. Cum autem neceſſarium omnino ſit,vt in Concilio Fiſcalem habeat, idem huic,quod conſiliariis,aſſignabitur ſalarium. Et inſtrumenta omnia publica S. Inquiſitionis officium concernentia eidem tradentur. Hic Fiſcalis capitulationes regias in tabulas publicas referet, necnō litium & cauſarum diſceptationes,lites non protrahet,poſtulataque ipſius,aut eorum,qui ſe hiſce opponent, admittentur,ſi ita Senatui ſupremo viſum. In acta quoque publica omnium decretorum ac concluſionum ſummas referet, &,qui officialium quotannis relationes ſuas ad Senatum mittere negligent , ſtudioſe ſciſcitabitur. Conſtituto Supremo Concilio,etiam ea,quæ iuſtitiam & Iuris in Nouo Orbe adminiſtrationem concernunt,decernenda fuerunt, quo iuſtitiæ amore correpti incolæ ſuum cuique tribuere diſcant. Ideoque Reges Catholici,quibus & cultus diuini incolumitas & ſubditorum ſuorum ſalus,commoda,tranquillitaſque cordi erant,variis in locis conſtitui voluerunt Curias,ſiue Audientias & regias Cancellarias. necnon leges & ſtatuta,ſecundum quæ ius populis omnibus & ſingulis dici poſſet. *De Curiis ſiue Audientiis Indorum.*

Prima Curia ſiue Camera in ciuitate *S. Domingo* in inſula *Hiſpaniola* fundata fuit, Præſidem ſortita gradu licentiæ aut Doctrinæ clarum. Hac vero tempeſtate illi præeſt Præſes belli ſtudiis & arte militari celebris , titulo Capitanei Generalis. Adiuncti huic ſunt Iudices quatuor ῥαβδοῦχοι, quibus & ciuilia & criminalia curæ ſunt, in caſibus prouocationis,& prima etiam inſtantia in negociis ipſius Curiæ. Præfectura vero ipſumque diſtrictus regimen Præſidi ſoli (is hodierno tempore *Antonius* eſt *Oſorius*) commiſſum eſt. *Curia Hiſpaniolæ.*

Secunda Camera in ciuitate *Mexico* conſtituta eſt in *Noua Hiſpania*. Primus in ea Præſidem egit *Nuncius Guzmannus* ſed minori authoritate. Huius quoque Cameræ præſes fuit Epiſcopus *Sebaſtianus Ramirez*, penes quem horum regnorum tum temporis fuit imperium & ſuprema poteſtas. Hic in optimum ordinem ea, quæ Curiam hanc & Iuſtitiam concernunt,redegit. Idem Præſes Pro-regis quoque officio fungitur (is nunc eſt Comes de *Monterrey*,) cui Conſiliarii additi ſunt octo , res ciuiles curantes , & etiam, ſi prouocationes inſtituantur , ea quæ præfecturam concernunt. Tres habet Curia hæc Prætores in criminalibus virgi-feros,ad quos criminalia pertinent : Fiſcales quoque duos , vnum ciuilibus , alterum criminalibus præfectum. Pro-rex iſte præfecturas aliaſque dignitates,quibus vult, demandat, iis exceptis , quas ſibi Rex reſeruat. *Curia Mexicana.*

H Tertia

Curia Panamenſis. Tertia Camera *Panamenſis* fuit, in *Terra Firma*, quæ ſic dicta eſt, quod primum in has terras ex Inſulis traiecerint Caſteliani. Et quanquam alias in continente regiones reperiuiſſent, ſola tamen hæc *Terræ Firmæ* nomen retinuit, cum antea *Caſtella aurea* dicta eſſet; quo nomine eam appellari voluerunt Caſtellæ Reges. Quo tempore vero *Peruuiæ* imperium latius diffundi cœpit, Anno nimirum 1542. translata fuit hæc Camera in ciuitatem *de los Reyes*, in qua Vicarius Regis (is hac tempeſtate eſt *D. Ludouicus de Velaſco*) ſedem fixit, & præfecturam huius diſtrictus adminiſtrat, vti & aliarum *de los Charcas* & *del Quito*. *Curia de los Reyes.* Habet hæc *de los Reyes* Camera Conſiliarios octo, tres Prætores, Fiſcales duos, iiſdem quibus *Mexicana* legibus fundata. Pro-rex, qui in vrbe reſidet, Præſes huius eſt Curiæ, atque etiam aliarum duarum quoties in illis tractibus commoratur. Hic varias Indorum præfecturas, quæ in hoc territorio ſubinde vacant, quibus vult demandat.

Curia Guatemalæ. Quarta Camera in *Confinium* prouinciis fundata fuit, & cũ minus hic neceſſaria eſſe videretur, alio translata eſt, Anno vero milleſimo quingẽteſimo ſeptuageſimo denuo fundata eſt in ciuitate *Sant Iago* in regno *Guatemalæ*. Præſidẽ in ea nunc agit Doctor *Criado de Caſtella*, cui additi Conſiliarii quatuor: & Fiſcalis vnus, qui de criminalibus & ciuilibus negociis diſpiciunt, ſi quando prouocatio fiat; & in prima inſtantia in Cameræ negotiis. Rerum, quæ Curiam ipſam concernunt, adminiſtratio omnis, penes Præſidem eſt, vti & præfecturarum hic illic aliorumque muniorum temporalium diſtributio.

Curia noui Regni. Quinta Curia conſtituta eſt in vrbe *Santa Fe de Bogota* in Nouo regno *Granatæ*. Præſidem habet hoc tempore Doctorem *Franciſcum de Sande*, conſiliarios inſuper quatuor virgi feros, & Fiſcalem vnum; quibus eadem quæ prioribus competit authoritas.

Curia Nouæ Galiciæ. Sexta Camera in ciuitate *Guadalajara* in nouo Regno *Galiciæ* erecta eſt. Regentem habet, & prætores (Hiſpani *Alcaldes* vocant) tres, qui longo tempore ſigillo & Regiſtro caruerunt. Cum vero negociorum indies moles accreſceret, conceſſum ipſis ſigillum & Regiſtrum, Præſeſque ei præfectus fuit. Is nunc eſt Doctor *Sant Iago de Vera*. Præterea additi illi ſunt Conſiliarii tres virgiferi, & Fiſcalis vnus. Penes Vice-regem eſt Nouæ Hiſpaniæ imperium.

Curia del Quito. Septima Camera in ciuitate *Sant Franciſco del Quito* in Peruuia conſtituta eſt, quæ Regentem quoque & Prætores ſupremos habuit, ſigillo carentes. Poſtea verò de præſide illi proſpectum. Is nunc eſt *Licentiatus Michael de Yuarra*. Habet eadem Curia Iudices virgiferos tres, & fiſcalem vnum eadem, qua Guadalaiaræ fiſcalis, poteſtate inſtructum. Imperium autem penes Vice-Regem Peruuiæ eſt.

Curia de los Charcas. Octaua Camera in ciuitate *de la Plata* conſtituta eſt, in Prouincia *de los Charcas*, ſuum habens Regentem & Prætores. Poſtea præſidem accepit, & quatuor Iudices virgi-feros, fiſcalem vnum, ſigillum & Regiſtrum. Hoc tempore Præſidis partes tuetur *Licentiatus Cepeda*, ſibique muniorum diſtributiones reſeruat, reliqua ad diſpoſitionem pro-regis *Peruuiæ* pertinent.

Curia Panamaidis. Nona Camera fundata eſt in *Panamaide* vrbe, ſuum habens Præſidem, chlamyde & gladio inauguratum, idque bellorum cauſa. Is nunc eſt *D. Alphonſus de Sotomayor*, donatus titulo Capitanei generalis *Terræ firmæ*. Tres habet Iudices virgi-feros, qui ad prouocationes in cauſis ciuilibus & criminalibus attendunt, & in prima inſtantia ad cauſas quoque ipſius Cameræ. Solus imperium habet huius diſtrictus.

Curia Chiles. Decima Camera erecta eſt in vrbe *Sant Iago* in prouincia *Chiles*, quæ quoniam minus

minus neceſſaria videbatur, alio translata eſt. Conſtitutus in ea eſt Gubernator totus à Vice-rege dependens.

Fuit quoque in ciuitate *Manilla*, in inſulis *Philippinis*, Camera, quæ abolita eſt; quia minus neceſſaria videbatur. Paucis retro annis hic reſtituta eſt, ſub ductu & imperio Capitanei Generalis. Is nunc eſt *Petrus de Arnuia*, eiuſdem Curiæ Præſes. Cui additi ſunt Iudices quatuor, & Fiſcalis vnus, eadem qua reliquæ Cameræ inſtructi auctoritate. Vnice enim hoc curant Catholici Reges, vt ſarta tecta maneat & ſecularis & Eccleſiaſtici ſtatus in his terris incolumitas, nec vllis hac in parte ſumtibus parcunt. Idem quoque in his Curiis, qui in Caſtella, ordo obſeruatur, ſi Camerarum Secretarios, & Scribas, Apparitores, Satellites, Relatores, aliosque Officiales ſpectes. *Curia Philippinarum.*

Cap. XXXI.

De negociis, quæ à Supremo Indiarum Concilio ex Regis conſenſu pertractantur.

EA eſt huius Monarchiæ & Imperii harmonia, is omnium partium & membrorum conſenſus, vt omnibus eius Officialibus & miniſtris conceſſa ſit conueniens ſingulorum muniis officiisque authoritas, reſeruata ſolummodo Regi ea poteſtate, quæ autocratoricum Principem decebat. Ideoque conceſſa eſt libera quorundam officiorum diſpenſatio Vicariis regis, & Præſidibus, tum vt ſua bene meritis conſtarent præmia, tum vt illuſtrior ipſorum eſſet authoritas. Verum harum, quas iam recenſebo, dignitatum diſpoſitionem ſibi reſeruauit Rex.

In regno *Chiles* Gubernatorem conſtituit & Vicarium cum poteſtate conſtituendi inferiores in Indorum pagis magiſtratus.

Item in prouincia *Tucuman*, eiuſdem cum priore authoritatis; vti & in prouinciis *del Rio de la Plata*, aliumque in *Popayan, Santa Marta, Cartagena* & *Veragua*. *De quibus præfecturis ipſe Rex diſponat.*

Item in prouinciis *Nicaraguæ* & *Coſtaricæ*, necnon in inſula *Cuba*: & Capitaneum generalem, qui in ciuitate *S. Chriſtophori del Auana* reſidet.

Sunt & aliæ Præfecturæ, nempe inſulæ *Sant Iuan de Puerto rico, Venezuaæ, Soconuſco, Tucatan, Cozumel* & *Tabaſco*, quæ ſingulæ poteſtatem habent de Indorum Magiſtratibus diſpenſandi, Inſuper ad Regis donationem pertinent Præfecturæ *de Honduras, Inſulæ Margaritæ, Floridæ, Nouæ Viſcayæ*, & *Dorado, las del nueuo Reyno de Leon, de Pocamoros, Tgualſongo*, quæ dignitates perpetuæ ſunt; ſicut & præfecturæ *de Choco, Quixos* & *la Canela*, inſularum *Salomonis, Santa Cruz de la Sierra* & *Nouæ Andaluziæ*.

Etiam ſequentes Iuriſdictiones (Hiſpani *Corrigementos* vocant) ad diſpoſitionem Regis pertinent: nempe, ciuitatis *Cuzco, de la Plata*, fodinarum *de Potoſſi*, prouinciarum *de Chicuito, de Andes de Cuzco*, vrbis *Truxillo, Arequipæ, Sant Iago de Guayaquil, Guamangæ*, ciuitatis *de la Paz, Chiquiabo, Sant Iuan de la Frontera, Leon de Guanuco, Puerto viejo, Zamora*, Coloniarum *de los Zacatecas, Nouæ Galiciæ, Cuencæ, Loxæ, Tuniæ*, Ciuitatis *Mexici, de los Reyes* & prouinciæ *de Nicoya*. *De quibus Corrigementos.*

Maximæ præturæ ſunt hæ; nempe, ciuitatis *de Saluador*, prouinciæ *de Guatemala*, & locorum mediterraneorum *Hiſpaniolæ, Nombre de Dios*, vrbis *Chulutecæ*, prouinciæ *de Chiapa, Zapotitlan*, vrbis *de Nata, S. Mariæ de la Victoria in Tabaſco*. Maxime vero *Algaziles* ſunt illæ, quas habet ciuitas *S. Domingo, Mexicum, Guadalajara, S Iago de Guatemala, Panama, Santa*

Et de Bogola, S. Franciſco del Quito, ciuitas *de los Reyes, la Plata.* Habent vrbes hæ ſingulæ *Algazil* magnum, qui in ſenatu quoq; ſuffragium fert, duos habens vicarios. Et in vnaquaque Camera alius eſt Algazil magnus, poteſtatē habens nominandi duos alios vicarios.

Algazil latine Quæſitor aut latrunculator reddi poſſet, Belgæ provooſt, *vocant.*

Quod ad adminiſtrationem redituum Regis attinet, præficiuntur his à rege ex conſilio ſupremi Indiarum Senatus, quam plurimi Officiales, Procuratores, Theſaurarii, Rationum adminiſtri & Commiſſarii, qui in Caſtella & India pro concreditis ſibi pecuniis fideiubent. Cumque incrementum indies caperet nouum harum Indiarum imperium, viſum fuit duos in eodem Orbe conſtituere Pro-reges, vnum in *Noua Hiſpania*, alterum in regno *Peruuiæ*, quorum eſſet procurare ea, quæ ad promotionem cultus diuini, regis emolumenta, conuerſionem inſtitutionemq; Indorum, conſeruationem & amplificationem coloniarum in prædictis regnis faciunt. Et docuit ſane experientia, magno hæc cum fructu & feliciſſimo ſucceſſu ordinata eſſe. His regis Vicariis multa ſpecialiter in mandatis dantur, & inter alia, vt Sanctum Inquiſitionis officium, quibus poterunt modis defendant propugnentq;, quo ſalua religionis vnitate ſpiritualis & ſecularis ſtatus vigeat, floreatque.

Adhæc Vice-regibus & Iudicibus mandatur, ne proprias quiſquam habeat domos, ne ipſi commercia ineant aut mercaturam exerceant, ne Indorum vtantur ſeruitio, ne munera vlla aut donaria accipiant, non pecuniam, non eſculenta aut poculenta, neve ipſi cauſas dicant, aut arbitros ſe interponant. Nulli licet aduocati partes tueri, cuius vel pater, vel affinis, vel cognatus, aut filius conſiliarius ſit. Nulli Vice-regi, Præſidi, Conſiliario, rerum criminalium prætori, fiſcali, aut horum filiis, nuptias in India contrahere conceſſum. Nulli Gubernatori, Iudici, aut horum locum tenentibus hæreditatem adire licet, aut proprias ædes poſſidere, aut etiam mercaturam exercere in ſuo territorio. Præterea munerum collationes precio diuendere, aut alteri locare nefas eſt. Nulli Gubernatori, iudici, aut ſummo prætori, quamdiu provinciam iſtam ſuſtinet, in ſuo diſtrictu vxorem ducere conceditur. Nec licet Conſiliario eſſe judici, neque vllo fungi officio, per quod domo ac à reſidentiæ ſuæ loco abeſſe cogatur. Mandatum quoque, ne Magiſtratus, in filios, generos, agnatos, aut affines Præſidum, Conſiliariorum, Fiſcalium, Cameræ officialium, aut reditibus regiis præfectorum conferantur, multo minus in ipſorum miniſtros, famulos, aliaque ipſis deuinctos ratione. Concernit quoque hæc ipſa res regis Vicarios. Nulli quoque ſupradictorum officialium conceſſa eſt poteſtas, aliorum lites dubias, debita, cauſaſque in ſe transferendi, aut Indorum laboribus gratis fruendi. Statutum quoque, ne quis Aduocatus, relator & ſcriba, eaſdem, quas Conſiliarius aut Prętor, ædes inhabitet, & ne cauſſidici ipſis Iudicibus inſeruiant: Ne Conſiliarii Panamenſes, ipſorumque vxores mercimonia ineant cum mercatoribus: Ne Conſiliarii cuiuſcunque tandem ſint Curiæ, magnam colant familiaritatem cum cauſidicis, aduocatis, aut procuratoribus, & ne vniuerſum Curię corpus, nuptiis, ſponſaliorum celebrationibus & funerum exequiis interſit, niſi extrema forte vrgeat neceſſitas: Ne Collegialiter ciues inuiſum ac ſalutatum eant: Ne Conſiliariorum aut Curiæ Officialium quiſquam geminum munus obeat. Et quæ ſunt aliæ laudabiles conſtitutiones & leges ad rigidam juris in Nouo Orbe obſeruationem adminiſtrationemque facientes.

Cap. XXXII.

In quo reliqua ad Indiarum regimen pertinentia pertexuntur.

QUoniam verò nihil à Catholicis regibus prætermiſſum fuit, quod muneris ipſorum eſſet, hoc primò & ante omnia Viceregibus aliiſque miniſtris ſuis demandarunt, vt quæ ad Indorum commoda & vtilitatem facerent, curarent diligenter, omniaque ſuper hac re concepta decreta, leges & conſtitutiones rigide exequerentur. Cumque quæ ad politiæ ordinem faciunt, indies à Caſtellanis ediſcant Indi, & de illata ſibi iniuria ſubinde conquerantur, decretum, ne lites Indorum cum Indis, aut aliis etiam, ordinario juris proceſſu decidantur, aut in longius tempus protrahantur, vti procuratorum, & advocatorum quorundam improbitate antehac accidit; verum vt quam citiſſime expediantur, ſaluis manentibus ipſorum ritibus & conſuetudinibus, modo manifeſtam non præſe ferant injuſtitiæ ſpeciem. Quoniam vero compertum eſt fraudem aliquando fieri ex malefida idiomatis Indorum interpretatione, decretum, vt ea per duos fiat interpretes, ea lege, ne his ipſis interpretibus de iis, quæ ab Indis dicuntur in cauſa controuerſa, conferre inter ſeſe liceat. Præterea, priuſquam munus illud capeſſere ipſis liceat, fidei juramento adſtringi eos neceſſe eſt, nec vlla donaria ab Indis aliiſque, qualeſcunq; tandem ſint, accipere fas eſt. Hi ipſi Curiis aderunt, ſi quando de Indorum cauſis deciſio fiet, ſi diſceptentur lites, ſi examini ſubiiciatur captiuus, nec domi ſuę priuatim Indorum cauſas audient, ſed ad Curiam eos remittent. Interpretibus nequaquam ſimul eſſe licet procuratoribus aut ſollicitatoribus Indorum, & ne quidquam ab iis poſcant, cautum. Quin Indorum bono conſtitutum eſt, vt ſupremi Senatus fiſcalis, patronus ſit ac aduocatus Indorum, eorumque cauſas coram Curia defendat, & quæ ad eorum inſtitutionem, & gubernationem neceſſaria erunt à Senatu ſupremo petat expoſcatque. Atque hoc quidem tempore Indorum quoque patroni in regnis *Peruuiæ* & *Nouæ Hiſpaniæ*, legibus ad Indorum commoda & fauorem conceptis, conſtituti ſunt. Iuſſum quoque, vt Scholæ erigerentur, in quibus Caſtellana lingua doceretur, in gratiam Indorum, quo eam à teneris annis addiſcat iuuentus: nec vlli Caſtellano mendico aut erroni hic loci commorari aut oberrare permittitur: ſi fiat, curabunt proreges aliique Curiarum Officiales, vt iſtiuſmodi hominum genus in Caſtellam remittatur, & his regnis excedat. Adhæc coguntur, *Meſtizes* ſiue Indo-Hiſpani, aut artem aliquam addiſcere, aut aliis ſeruire. Specialiter quoque demandatum Prælatis, vice-regibus, Cameris, gubernatoribus, aliiſque Iuſtitiæ adminiſtris, ne, quod magna ſummi numinis offenſa factitatum antehac fuit, puerorum inter Indos conjugia in poſterum permittant, ſed ætatis rationem habeant: nec *Caziques* (Indorum Regulos) præter vnam vxorem ducere ſinant, vtque omni ſtudio barbarum illud cacoëthes abrogent, quo defuncto *Cazique*, alium mactare ſolent & prioris cadaueri adſociatum vna terræ mandare: Vt Indis liberrimam agendi res ſuas poteſtatem concedant, tanquam liberis hominibus; quanquam & hoc curandum, ne nihil agant & ocio diffluant: vt tanquam rerum ſuarum domini jus habeant de bonis ſuis pro lubitu diſponendi, modo bona-immobilia 30. dierum ſpacio præſente Magiſtratu auctioni ſubiiciant, bona vero mobilia dierum nouem: Conſtitutum quoque, vt agri, quos Indi morientes ab inteſtato relicturi erunt, ad habitationis ipſorũ loca referantur, vtque

De Indorum interpretibus.

ipſis ſine obſtaculo merces ſuas publice in foro diuendere liceat: vtque quos laudabiles habent ritus, leges, conſuetudines, ſartæ tectæ maneant: vt licitum ipſis ſit Indicos procuratores in hæc Regna mittere, idque ad triennium: vt Reſidentiæ Iudicum per præconem in Indorum pagis proclamentur, quo vnicuique de ipſorum conſtare poſſit præſentia: denique, vt quilibet pagus Indorum Noſodochium habeat, reditibus ſufficienter inſtructum. Quod ad ſeruos & mancipia attinet, variæ ſuper hac in principio fuere opiniones & receptæ conſuetudines, verum poſtquam nouæ Hiſpaniæ Præſes factus fuit D. Sebaſtianus Ramirez, abrogata fuit iſta habendi ſeruos & mancipia conſuetudo, quanquam ea ipſa inter Indos hactenus obtinuerit. Statutum quoque, ne mancipia emantur, aut ab aliis accipiantur: neque in hæc regna introducantur, quantumuis iuſto bello victa victoribus ceſſerint, aut ex iis locis aduenerint, quæ extra lineam ac limites partitionis Caſtellæ ac Legionis regibus adiudicatæ, poſita ſunt. Cui malo vt commodius certiuſque occurri poſſit, legibus cautum eſt, ne Indi in hæc regna ex aliis tractibus introducantur, quocunque tandem titulo.

Nulli in India mancipia habere licet.

Cum vero ſuprema imperiorum omnium lex ſit tranquillitas & ſalus publica, poteſtas Vice-Regibus, præſidibus ac gubernatoribus conceſſa eſt, proſcribendi ex hoc Nouo orbe homines factioſos & turbulentos, & in Hiſpaniam mittendi. Vt vero aliquod quoque ipſorum Præfectorum licentiæ frœnum iniiciatur, præceptum ipſis, ne quenquam prohibeant ad Regem ipſum aut Concilium ipſius ſcribere ea, quæ velint: nec fas eſt horum regnorum primoribus & gubernatoribus litterarum faſciculos, aut vllius, cuiuſcunque tandem ſint, epiſtolia reſerare, verum liberum earum curſum permittere tenentur, & viarum, ac pontium, per quos commeant & remeant viatores, accuratam quoque rationem habere. Res bellicas quod attinet, conceſſa quoque Vice-regibus facultas conſcribendi præſidiarios milites, pedites equiteſque: exſtruendi armamentaria, fabricandi machinas bellicas, propugnacula condendi, aliaque quæ ad regnorum conſeruationem neceſſaria erunt procurandi. Vt vero in ordinem cogantur, tum qui terra, tum qui mari militant, poteſtatem habent iidem Proreges, conſtituendi Officiales, qui de delinquentium pœna pronuncient, easque rigidiſſime executioni mandent.

Edictum aduerſus ſeditioſos.

De rebus bellicis.

Quanquam vero, vti dictum, totius noui orbis regimen ex ſupremi Indiarum Concilii nutu ac imperio dependeat, tamen, quia neceſſarium omnino eſt, vt conſiliorum ſit ſocietas & conſpiratio quædam inter Indiæ præfectos & noſtrates, erecta fuit in ciuitate *Hiſpali* Regia domus contractuum, *de Contractation*, quæ maxime ad executiones Decretorum Supremi Concilii attenderet, vſque adeo, vt nulli licitum ſit hiſce ſe negociis immiſcere. Eſt autem Curia iſta magnæ authoritatis, præſidem ſuum habens, qui quidem hoc tempore eſt *D. Barnardinus Delgadillo de Auellaneda*, adhæc rationum magiſtrum, theſaurarium, procuratorem negotiorum, Iudices tres, fiſcalem vnum, Relatorem, prætorem vnum, notarios, apparitorem, commentarienſem, alioſque Officiales. In inſulis *Tenerife* & *de la Palma*, duo conſtitui ſolent Iudices, viri docti, quos regios Officiales vocant, ſiue iudices Regeſtorum, quorum munus eſt proſpicere, vt ſtatuta & leges de vectigalibus & portoriis claſſium hac tranſeuntium obſeruentur. Habet hæc Domus *Contractuum* ſuas leges & conſtitutiones, ſecundum quas ea & regi debet, & quæ iuris ſui ſunt ac poteſtatis exequi. Præſcriptæ etiam ſunt Iudicibus leges, quas ipſos neceſſe eſt ſequi in litium diſceptationibus, quæ leges conformes ſunt legibus Curiarum *Valladolid* & *Granadæ*. Specialiter autem domus iſtius Conſiliarii & Officiales ea curant, quæ ad expediendas & adornandas Claſſes faciunt, vtque tempeſtiuo quæque tempore diſcedant,

Domus Contractuum.

diſcedant, vt aduectæ ex India opes, auri, argenti, margaritarum, aliarumque mercium locis publicis cuſtodiantur, ſingulorum annotato pondere & valore, quo accurata & exacta omnium conſtet ratio. Conditæ ſunt hæ leges, ne miniſtris peccandi, aut ſubditis de iniuria conquerendi daretur occaſio, verum vt omnia rite & decenter peragantur, ex placito Catholicorum Regum, & Supremi rerum Indicarum Senatus.

Quia verò creſcente indies negotiorum mole, fieri non potuit, vt ea, qua debebant, celeritate illa ipſa conficerentur, erectum eſt à Philippo tertio domino noſtro Concilium quoddam priuatum, quod de muniis omnibus Eccleſiaſticis, necnon ſecularibus beneficiis diſponit: Adhæc fundata ſunt Collegia duo in quibus certis diebus de belli negotiis deliberant Præſes, & tres rerum Indicarum Conſiliarii, additis duobus aut tribus rerum bellicarum Senatoribus; aliis vero diebus de reditibus regis deliberant, Præſes & Indiarum conſiliarii, & duo ex Senatu regiorum redituum delecti, fiſcalis, & ſecretarius Curiæ Indicæ. *De Concilio priuato.*

Cum autem Catholicis regibus nihil æque curæ ſit, quam huius Noui orbis felicitas & proſperitas, certoque ſtatuant non poſſe felicius Euangelicæ doctrinæ ſemina propagari, quam ſub ductu & auſpiciis ſuis; adhæc quo magis tuta ſit ſubditorum & incolarum noui orbis, necnon eorum, qui ipſum aperuerunt, & coloniis auxerunt, ſalus & fortunæ: declarauerunt iidem reges, litteris ſuis Regiis datis Anno 1520. *Valladoliti*, & Anno 1523. *Pamplonæ*, neque ſe, neque hæredes ſuos vnquam paſſuros eſſe, vt Noui orbis prouinciæ, aut inſulæ, à regno *Caſtellæ* & *Legionis* ſeparentur ac diuellantur. Atque hoc ipſum interpoſitis regiæ fidei promiſſis ac verbis ſancte confirmauerunt.

CATALOGVS

Præſidum, Conſiliariorum, Secretariorum, & Fiſcalium Supremi Indiarum Concilii, quotquot in hunc vſque diem rebus Indicis præfecti fuere ex quo primum Nouus orbis detectus fuit.

PRÆSIDES.

IOhannes *Rodrigues de Fonſeca*, frater Domini *de Coca*, & *Alaejos*, Archiepiſcopus *de Roſſano*, Epiſcopus de *Burgos*, decanus Hiſpalenſis, ea curabat, quæ ad expediendas Claſſes Indicas neceſſaria erant, donec à *Ferdinando quinto* in Curiæ præſidem eſt electus & negotiis Indicis præfectus, quo munere functus fuit ad tempora vſque *Caroli Quinti*, qui Doctorem *Mercurinum Gatinaram*, magnum ſuum Cancellarium, omnium ſuorum Conciliorum Superintendentem eſſe voluit, eiuſque ductu & conſilio omnia geri, quam ob cauſam in omnibus Conciliis comparendi jus poteſtatemque habebat.

Presbyter *Garcia de Loayſa* Generalis ordinis S. Dominici, Cæſaris confeſſarius, Epiſcopus Oſmenſis, Archiepiſcopus Hiſpalenſis & Cardinalis.

D. Garcia Manrique, Comes *de Oſſorno*, qui Hiſpali eò miſſus fuit, & præſidem egit, donec reuerſus fuiſſet Roma Cardinalis.

D. Lodouicus Hurtado de Mendoza, Marchio *de Mondejar*, qui poſtmodum ad regii præſidis & Senatoris in ſupremo Ca-

ſtellæ Concilio dignitatem euectus fuit.

Licentiatus *D. Franciſcus Tello de Sandoval*, qui antea pars Senatus Indici, poſtmodum præſes in regia Granatenſi Cancellaria fuit, & poſtea quoque in Concilio Indico præſedit.

Licentiatus *D. Johannes Sarmiento*, pars quoque Senatus Indiarum, & poſtea præſes Cancellariꝫ Granatenſis, pręſes quoque in Supremo Indiæ Concilio creatus fuit.

Lodouicus Quixada Dominus *de Villagarcia*, rebus caſtrenſibus ſiue belli præfectus.

Licentiatus *Iohannes de Obando* pars Supremi Senatus & Sanctæ Inquiſitionis in Concilio Indiæ & redituum regiorum Pręſidem egit.

Licentiatus *D. Antonius de Padilla* pars Supremi Caſtellanorum Concilii, & mox Senatus Ordinum, præſidis poſtea munus in Suprema Indiarum curia obiit.

Licentiatus *Ferdinandus de Vega* & *Fonſeca* pars S. Inquiſitionis, & mox Senator in Concilio redituum regis, præſidis quoque in Indiæ Senatu prouinciam ſuſtinuit.

Licentiatus *D. Petrus Moya de Contreras*, primus fuit Inquiſitor in vrbe Mexicana, & Archiepiſcopus eiuſdem ciuitatis, poſtea præſes Concilij Supremi rerum Indicarum.

Licentiatus *Paulus de Laguna* pars regii & Supremi Caſtellanorum Concilii, nec non S. Inquiſitionis, adhæc præſes in Senatu redituum regiorum; præſes quoque Indici Concilii deſignatus fuit. Hoc tempore erigi cœpta eſt Curia regia, quam *de la Camara* vocant.

CONSILIARII.

F*Erdinandus de Vega*, Dominus *de Graial*, magnus *Legionis Commendator*, & pręſes Concilii Ordinum.

Licentiatus *Lodouicus Zapata*.

Licentiatus *Moxica*.

Doctor *Santjago*.

Doctor *Palacios Rubios*.

Doctor *Gonzalvus Maldonatus* Epiſcopus ciuitatis *Rodrigo*.

M. *Lodouicus Vaca*, Epiſcopus *Canariæ*.

Doctor *Aguirre*.

Doctor *Mota*, Epiſcopus *de Badaioz*.

Doctor *Soſa*.

Doctor *Petrus Martir de Angleria*, abbas *Iamaycæ*.

M. *de Laſſao*, Cæſari à conſiliis, & Senator regni Hiſpaniarum.

Licentiatus *Garcia de Padilla*, Eques de *Calatraua*.

Doctor *Beltran*.

Doctor *Galindez de Caruaial*.

Doctor *Bernal*.

Licentiatus *Petrus Manuel*.

Licentiatus *Rodrigo de la Corte*.

Licentiatus *Montoya*.

Licentiatus *Mercado*.

Licentiatus *Iohannes de Yſunga*.

Licentiatus *Xuarez de Caruaial*.

Licentiatus *Aluaro de Loayſa*.

Licentiatus *Gutiere Velazquez*.

Licentiatus *Gregorius Lopez*.

Licentiatus *Franciſcus Tello de Sandoual*.

Licentiatus *Iohannes Salmeron*.

Doctor *Hernan Perez de la Fuente*.

Doctor *Garcilopez de Ribadeneyra*.

Licentiatus *Biruieſca*.

Licentiatus *Gutierne Lopez*.

Licentiatus *D. Iohannes Sarmiento*.

D. Iohannes Vazquez Arze.

Licentiatus *Villagomez*.

Licentiatus *Martinus Ruys Agreda*.

Licentiatus *Lope Garcia de Caſtro*.

Licentiatus *Xaraua*.

Licentiatus *Valdereama*.

Licentiatus *D. Gomez Zapata*.

Doctor *Franciſcus Hernandez de Liebama*.

Licentiatus *Munioz*.

Doctor *Lodouicus de Molina*.

Licentiatus *Antonius de Aquilera*.

Licentiatus *D. Ferdinandus de Salas*.

Licentiatus *Iohannes Thomas*.

Doctor *Villaſanie*.

Licentiatus *Botellus Maldonatus*.

Licen-

Licentiatus *Otalora.*
Licentiatus *Diego Gaſca de Salazar.*
Licentiatus *Gamboa.*
Doctor *Gomez de Santillana.*
Licentiatus *Eſpadero.*
Licentiatus *D.Diego de Zuniga.*
Licentiatus *Lopez de Sarria.*
Licentiatus *Enao.*
Doctor *Lope de Bayllo.*
Licentiatus *Gedeon de Ynojoſa*, Eques *de Santjago.*
Licentiatus *Villafanie.*
Doctor *Antonius Gonzaluus.*
Licentiatus *Franciſcus Baltazar.*
Licentiatus *Medina de Sarauz.*
Licentiatus *D.Lodouicus de Mercado.*
Doctor *Petrus Guterrez Flores.*
Licentiatus *Petrus Diaz de Tudanca.*
Licentiatus *Benito Rodriguez Valtodano.*
Licentiatus *Auguſtinus Aluarez de Toleto* & *de la Camara.*
Doctor *D.Rodrigo Zapata.*
Licentiatus *Petrus Brauo de Sotomayor.*
Licentiatus *Molina de Medrano*, Eques *de Santiago*, & *de la Camara.*
Licentiatus *Diego de Armenteros.*
Licentiatus *Alphonſus Perez de Salazar.*
Licentiatus *Conzalo de Aponte & de la Camara.*
Licentiatus *D.Iohannes de Ocan*, Eques *de Calatraua.*
Licentiatus *Ferdinandus de Saauedra.*
Licentiatus *D.Tomas Ximenez Ortiz.*
Licentiatus *Eugenius de Zalazar.*
Licentiatus *D. Franciſcus Ariaz Maldonatus.*
Licentiatus *Andreas de Ayala.*
Licentiatus *Benauente de Benauides.*
Licentiatus *Roque de Villagutiene Chumazero.*

SECRETARII.

Iohannes Coloma.
Michael Perez de Almazan.
Gaſpar de Gricio.
Commendator *Lope de Conchillos.*
Franciſcus de los Cobos, magnus *Legionis* Commendator.
Iohannes de Samano.
Commendator *Franciſcus de Eraſo.*
Antonias de Eraſo.
Commendator *Iohannes de Ybarra.*

FISCO PRÆFECTI.

Licentiatus *Franciſcus de Vergaz.*
Licentiatus *Prado.*
Licentiatus *Martinus Ruyz Agreda.*
D.Franciſcus Hernandez de Liebana.
Licentiatus *Geronymus de Vlloa.*
Licentiatus *Gamboa.*
Licentiatus *Lopez de Sarria.*
Licentiatus *Scipio Antolinez.*
Licentiatus *Negron.*
Doctor *Valenzuela.*
Doctor *Marcus Caro.*
Licentiatus *Benito Rodriguez Valtodanus.*
Licentiatus *Alphonſus Penez de Salazar.*
Licentiatus *Roque de Villagutieme Chumazero.*

Gubernatores & Pro-reges, qui in hunc vſque diem Nouæ Hiſpaniæ & Peruuiæ imperium tenuerunt.

IN NOVA HISPANIA.

D. *Ferdinandus Cortezius*, Marchio *del Valle*, Gubernator, ſupremus Iudex, & Capitaneus Generalis.

Licentiatus *Ludouicus Ponce*, è familia Ducis *Darcos* oriundus, iudex reſidentiæ, & deſignatus Gubernator, cui ſurrogatus eſt Vicarius.

Licentiatus *Marcus de Aguilar*, natus in oppido *Ezya*, qui cum poſt bimeſtre è viuis exceſſiſſet, ſuffectus ei eſt theſaurarius *Alphonſus de Eſtrada* natus in *Ciudad Real*, donec viſum fuit Curię Supremæ, vt eius imperium capeſſeret *Nunius Guzmannus*, Eques *de Guadalajara*, Gubernator in *Panuco*,

nuco, donec Præſes illi præfectus eſſet. Verum cum minus hic gratus eſſet, præſes imperii Nouæ Hiſpaniæ creatus fuit *D. Sebaſtianus Ramirez de Fuenleal*, Epiſcopus de *S. Domingo*, & *de la Conception*, Præſes Cameræ de *S. Domingo*, vir ſingularis prudentiæ, qui poſtmodum honorum ſatur in Caſtella obiit, Epiſcopus de *Cuenca*: atque huic ſucceſſit Marchio *Ferdinandus Cortezius*, Capitaneus Generalis.

Primus qui titulo Pro-Regis aut Capitanei generalis Nouæ Hiſpaniæ imperium tenuit, fuit *D. Antonius de Mendoza*, frater Marchionis *de Mondeiar.*

D. Lodouicus de Velaſco, Eques è familia Coneſtablii Caſtellæ oriundus.

D. Gaſton de Peralta, Marchio *de Falces.*

D. Martinus Henrici de Almanſa, frater Marchionis *de Alcanizes*, aulæ regiæ architriclinus.

D. Laurentius Xuarez de Mendoza, Comes *de Corunia*, cum iam deſignatus eſſet Peruuiæ gubernator, obiit, imperium interea temporis tenente *Petro Moya de Contreras* Archiepiſcopo Mexicano.

D. Aluarus Manrique de Zuniga Marchio *de Villa manrique* frater Ducis *de Bejar.*

D. Lodouicus de Velaſco filius ſupradicti *Lodouici de Velaſco* in Peruuiam ad capeſſendum imperium profectus eſt, ibidemque commoratur.

D. Gaſpar de Zuniga & Fonſeca Comes de *Monterrey* hodie imperat.

In Regnis Peruviæ.

D. *Franciſcus Pizardus* Marchio *de los Charcas*, gubernator, Iudex ſupremus, & Capitaneus generalis.

Licentiatus *Vaca de Caſtro* Eques de *Santo Iago*, Senator Supremi Hiſpaniarum Concilij, titulo Capitanei generalis inſignitus fuit.

Blaſco Nuniez Vela, Eques *de Auila*, primus titulo Vice-regis & Capitanei Generalis regnorum Peruuiæ, imperauit.

Licentiatus *Diebo de la Gaſca*, pars Concilii Inquiſitorum titulum Præſidis nouæ Curiæ adeptus eſt, quæ in ciuitate *de los Reyes* conſtituta fuit, & inſuper Gubernatoris generalis inſtructus poteſtate, conferendi nempe rerũ bellicarũ adminiſtrationem in quem vellet. Etenim fatis concedebat Epiſcopus *de Siguenca*, eiuſq; monumẽtum & trophæa in vrbe Madalena de Valladolid conſpiciuntur, manſitque imperium penes Cameram *de los Reyes.*

Secundus titulo Pro-regis & Capitanei generalis regna Peruana rexit *D. Antonius de Mendoza.*

D. Andreas Hurtadus de Mendoza Marchio *de Canjete.*

De Diego de Zuniga & Velaſco, Comes *de Nieua.*

Licentiatus *Lope Garcia de Caſtro*, Senator in Supremo regio Indiarum Concilio, titulum Præſidis & Gubernatoris generalis adeptus eſt.

D. Franciſcus de Toleto, frater Comitis *de Oropeſa*, regis architriclinus.

D. Martinus Enriquez, nouæ Hiſpaniæ imperio defunctus, regnis Peruuiæ præfectus fuit.

D. Garcia de Mendoza Marchio *de Caniete.*

D. Lodouicus de Velaſco, à nouæ Hiſpaniæ imperio ad capeſſendum Peruuiæ imperium profectus eſt, & certis de cauſis eo mittere decretum titulo Vice-regis & Capitanei generalis *D. Iohannem Pachero ducem de Eſcalana.*

FINIS.

NARRAT.

NARRATIO

Nauigationis inſtitutæ mandato & auſpiciis Regis Hiſpaniarum Anno M. D. C. XIIX. *menſe Octobri, idque à duabus* Carauallis, *quæ ſoluentes portu Lisbonenſi verſus Auſtrales mundi partes ad luſtrandum Fretum* Le Maire *profectæ ſunt, ductu* D. Iuan de More *Capitanei, & confectis iis, quæ à Rege in mandatis habebant, Hiſpalin reuerſæ ſunt menſe Auguſto Anno* M. D. C. XIX.

POſtquam ad Regem Hiſpaniarum perlatum eſſet de Freto quodam à *Iacobo le Maire* detecto, & rem ita ſe habere fide dignis authoribus accepiſſet, duas Lisbonę *Carauallas* adornari curauit, inſtructas viri 60. commeatu, qui in biennium ſufficeret, omnique apparatu bellico, quas ad explorandum Freti hujus ſiue noui in mare Pacificum tranſitus ſitum, miſit, poſtquam gubernatores & naucleros Hollandos, inter quos fuit quidam *Iohannes de VVitte* Amſtelodamenſis, ſibi comparauiſſet. Soluebant hæ naues menſe Octobri Anno 1618. è portu Lisbonenſi ſub ductu & imperio, Capitanei *Iohannis de More*, cui hoc ſpecialiter mandatum, vt diligenter attenderet, num qua ratione aditus ac tranſitus hujus Freti exſtructis in littore vtroque munimentis intercludi aliis poſſet. Poſtquam verò maris Septentrionalis latitudinem emenſæ eſſent, feliciter in fluuium *de Genero* ad *Braſilia* oram appulerunt, vbi refectis victu corporibus, & de aqua recentiore aliiſque ad vitæ præſidium neceſſariis ſufficienter inſtructæ verſus Fretum ſupradictum contenderunt; verum nonnihil à Freto Magellanico verſus Orientem protruſæ in ſinum delatæ ſunt, cui *S. Georgij* nomen indiderunt. Terram conſcendentes homines proceræ ſtaturæ viderunt, qui toto capite ſuper noſtrates eminebant, à quibus humaniter & benigne excepti ſunt. Capitaneus *Don Iuan de More*, merces cum Indis commutare cœpit, & pro ferramentis aliquot auri maſſam ſeſqui pede maiorem recepit. Quantum autem eius eſſet pondus, & num ex his terris petitum, an aliunde inuectum eſſet, reſcire non poterant ductores Bataui, cum ſolus commercia cum ipſis iniret Capitaneus, nec ad hæc arcana alii admitterentur. Hinc diſcedentes in conſpectu ſemper telluris nauigarunt, vſque dum ipſum Fretum *le Maire* tenerent, cuius ſitum talem deprehenderunt, qualem in Tabulis geographicis de hac nauigatione conceptis & editis videre eſt: Hoc ſolum diſcrimine, quod non eam illi eſſe latitudinem, quæ in tabulis annotatur, affirmarent. De longitudine Freti, nempe eam ſeptem eſſe miliarium, idem atteſtabantur. Quanquam verò in ipſis jam Freti faucibus poſitus eſſet Capitaneus *Iuan de More*, illudque nullo negocio tranſire poſſet, tamen prænauigato eius oſtio littus legit ad leucas 30. inſtituto verſus Orientem & Apelioten νοληκώτερον curſu, vt num alius hic daretur tranſitus in mare Auſtrale cognoſceret, ſed dum littora continua eſſe videret, continentem hanc Auſtralem eſſe iudicauit, quæ longo tractu verſus Caput *Bonæ Spei* & vlterius exſpaciatur. Mox Fretum repetentes *Carauallæ* minus diei ſpatio tranſiuerunt, iamque in mari Auſtrali poſitæ terram quoque ad Orientalem freti partem quam in ſuis tabulis Hollandi

Hollandi Ordinum terram, *Staten lant* vocant, ad leucas triginta proſequutæ ſunt, quam ampliorem hic, quam prope fretum eſſe obſeruauerunt, nec vllibi perviam, ſed rupibus, præcipitiis, & locis montanis præruptam & aſperam, qualis *Norvvegiæ* eſſe ſolet adſpectus. Hæc poſt, iterum reperito Freto illud præteruectæ ſunt, poſtquam jam terram quoque prope Freti angulum repperiſſent, hominibus frequentem. Magnam quoque balenarum vim ab vtraque freti parte deprehenderunt, & ſic curſum juxta littora eius terræ, quam *Mauritij* nomine appellauimus, verſus Fretum Magellanicum inſtituerunt, detectis etiam & obſeruatis inſulis, quas de *Barnevveltij* nomine nuncupauimus, necnon promontorio *de Hoorn*, in eadem quę in Batauorum tabulis annotatur altitudine poſito, quo loco nulla vicinior Auſtro hactenus detecta fuit tellus.

Ab hoc loco ſeruatis ſemper in conſpectu littoribus vlterius prouectæ oram omnem luſtrauerunt, num alicubi peruia ea eſſet & tranſitum daret, ſed excepto freto *Magellanico* aliud non inuenerunt, licet alium adhuc dari tranſitum à promontorio *Prouvvaert* in mare Auſtrale affirment Angli quidam & præfectus *Spilbergius*, licet exiguis imo nullis nixi rationibus. neque enim vel noſtri vel Hiſpani hunc obſeruare potuerunt. Vt certo certius ſit vniuerſam terram, quæ Freto *Magellanico* ad Auſtrum coextenditur continuam eſſe inſulam, quam noſtri *Mauritij* inſulam vocauerunt. Eædem *Carauallæ* in mari Auſtrali poſitæ, littora *Chiles* luſtrare cogitabant, ſed defectu commeatus, ab inſtituto itinere prohibitæ ſunt. Dederat quidem in mandatis Rex, vt de commeatu in biennium ipſis proſpiceretur, verum eorum quibus hæc res demandata erat improbitate accidit, vt vix ad decem menſes ſufficere poſſet commeatus, quare hac neceſſitate compulſi ſecundo vento per Fretum Magellanicum in mare Septentrionale delatæ ſunt, poſtquam in eodem Freto loca quædam iuſſu Regis, & inter alia locum, in quo *Philippi* ciuitas exſtructa fuit, luſtraſſent. Adhæc in eodem Freto arbores reperiuerunt, quarum corticibus fragrantiſſimi odoris, vis, qualis piperi, imo acrior multo inerat. Ex his aliquos ſecum *Hiſpalim* advexerunt, & libras ſingulas 16. regalibus vendiderunt. Sic incolumes confecto hoc itinere in Hiſpaniam reuerſæ *Hiſpalin* appulerunt *Carauallæ*. Speciatim enim hoc in mandatis habebant, ne in *Portugalliam* appellerent, licet affirmaret Capitaneus *D. Iuan de More*, ſe non obſtante mandato hoc in Portugalliam reuerſurum fuiſſe, ſi quidem tunc cum appelleret, Regem *Lisbonæ* morari ante ſciuiſſet. Cum vrbi appropinquarent, quod feſto *S. Laurentij*, domus Burgundicæ patrono accidit, tormentorum exploſione gaudium ſuum teſtatæ ſunt. Capitaneus vero *Lisbonæ* Regi totius itineris rationem, & quæ de Freto ſupradicto explorata habebat, expoſuit. Quare Rex ex conſilio *Domus Contractuum* ilicet octo naues Hiſpali adornari iuſſit, quæ militem, ſocios nauales, tormenta bellica, rudentes aliaque nautica vtenſilia in *Philippinas* inſulas per hoc Fretum veherent, idque in vſum nauium, quæ in inſulis *Manillas* exſtruuntur. Soluendumque erat iis ipſis nauibus circa Nouembrem Anno 1619. ſine vlla vlteriore mora.

Quin & decretum in Hiſpania, vt hac via vtpote faciliore & compendioſiore, nec tot periculis expoſito, quotannis auxilia mitterentur ad *Philippinarum* & *Mollucarum* inſularum defenſionem. Etenim nauarchi Batauí, & inter hos *Petrus* quidam *Michaelis de Cardoelen*, qui vna cum hac octo nauium claſſe gubernatoris titulo inſignitus in *Philippinas* inſulas profecturus eſt, Regi affirmauerunt ſe (niſi humanitus quid accidat) octo aut nouem menſium ſpatio iter in *Philippinas* & *Moluccas* inſulas confecturos, faventibus nempe in mari Pacifico & ventis & vndis, vt duorum menſium ſpatio ex eodem mari in inſulas ſupradictas peruenire poſſe firmiter ſtatuant, cum neceſſum non ſit,

hic,

hic, vti alibi, certa anni tempora & nauigandi tempeſtiuitates, *Mouſſonnens* vocant, obſeruare. Res profecto hæc eſt commodiſſima humano generi, tam breui tempore integra corporum valetudine ex Europa in *Philippinas* & *Moluccas* nauigari poſſe, cum Caput *Bonæ Spei* præternauigantibus, obſeruandæ ſint ventorum anniuerſariæ opportunitates, nec niſi 14. 15. aut 16. & pluribus ſubinde menſibus hoc iter conficiatur; & præter maris tempeſtates conjunctam quoque habeat hæc nauigatio tot morborum neceſſitatem, vt ſubinde tertiam, ſubinde mediam & amplius, vectorum partem in itinere mori contingat, priuſquam ad deſtinata loca pertingant. Illud conſtat, *Gerardum Reynſt* in hoc iter conſumſiſſe menſes 16. priuſquam *Bantam* appuliſſet, à quo loco tam immani adhuc interuallo diſtant *Moluccæ*, præterea ſociorum ſuorum plus quam quartam partem in itinere deſideraſſe, *Adrianus* quoque *VVouteri* quatuor nauium claſſe Indiam Orientalem petens, nouendecim menſium decurſu *Bantam* peruenit, in quo itinere nauis *Vliſſinga* 163. viros deſiderauit, cum non niſi ducentos ex *Hollandia* ſoluens accepiſſet, & qui ſuperſtites manſerant, ægrum & confectum adeò morbis corpus traherent, vt nauticis officiis vix ſufficerent. Naues quoque dictæ *Vrſa candida* & *Nigra* poſt octodecim menſium jactationem demum in Bantam appulerunt, tertia ac quarta parte ſuorum deſideratis. His adde naues alias *Aquilam* è *Zelandia*, *Concordiam* Amſtelodamo, *Arborem aurantiorum* Horna miſſam, quæ duodecim, tredecim & amplius menſibus in via hæſere. Vnde facile eſt colligere, difficiliorem eſſe nauigationem, quæ in *Moluccas* & *Ambonam* juxta *Bonæ Spei* promontorium inſtituitur, quam quæ per nouum hoc Fretum ſuſcipitur; cum hac via ex his terris quinque menſium ſpatio in *Peru* & *Chilem* peruenire detur, octo autem menſibus in *Moluccas*, ſine vlla inſigni nauigantium clade. Exemplo eſſe poteſt nauis *Concordia*, quæ hac via in *Moluccas* nullo ſuorum ſociorum deſiderato ſalua ſoſpeſque peruenit. Nequaquam verò tam expedita eſt prior nauigatio, vtpote quæ præter anni tempeſtiuitates, quas obſeruare neceſſe habet, etiam in *Bantam* tribus, quatuor, & quinque menſibus naues remoratur, priuſquam iter ſuum promouere poſſint, vt de tempore nihil dicam, quo opus eſt, vt hinc in *Moluccas* aliaque Indię orientalis loca perueniant.

BREVIS NARRATIO

Omnium, quæ per

FRETVM MAGELLANICVM

inſtitutæ ſunt, Nauigationum.

De Ferdinandi Magellani Nauigatione.

Claſſis hæc, *Ferdinando Magellano* præfecto, ſero admodum, decimo nempe menſis Augusti die Anno M.D.XIX. *Hiſpali* ſoluit, & cum in *Teneriſam* appuliſſet, poſt aliquot dierum moram, tertio Octobris die hinc diſceſſit, poſtque dies quindecim littora *Guineæ* & promontorium *Blanco* tenuit, quo loci per viginti dies eam ventus deſtituit, & integro inſuper mẽſe cõtrarius detinuit, tandemq; poſt multas maris moleſtias 13. Dec. in Portum ſiuę fluuium *Genero*, qui in *Braſilia* eſt peruenit. Hic refectis aliquandiu corpo-

ribus,& nouo commeatu,qualis hic loci haberi poterat,inſtructus lecto *Americæ* littore vlterius contendit. Septimo vero Ianuarii die Anno 1520. ad altitudinem 24. graduum prouecta, in fluuium *de la Plata* venit, vbi aquationi aliquot dies impendit. Sexto Februarii in itinere perrexit,& 5. diebus vnicam ſolummodo leucam,confecit,noctu 5. aut 6. à littore leucis recedens , inſignem ſinum offendit *S. Matthæi* dictum , quem occupare conata eſt, vt,num peruius eſſet,exploraret. Sed cum hic propter maris abyſſum anchora figi non poſſet,ad alium Sinum *de los Patos* properauit , quo loci exiguam repperit inſulam Pinguinis auibus abundantem. Mox in ſinum *de los Trabaios* , ad latus Boreale portus *S. Iuan* delata,commodum hic hybernandi locum eſſe iudicabat. Etenim ab Aprili hic initium ſumit hyems. Hinc diſcedentes feſto *Palmarum* in portum *S. Iuliani* in altitudine grad. 49½. poſitum peruenit,vbi hybernare tutiſſimum putauit. Ex hoc loco vlterius miſſus fuit Nauarchus,vt fretum aliquod detegeret,qui inſignem fluuium *S. Cruz de Mayo* repperit,magnamque in mari balænarum vidit frequentiam, ſed tandem ventis littori illiſa nauis periit. Reliqui exactis iam menſibus hibernis Aprili,Maio,Iunio,Iulio, Auguſto,è portu *S. Iuliani* 24. Auguſti diſceſſere, & in fluuium *S. Gruz* appulerunt , vbi refectionis ergo duos menſes ſubſtitere Septembris & Octobris , & vltimo Octobris diſcedentes lecto ſemper littore ad promontorium *de las Virginas* perducti ſunt. At 6. Nouembris fretum ipſum occupauit,& 27. Nouembris poſtquam in eo dies 20. iactatus eſſet in mare Auſtrale peruenit,& ad 18. vſque Decembris verſus Septentrionem curſum tenuit,donec ad altitu. grad. 32½. prouectus eſſet, vnde curſum verſus Thraſciozephyrum ad Æquinoctialem vſque lineam inſtituit. 24. autem Decembris in altitudine 26. grad. poſitus erat ad latus Æquatoris Auſtrale, poſtquam iam nullam 30. dierum ſpatio tellurem, nullos mortales conſpexiſſet. Tandem duas inſulas minores detexit, ſed incultas & ab incolis deſtitutas, quas *Deſventuradas* vocauit. Refert *Guido* eum trium menſium & viginti dierum ſpatio extra omnium littorum conſpectum nauigaſſe. Anno 1555. menſis Septembris die ſexto in *Seuillam* ſiue *Hiſpalim* appulit nauis *Victoria*, poſtquam triennio & diebus inſuper viginti in mari oberraſſet.

De Nauigatione Claſſis ſiue nauium Epiſcopi Placentiæ *D.* Gutieres Caruaial.

SEcundam, quæ *Fretum Magellanicum* tranſiit claſſem inſtrui iuſſit *Placentiæ* Epiſcopus, conſtabat nauibus quatuor , quæ ex Hiſpania ſoluentes & *Moluccas* petituræ per *Fretum Magellanicum* iter parabant, in quod poſtquam obſecundantibus ventis delati eſſent,& iam ad viginti miliatia prouectæ eſſent, tanta ex aduerſo incubuit tempeſtas, flante ab Occidente Æolo, vt tres in littora impactæ naufragio perierint, quarta vero procellarum vi retroacta in apertum mare Septentrionale repulſa fuerit. Quæ tamen ipſa poſtea ſedata tẽpeſtate in fretum reuerſa eſt, ſocios quæſitura, quos magno numero in littore palantes ac oberrantes conſpexit. Inclamabant hi alta voce & miſeriæ ſuæ ſolatium ab aliis qui in mari erant implorabant. Verum Capitaneus apud animum ſuum reuocans, nec nauem ſuam tot mortales capere poſſe, nec de commeatu , qui tot alendis ſufficeret, ſibi proſpectum eſſe, minime cõſultum iudicauit in terram exſcendere, ſed iter ſuum proſequutus Fretum ſuperauit. In mari Auſtrali poſitus & à ſociis omnibus deſtitutus minime conſultum iudicauit, tam exigua hominum manu vlterius verſus *Moluccas* iter proſequi. Quare mutato conſilio verſus littora *Peru* & *Limam* contendit, ad quam cum appuliſſet, in rei memoriam retracta in terram fuit nauis , quæ etiamnum ſpecta-

ſpectatur, erecto eiuſdem nauis malo ante ipſius Palatii fores.

De reliquis, qui ex trium nauium naufragio ſeruati fuerant, erant autem 250. quorum Capitaneus *Quiros* dictus erat, in huncuſque diem nihil fando accepimus. Exacti autem jam ſunt anni circiter quadraginta, ex quo hæc accidiſſe commemorantur.

De tertia Nauigatione per Fretum Magellanicum inſtituta ſoluentibus è Chili *nauibus.*

TErtia per *Fretum Magellanicum* nauigatio non traiecto mari Atlantico, vti priores, ſed iuxta littora maris *del Zur* inſtituta fuit, iuſſu & mandato *M. Garciæ de Mendoza*, imperii *Chili* Gubernatoris, qui duas eo ſub ductu Capitanei *Ladrilleri* naues miſit. Hic ergo fretum à parte Occidentali & è mari Pacifico ingreſſus, anguſtias eius quoq; emenſus eſt, verum cum ad fauces freti mari Septentrionali obiectas perueniſſet, in apertum Oceanum ſe dare auſus non fuit, cum turbatum hic & procelloſum mare experiretur (erat enim iam hic loci hyems) ideoque eadem via remeans in *Chilen* reuerſus eſt.

De quarta Nauigatione D. Frey Garciæ, *&* Iofre de Loayſa *qui Anno* M. D. XXV. *ſex nauium claſſe*, Caroli quinti *Imperatoris auſpiciis ac mandato fretum hoc tranſiuerunt.*

MEnſe Iulio è portu *S. Lucar* ſoluentes, ea quæ ad refectionem erant neceſſaria in inſula *S. Matthæi* ſibi comparauerunt. Atq; hinc diſcedentes tertio Nouembris, *Braſiliam* quarto Decembris in altitudine 20. graduum conſpexerunt. Crebræ ipſos à 14. Ianuarii die, ad 18. vſque exercuerunt tempeſtates. In ipſo freti aditu prope promontorium *de las Virginas* nauis iacturam fecere, moxque 18. Fretum ipſum conſcenderunt, è quo aduerſantis Æoli violentia repulſi aliquamdiu in fluuio *S. Alphonſi*, & fluuio ac portu *S. Cruz* oberrauerunt. Octauo Aprilis denuo Fretum occuparunt, ac primo Iunii illud emenſi mare *Pacificum* tenebant, repertis ac obſeruatis quamplurimis in vtroque freti oſtio inſulis minoribus in altitudine grad. 48. Diebus 52. illud tranſiuerunt, amiſſa *Patacha*. Quinto, poſtquam fretum ſuperauiſſent, die oborta tempeſtas diſiecit claſſem, & amiſſo ex oculis Capitaneo, nunquam de eo quicquam audiuere. Verum iter ſuum proſequuti verſus *Moluccas in Mindanao* inſulam appulerunt. Magnam balenarum frequentiam circa oſtia freti in ipſo littore conſpiciebant, quas eo procellarum & tempeſtatum violentia propulerat. Quin & in fluuio *de S. Cruz* Iaſpides varii generis lapideſque hæmorragiam ſiſtentes, aliaque rariora, inuenerunt, vti & ligna odorifera, magnamque cinnamomi virentis copiam. Referebant iidem ab vtraque freti parte terras habitari.

De Nauigatione Franciſci Draci *verſus Fretum Magellanicum.*

ANno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeundo, menſis Nouembris die decima quinta è portu *Plemmuydæ* ſoluebat, in quem aduerſis ventis repulſus, denuo decima tertia Decembris quinque nauium claſſe mare conſcendit. Vigeſimo

quinto eiuſdem menſis promontorium *Cantjen* in littore *Barbariæ* poſitum tenuit, 26. ad inſulam *Mogador* appulit, in quam poſtquam *Pynaſſe* expoſuiſſet, 30. Decembris vela fecit, 17. Ianuarii Anno 1578. ad promontorium *Blanco* peruenit, & poſt aliquot dierum moram hinc diſcedens, 27. Inſulam *de Majo* ſuperauit & 29. in *S. Iago* delatus, quam illic offendit nauem cuiuſdam *Mino de Sylua* ſecum abduxit. Mox ad inſulam *Braua* contendit, & poſtquam ſibi de aqua recentiore proſpexiſſet, curſum verſus *Braſiliam* inſtituit, à ventis per tres hebdomadas prope Æquatorem deſtitutus. Calendis Aprilis viſa ipſi *Braſiliæ* littora in altitudine grad. 33. verum nulla facta exſcenſione recta fluuium *de la Plata* petiit, quem conſcendit, ad altitudinem orgujarum 53. & 54. Atque hic poſt aquationis curam in altum vectus ad gradus vſque triginta nouem peruenit, ibidemque non longe à ſcopulis ante Sinum poſitis, anchoram fixit. naui hic vna aut altera exuſta iter ſuum, cum reliquis quatuor nauibus proſequutus, 20. in Sinum *de las Islas* ſiue portum *S. Iuliani* in altitudine 49. graduum ſitum delatus; 27. dies ibidem ſubſtitit, refectis recreatiſq; nonnihil corporibus. Decimoſeptimo, lecto littore nauigauit, ſeſquimiliaris ſolummodo à tellure interuallo, maris profunditatem deprehendens ad orguias 20. & 25. poſtque quatriduum ad oſtium *Freti Magellanici* peruenit, vbi aduerſantibus ventis aliquandiu ab aditu prohibitus, tandem flante *Cæcia* 21. Auguſti Fretum ingreſſus eſt, & 24. inſulam, quam *Robben* vocant, in Freto poſitam ſuperauit, nec vllo ventorum aut tempeſtatum incommodo retardatus, feliciſſimè Fretum emenſus 6. Septembris in mare Auſtrale peruenit, vbi ingruente procellarum vi à ſe inuicem diuulſæ naues, mox iterum collectæ curſum verſus Traſcio zephyrum & Septentrionem inſtituerunt, ſubinde in intercurrentes inſulas facta exſcenſione. Ac ſic iuxta littus nauigantes in *Chili* propè *S. Iago* delatæ ſunt. 17. Februarii antè ciuitatem *Aquapulco* in Noua Hiſpania in anchoris ſteterunt. Hinc ſoluentes ad gradus 43. prouectæ frigidiſſimum experti ſunt aerem, mox ad grad. 38. in Sinum commodum *Noua Albion* dictum ſe receperunt. Decimotertio Octobris ad Inſulas peruentum, poſitas in altitudine graduum octo ad latus Æquatoris Septentrionale.

Decimoquarto *Moluccas* inſulas tenuerunt, & in Angliam reduces tertio Nouembris Anno 1580. appulerunt, confecto biennii & 10. menſium ſpacio itinere. Hoc notandum, ſeptem menſibus, & diebus quatuor ex Anglia ad Fretum vſque Magellanicum nauigaſſe *Franciſcum Dracum*, & fretum 16. diebus ſuperaſſe.

Quæ verò nauis *M. Iohn VVinter* vehebat, poſtquam vna cum reliqua claſſe Fretum tranſiuiſſet, oborta tempeſtate à ſociis aberrauit, octauo Octobris, & Fretum repetens viginti ſex dierum ſpacio illud emenſa eſt, ac 11. Nouembris denuo in mare Septentrionale delata fuit, & ſecundo Iulii Anno 1579. in *Britanniam* reuerſa, ad 55. gradus plagæ Auſtralis ſe prouectam narrauit, ſed mox à ſociis tempeſtatum violentia abreptam aberraſſe.

Prorex *Peruuiæ* accepto nuncio de aduentu harum nauium, quæ auro & argento ſpoliarent obuia quæque, tres naues bellicas 250. militibus inſtructas miſit, quæ *Dracum* perſequerentur. ſed cum neque prope promontorium *S. Franc*, neque prope *Panamam* eum reperirent, ratæ eum per Fretum domum remeaſſe re infecta in *Peruuiam* reuerſæ ſunt.

De Na-

De Nauigatione Petri Sarmiento, *qui è* Lima *ſoluens Anno 1579. ad luſtrandum Auſtrale Freti Magellanici littus miſſus fuit.*

POſtquam ad aures *Franciſci de Toledo* Vice-regis Peruuiæ perueniſſet, *Franciſcum Dracum* per *Fretum Magellanicum* in mare Auſtrale delatum paſſim circa ejuſdem littora ferro & igni obuia quæque populari, quo huic malo obuiam iret, duas naves inſtrui juſſit, quæ poſtquam è *Callou de Lima* 11. Octob. ſoluiſſent, ipſis Calendis Nouembris terras *Deſauenturadas* prætervectæ ſunt, in altitudine graduum 25½. Prima, quæ in conſpectum ſe dedit tellus, in altitud. grad. 49½. poſita erat, ad quam feliciſſimo curſus minus 30. diebus peruenerunt. Mox in apertum mare curſum direxerunt, ad euitandum ventos Auſtrales. hic multarum inſularum congeriem & velut Archipelagum inuenerunt, iudicabatque *Sarmiento* hic loci Fretum eſſe: ideoque luſtratis littorum ſinubus, diuerticulis, Canalibus, etiam conſcenſis montium jugis, non niſi auulſas à ſe invicem & diuiſas terras viderunt, interq; huius loci ſitum & grad. 50. inſulas tam maiores quam minores 85. numerauerunt. Verum cum Fretum hic nullum offenderent, in altum vecti ſunt, vbi tam vehemens ipſis incubuit tempeſtas, vt huc illuc diſiectæ altera alterius conſpectum effugeret. Poſtero die ſæuiente adhuc Æolo altitudinem polarem graduum eſſe 51½. obſeruauit, in qua altitudine Fretum ad latus Septentrionale poſitum eſt. Plurimas in mari Auſtrali detegebat inſulas, quarum poſſeſſionem Regi ſuo vendicabat, inditis vnicuique nominibus. Alicubi in portu, quem *Vermeio* vocabat, oſtrea repperit, quæ margaritas habebant. Hinc conſcenſo Freto intellexit hac *Dracum* tranſiuiſſe, moxque anguſtias quaſdam in Freto obſeruauit, in quibus exſtructis propugnaculis prohiberi tranſitu poſſent exterorum naues. Etiam cum indigenis & Gigantibus conſilia contulit, vti legere eſt apud *Argenſolam*. Superato Freto verſus *Cabo Verde* contendit, hinc vero in *Hiſpaniam*, vbi maximis muneribus illum decorauit Hiſpaniarum Rex, qui eiuſdem *Petri Sarmiento* rogatu claſſem inſtrui iuſſit, ſub *Diego Flores de Baldez*, ad muniendas propugnaculis Freti huius anguſtias.

Alia nauis, quam tempeſtas abreptam in altum mare protruſerat, poſt aliquot dierum iactationem terras verſus Orientem poſitas vidit, poſita in altitudine graduum 56. Quidam *Hackuyt* refert, hanc nauem ad gradus 58. perueniſſe, plurimaſque detexiſſe in mari Auſtrali inſulas, aliudque Fretum, cuius etiam *Acoſta* meminit, ſed altius Auſtrum verſus poſitum, idque occaſione inſulæ cuiuſdam permagnæ ſitæ ad latus Auſtrale Freti, quam *Gent la Campana* vocant. Hinc lecto littore *Chili*, *Limam* petiit.

Anno 1581. Rex Hiſpanarum hortatu *Petri Sarmiento*, cum nauibus 23. quæ 2000. viros & nouum *Chiles* præfectum, aliaque ad propugnaculorum exſtructionem neceſſaria & milites 500. vehebant, miſit *Don Diego Flores de Baldez* ad muniendum propugnaculis locum, & deducendas hic Hiſpanorum colonias, quibus *Sarmiento* gubernatoris titulo imperaret. Annus & vltra excurrebat, priuſquam in Fretum perueniret, bis terue in fluuio *de Genero* hybernans, & amiſſis naufragio aliquot nauibus. 1581.

De nauigatione Thomæ Candiſch *per Fretum Magellanicum.*

SOluebat *Candiſch* hic *Pleymuyda* 21. Iulii duabus nauibus, quæ 70. ac 30. dolia capiebant, & vni liburnicæ præfectus. Calendis Auguſti *Forte-venturam* conſpexerunt. Nono Auguſti promontorium *Blanco* tenuerunt, 26. in *Sierram Lionam* delati ſunt, vbi dum corpora reficiunt, quindecim dies commorati fuerunt. 10. Septembris ab *Isle verde*, ſiue *Madragumba Braſiliam* petierunt. Primo Nouembris ad promontorium *Frio* in *Braſilia* appulerunt. In inſula *S. Sebaſtiani* dies viginti refectionis cauſa hæſerunt. 23. Nouembris hinc diſcedentes, in portum *Deſire* 17. Decembris delati ſunt. Anno 1587. die Ianuarii tertio ad *Capo de Virgines* peruenerunt. Sexto eiuſdem menſis *Fretum* occuparunt, & in *Porto Famine* apud Hiſpanos integrum menſem manſerunt. Ad 24. vſque Februarii in Freto iactati ſunt tempeſtatibus variis & ventis aduerſis, quo tempore in mare Pacificum peruenerunt. Septem hebdomadibus Fretum tranſiuerunt. Cum in altitudine 49. graduum poſiti eſſent, ecce tempeſtas naues diſiectas ſeparauit, non ſine naufragii periculo, 15. Martii ante inſulam *S. Mariæ* ſteterunt, 4. Nouembris ad *Californiam* appulerunt, altitudine graduum viginti trium ⅓. Anno 1588. decimo quarto Ianuarii in *Philippinas* inſulas peruenerunt. Calendis Martii in portum delati ſunt ad latus Auſtrale *Iauæ Maioris*.

Denique quinto Septembris in Angliam redierunt poſt viginti quinque menſium & quindecim dierum iactationem. Decem menſibus & octodecim diebus à Freto in *Manillas* vſque nauigauerunt: à *Pleymuyda* ad Fretum vſque *Magellanicum* menſibus quinque, diebus ſedecim.

De altera Thomæ Candiſch *verſus Fretum Magellanicum Nauigatione.*

POſtquam vigeſimo ſexto Auguſti Anno 1591. *Pleymuyda* ſoluiſſet, 29. in Sinum *S. Saluatoris* qui in *Braſilia* eſt delatus eſt, vbi ad ſecundum vſque Decembris diem vento deſtitutus hæſit. Circa hæc tempora nauem *Hiſpanicam* è fluuio *de la Plata* venientem ſaccharo & *Negros* onuſtam cepit. Huius vero nauis Nauclerus eum in inſulam *Placentiam* triginta à promontorio *de Frio* Occidentem verſus leucis, deduxit, ad quam quinto Decembris appulit. Sex ſeptemque Luſitanorum domos ſpoliabat, 2. hinc ſoluens, decimoquarto *S. Sebaſtiani* inſulam attigit, vnde ad expugnandam vrbeculam *de Santos* profectus fuit, decimoquinto antè *Santos* vrbem in anchoris ſtetit, poſtero vero die eam inuaſit, captoſque incolas templo incluſit, ſibique de commeatu abundè proſpexit. Vigeſimo Ianuarii Anno 1592. relicto hoc loco, oppidulum *S. Vincentij* incendio vaſtauit. 24. in altum vectus recta Fretum petiit. 7. Februarii tempeſtas claſſi violenta incubuit. Diſſipatæ hic illic ventorum violentia naues iactabantur. Quare decretum vt in portum *Deſire*, qui in altitud. eſt gradus 48. iretur. 16. Martii rediit ad ſocios *Pinaſſe* nauis, que etiam huc venturum Præfectum ſperabat, quod priore ſua nauigatione hic reficiendi ſe ſuoſque oportunitatem inueniſſet. 6. Martii duabus nauibus in Portũ *Deſire* delatus eſt. decimooctauo tota claſſis aliquandiu ſparſim iactata denuo

denuo collecta fuit, vnica excepta naue, quæ Angliam repetiit. Vigeſimo hinc ſoluentes Fretum petierunt. Octauo Aprilis ad oſtium eius poſt crebras tempeſtates peruenerunt. Decimo quarto primas Freti anguſtias. 16. verò alteras ſuperauerunt, quæ decem à prioribus diſtant leucis. Decimo octauo ad promontorium *Frouvvard* delati in altitudine quinquaginta trium cum dimidio graduum ſtetere. Vigeſimo primo tempeſtatum vis eos retruſit in anguſtias quaſdam, quatuor à promontorio Freti Auſtrali leucis, quo loci ad decimum quintum vſque Maij manſerunt, ſumma annonæ inopia laborantes, conchyliiſque & herbis marinis victitantes.

Candiſch, qui hic diuturnas non eſſe niues nec perpetua frigora optime ſciebat, iter vrgebat, verum maxima ſociorum pars de alia expeditione cogitabat, aut in *Braſiliam* reverti malebat. Verum ipſa conſtituit promontorium *Bonæ Spei* adire, cum commeatu aliiſq; ad victum neceſſariis præſidiis deſtituti eſſent. Sed ſuorum tandem victus ſuaſionibus *Braſiliam* repetiit. Quare decimo octauo Maij egreſſi Freto, 20. non longe à portu *Deſire* aberant, cumque noctu curſum mutaſſe Præfectum ſuſpicarentur alii, à Præfecto aberrauerunt, ideoque cum poſtero die ex oculis effugiſſent, eum portum *Deſire* petiiſſe opinabantur, puteumque, qui recentem habebat aquam, ad Auſtrale portus latus inuenerunt. Sexto Auguſti nondum reperto Præfecto inſulam *Pinguinorum* petierunt, & hinc rurſum ad Fretum contenderunt. Nono eiuſdem menſis die præ ventorum vehementia vela omnia deiicere coacti fuere. Decimo quinto ad inſulas antehac incognitas delati ſunt, quæ 17. à continente aberant leucis, ſitæ ad Boreale Freti latus, prope quas parum aberat, quin naufragio periiſſent, niſi ſe data fuiſſet tempeſtas. Decimo octauo aere caliginoſo decem à promontorio Freti leucis in anchoris ſteterunt. Decimo nono primas Freti anguſtias ſuperarunt, vigeſimo alteras anchoras fixerunt in *Canali* quodam ſiue anfractuoſo loco, vbi plurimos offenderunt Barbaros homineſque agreſtes, qui non obſtante intenſiſſimo aeris frigore in ſyluis & nemoribus Satyrorum more viuebant. Corpore erant robuſto, & ſaxis magnæ molis quatuor aut quinque librarum ipſos longo interuallo impetebant.

Vigeſimo quarto hinc diſcedentes poſtero die ad eam Freti partem peruenerunt, quæ Thraſciozephyrum ſpectat. Vigeſimo quinto anchoras fixerunt 14. à mari Auſtrali leucis, decretumque vt hic loci præfectum præſtolarentur. Erat enim fretum hic anguſtius, trium ſolummodo leucarum latitudine. Verum cum hic frigoris illos affligeret inclementia, & iam deficeret commeatus, ſtatutum, vt mare Auſtrale peterent, & inſulam *S.Mariæ* ſitam climate temperato, partim vt de commeatu ſibi proſpicerent, partim vt hic præfectum expectarent. Quare decimo tertio Septembris vela facientes eodem die mare Auſtrale conſpexerunt. Decimo quarto verſus interiora Freti ventorum vi repulſi ſunt.

Secundo Octobris denuo in apertum mare Auſtrale delati ſunt. Sequens nox tam fuit procelloſa, vt quo curſum eſſent directuri ignorarent, nec fretum repetere audebant, cum à funibus anchoranis eſſent deſtituti. Quarto & quinto Octobris ſæuiebat indeſinenter Æolus, jamque aquas hauriebant naues, donec vndecimo Octobris promontorium *Deſirado* conſpicerent, duorum miliarium diſtantia. Mox propius acceſſere ad ipſum littus, à quo tempeſtatum impetu in fretum protruſi ſunt, tanta acti aquarum rapiditate, vt ſex horis viginti quinque decurrerent miliaria, & vigeſimo quinto Octobris denuo inſulam *Pinguinorum* tenerent. Vigeſimo mare Septentrionale ipſos habebat. Trigeſimo Octobris portum *Deſire* refectionis ergo petebant.

Anno 1595. trigeſimo Ianuarii ad *Iſlam Placentiam* in *Braſilia* appulerunt, & vndecimo

cimo Iulii in Angliam, confecto viginti duobus menſibus cum dimidio itinere.

Illud quoque certo conſtat, Anno 1595. ex Anglia nauigaſſe Ducem quendam *Haukens* dictum, qui per Fretum hoc in mare Auſtrale delatus, tempeſtatum vi verſus Auſtrum propulſus eſt ad gradus vſque 56. verum inſulas plurimas reperit, continentem nequaquam.

De nauigatione inſtituta per Fretum Magellanicum à Iacobo Mahu *&* Simone de Cordes, *Rotterodamo ſoluentibus quinque nauium claſſe Anno 1598.*

1598. IAcobus Mahu, & *Simon de Cordes* è portu & ſtatione *Goereana*, quæ in oſtio *Moſæ* eſt, prope *Brielam*, ſoluebant 27. Iunii, quinque nauium claſſe; aduerſiſque ventis in littora Angliæ propulſi ſunt, vbi ad 15. Iulii in anchoris ſteterunt. Hinc diſcedentes prima Auguſti in eadem cum promontorio *S. Vincentij* altitudine poſiti erant, & 19. eiuſdẽ menſis ad littora *Barbariæ* prolapſi ſunt, vnde curſum verſus inſulam *de Cabo verde* inſtituentes, vltimo Auguſti inſulam *S. Iago* viderunt, in qua quæ ad refectionem corporum facerent, comparaturos facile ſe ſperabant, licet fruſtra. Calendis Septembris ſub *Iſla de Majo* delati ſunt, verum cum hic recentiores aquas ac commeatum ſibi comparare non poſſent, poſtero die *S. Iago* petierunt, vbi cum commeatum ſibi poſcerent preciumq; liberaliter ac perhumaniter poſcerent, nec impetrare tamen ab incolarum inhumanitate poſſent, terram conſcenderunt, & armata manu oppidulum expugnarunt, ſibique de aquis inuitis indigenis proſpexerunt. Verum ob aëris inſalubritatem morbo corripi cœperunt. Sexta Septembris vela facientes, vndecimo in *Islam Branam* appulerunt, in quam aquatum ivere, fruſtra reluctantibus indigenis. Decimo quinto Septembris flante Meze & inſtituto verſus Euronotum curſu in altum prouecti ſunt. 24. eiuſdem menſis obiit Claſſis Præfectus, cum non longe à littore abeſſent, altitudine maris ad orguias ſex. Ab hoc tempore ſcorbutum inter nauales ſocios graſſari cœpit. 29. iter ſuum proſecuti ſunt inſtituto verſus Zephyronotum νολικώτερον, & Libonotum curſu, quẽ ad 4. vſque Octobris tenuerunt. Quo tempore mutato curſu verſus *Africum*, vti & ſexto eiuſdem menſis verſus Vulturnum conceſſerũt. 28. indictus fuit precum & ieiunii dies, poſitique erant in altitudine grad. vnius cum dimidio vltra Æquatorem. Secundo Nouembris decretum, vt terram primo obuiam conſcenderent, ad recreanda ægrorum corpora, ideoque curſum direxere verſus *Annobon*: & cum 150. miliaribus ſe à tellure abeſſe crederent, ſub ipſum littus poſiti erant. Cum verò in altitud. trium grad. Auſtralium poſiti eſſent prope littora *Manicongo* erant, à quo loco itinere terreſtri promontorium *Lopo Gonſalues* petierunt, & littora *Guineæ*, quæ ad commeatum facerent ſtudioſe quærentes, quo refecti nonnihil ac ſibi penè reſtituti ſunt ægri, qui mox recidiuam paſſi ſunt, ob aëris nimiam intemperiem. Quare 9. Decembris in *Annobam* inſulam contenderunt, ad quam poſt meridiem delati, vi oppidulum occupauerunt & aquatum ivere. Sed rurſus ardentibus febribus correpti plurimi ſunt aliiſque morborum generibus laborare cœperunt.

1599. Secundo Ianuarii Anno 1599. flante Phœnicia verſus *Fretum Magellanicum* contenderunt, inſtituto in Zephyronotũ curſu. 22. ad altitud. grad. octo cum dimidio prouecti inſulam *S. Aſcenſionis* conſpexerunt. Vltimo verò dicti menſis die in vertice ſiue Zenith erat Sol. Mox *Abrolhos* prætervecti ſunt flante Meze, curſu verſus Zephyronotum νολικώτερον directo.

directo, Nono Martii ad altitudinem 41½. graduum proceſſerant. 23. bidui ac tridui tempore nebuloſum ac conſpiſſatum caligine cœlum experti ſunt. 28. in altitudine 50°. grad. poſiti, vadum ad 60. orguias deprehenderunt. 29. ad altitudinem grad. 50. prouecti fundum ad orguias 80. attigere. 30. & 31. flante Circio verſus Zephyronotum recta contenderunt, altitudine maris deprehenſa ad orguias 67. & 80. Calendis Aprilis ſub occaſum terram conſpexere. 6. Aprilis in *Fretum Magellanicum* delati ſunt, flante Auſtro, menſeſque jam erant nouem & dies totidem, ex quo patria ſoluerant, trimeſtre verò, ex quo ab *Annabon* inſula diſceſſerunt. Verum hyemis inclementia variiſque tempeſtatibus, frigoris adhæc ac inediæ incommodis fractæ fuere ipſorum vires. Circa hæc tempora ineunte Aprili quinque aut ſex diebus flante Apeliota & Meſe nauigarunt, quo temporis interuallo Fretum tranſire potuiſſent. Verum dum aquationi intenti ſunt, ſibique de lignis proſpiciunt, venti oportunitatem neglexerunt. A ſeptimo ſiquidem Aprilis ad vigeſimum vſque idoneum ſatis & propitium ventum nacti ſunt, cuius ope Fretum ſuperare potuiſſent, ſed mox mutato illo in Auſtrum & Zephyronotum, à tranſitu freti prohibiti ſunt. Cum autem menſis Maij hic loci in hyemem incidat, variæq; hos tractus exerceant procellæ in Freto hæſere ad 23. vſque Auguſti. Stationem fixerant in *Sinu Viridi*, mox vela facientes ſubinde in anchoris ſteterunt, donec 23. die Fretum emenſi, & mare Auſtrale ingreſſi ſunt, poſtquam ſemeſtre jam in Freti anguſtiis hæſiſſent. Quinto & ſexto eiuſdem menſis flante Meze curſum verſus Zephyrum tenuerunt. Nondum in hunc vſque diem ſex nauium & vnius lembi claſſis diſſipata ac diuulſa fuerat, donec inſurgente procella 7. Septembris, turbato admodum & procelloſo mari, duæ naues, quibus nomina erant *Charitatis & Fidei*, quæque *VVeertium & Cordes* vehebant, ad ſiniſtram nauis latus lembos intra foros recipere coactæ fuerunt. Interea temporis Admiralium proxime ſequitur *VVeertius*, &, quæ futuræ calamitatis præludia fuere, inſignem jacturam paſſa eſt Liburnica, cui à *Læto nuncio* nomen erat, amiſſis aliquot nauis partibus, antenna aliiſque, quæ res effecit vt deiectis velis (erat enim tempeſtas vehemens) tormenti exploſione opem aliorum poſceret. Mox vela quoque deduxerunt *VVeertius* & *Fides*. Vrgebat iter Admiralius, ſed *Charitas* ad alias accedens idem quod ille fecit, vt quatuor jam coniunctæ eſſent naues. Hæc poſt denſa admodum oborta caligo alios aliorum oculis eripuit. Interim quaſſam nauem reficit Liburnica. Octauo Septembris naues tres vna cum lembo à præuia naui, quæ viam monſtrare ſolet, aberrauerunt. Poſtero die Admiralius cum *Charitate* vela fecerunt, ſperantes iam præceſſiſſe reliquas duas liburnicas, quas non ita diu poſt conſpexere. *Cordes* & *VVeertius* naupegos ſuos liburnicæ conceſſere, qui nouam antennam fabricarent, ſed factum hoc ipſorum incommodo, neque enim poſtea iis viſi ſunt. Etenim poſtero die qui 30. erat Septembris, flante Traſciozephyro, mutato curſu verſus Zephyronotum contendimus. Circa veſperam invaleſcente vento iterum liburnica vela omnia deiecit, feceruntque idem Vice-Admiralius, *Fides* & *Fidelitas* aliæque naues. Intempeſta nocte vela feceratliburnica nullo inſtituti curſus dato ſigno. Quare vicinæ ſibi inuicem manſere naues *Fides* & *Fidelitas*, ſperantes futurum vt *Cordes* ad ipſos accederet, nec iter proſequeretur. Interea magis magiſque ſæuiit tempeſtas, & poſtquam iam illuxiſſet nullam circumcirca nauem, vela nulla cõſpexere. Quare Capitaneus *VVeertius* deductis nonnihil & ſufflaminatis velis ad Capitaneum *Cordes* contendit, ea cum ipſo decreturus, quæ ad nauigationis ſecuritatem facerent, & ſpeciatim, ne quiſquam niſi dato ſigno vela faceret, eaque vel expanderet vel deduceret. Hi ergo flante Auſtro 17. Septembris ad grad. vſque 54. ad Auſtralem freti partem prolapſi ſunt. Eopſe die obiit Nauclerus *VVeertij*, qui vna cum *Cordeſio* iter ſuum proſequutus eſt.

Totos

Totos 24. dies continuis tempeſtatibus ac procellis non ſine naufragii metu maris ac fluctuum arbitrio iactati fuere, & diſſolutis nauium compagibus magnam aquarum copiam hauſerunt. Interdum à ſe inuicem diuulſi, mox iterum coniungebantur. 25. Septēbris noua ex Aquilone incubuit tempeſtas, quare contractis velis flante Zephyro in Thraſciozephyrum curſum direxerunt. Media nocte ad Septentrionale freti latus delati ſunt, in ipſum littus, quod præ noctis tenebris obſeruare non poterant protruſi, à quo ſe 20. miliaribus abeſſe coniectabant. Quare non leuiter periculi præſentis metu perculſi ſunt, cum ad eam terræ oram ſe prolapſos viderent, in quam fluctus incumbunt. Erat tēpeſtas tam vehemens, vt thoracia deduci neceſſe eſſet. Mox tribus miliaribus ſe à Freto abeſſe obſeruarunt, cumque à littore illos ſoluere non permitteret Zephyri vis, decretum vt in fretum ſe reciperent, ibidemque commodam nauibus ſtationem quærerent, & claſſi ſe jungerent, quæ ad bimeſtre in inſula *S. Mariæ* moratura erat. Itaque ſecundo acti vento fretum petierunt, lecto continentis littore, & circa veſperam ad Auſtralem freti angulum peruenerunt. Poſtea fretum occupauerunt, & maris æſtu ad ſex aut ſeptem milliaria in penitiores freti partes propulſi ſunt, atque hic tutam in ſinu quodam ſtationē nacti aliquamdiu ſubſtiterunt, venti & aëris ad repetendum mare oportunitatem captantes. Temperato hic fruebantur aere, quanquam ad finem vſq; Septembris flaret Zephyrus. Calendis Octobris tam vehemens exorta fuit tempeſtas, vt trib. anchoris firmari naues neceſſum eſſet, ſed ſedata mox ventorum violentia, ſpes eos tenebat mitioris cæli, ob adventantem æſtatem. Verum fefellit miſeros opinio hæc, nam toto bimeſtri inducias nullas dabat Æolus, & madidis tum pluuia, tum fluctuum aſperſione velis nauigatum fuit. Decimo quinto ſæuiebat rurſum Thraſeiozephyrus, ac è montium jugis ac præcipitiis delapſi venti perpetuas dabant tempeſtates, vt vix officium facerent funes anchorarii. In ſumma nouem hic hæſerunt menſes, nihil promouentes, ſed maiorem indies aeris clementiam expectantes. Octauo Decembris grauiſſima & à qua fere mergebantur procella naues obruit, ſublatis ad roſtra vſque maris fluctibus. Cum ad breue tempus flaret Apeliotes & Mezes vela fecerunt, verum diuerſis locis & *VVeertius* & *Corteſius* in anchoris ſtetere, ventis iam adverſantibus. Vndecimo Decembris à ſe inuicem diuulſi ſunt. *VVeertius* vlterius procellarum impetu in fretum propulſus fuit, donec Oliuario obuius eſſet factus Decembris die 16. Vigeſimo iter proſecuti flante Euronoto, non ita diu poſt *Iapyga* experti ſunt. Nauis *VVeertij* ſordibus maris obducta, ſegniter nauigabat, nec *Oliuarium* aſſequi poterat, minus idonea ad obliquandos ſinus. Quæ res neceſſitatem *Oliuario* impoſuit *VVeertium* miſſum faciendi. Idem *VVeertius* varia incommoda in eodem freto paſſus fuit, cumque iam nec *Cordeſium* inueniret, nec claſſem ſupradictam, fretum relinquere & domum repetere coactus fuit. Freto exibat 21. Februarii, At Martii 24. ad littora *Nouæ Guineæ* peruenit, & circa medium Iunii in portum *Goereanum*, poſtquam iam domo abfuiſſet 25. menſes.

Cordeſius vectus naui, cui *Fidelitas* nomen erat, in mare Auſtrale delatus fuit, & in *Chili* appulit, non reperto itineris ſocio *VVeertio*. hic de commeatu ſibi proſpexit, & vrbeculam arcemque Hiſpanorum expugnauit, & *Chilenſes* mancipatos libertate donauit, quo beneficio tantam apud eos invenit gratiam, vt Regis illi titulum decernerent indigenæ. Hinc iuxta *Peruuiæ* oram nauigans & ſocios quærens plurimas naues cepit, & tandem in *Moluccas Tidoram* venit, quo loci erepta illi à *Luſitanis* fuit nauis, & Nauclerus cui nomen erat *Antonio Nigro Malaccam* captiuus abductus.

Liburnica quæ *Theodorum Gerardi* vehebat, tempeſtatum vi verſus Auſtrum propulſa fuit ad gradus vſque 64. in qua altitudine poſita ad Auſtralem plagam ſolum montoſum

& niui-

& niuibus opertum eminus cōſpexit, qualis *Norvvegiæ* eſſe ſolet facies. Verſus inſulas *Salomonis* exporrigi videbatur. Hinc *Chilam* petiit, & ab inſula *S. Mariæ*, quo loci ſocios ſe reperturum putabat, aberrans, in portum *S. Iacobi de val Parayſo* ſe recepit, & cum humanitatis ac beneuolentiæ officia omnia negarent indigenæ, itinere longo confectis vectoribus, & commeatus indiga, in hoſtium manus ſe dedit.

Non dubium quoque quin Vice-Admiralius, quem *Charitas* vehebat, & cui Nauclerus *Iacobus Quack* præerat, à reliquis duabus *Fide* nempe & *Fidelitate* abreptus, in Auſtrum protruſus fuerit. Poſtea in *Chilam* appulit, & in Inſula *S. Mariæ* ſocios præſtolatus fuit. Mox ad cuſpidem *Lanapiæ* peruenit, vbi viginti tribus ſuorum, quos Indi trucidauerant, deſideratis *Iaponam petiit.*

Admiralius, quem nauis *Spes* vehebat, iiſdem quibus aliæ tempeſtatibus jactatus per fretum in mare Auſtrale venit, & iuxta *Peruuiæ* oram *Chilen* attigit ad altitudinem gradi 46. Vbi ad 28. dies reliquas naues expectauit, interim refectioni ſuorum ſtudens, & de commeatu ſibi proſpiciens. Hinc ſoluens ad oſtia *Baldiuiæ* peruenit, quibus præteritis *Mocham* petiit, quo loci *Charitatem* inuenit, cum qua ad Inſulam *S. Mariæ* contendit, prope quam in Continente viginti tres è ſociis ab Indis interfecti ſunt. Quare ab inſula *S. Mariæ in Iapan* curſum direxerunt, vbi Admiralius, & Vice-Admiralius mox quoque appulerunt.

De Nauigatione Oliuarii de Noort, *qui quatuor nauium claſſe Anno 1598. è Belgio ſoluit.*

SOluit *Oliuarius de Noort* è portu aut nauium ſtatione, quam *Goereanam* vocant, decimo tertio Septembris. Nono Octobris ad Septentrionalem promontorij *de Blanco* partem in littus fere, non ſine naufragii periculo, impegit. Decimo octauo in altitudine 11. grad. cum eſſet flabat in proram Zephyronotus. Tertio Nouembris Auſtrum nactus eſt, & ab vndecimo Octobris aut Auſtro aut Zephyro flante nauigatum fuit, donec *Guineam* attingeret in altitudine trium grad. & quatuor minutorum. Vndecimo Decembris ſub inſulam *de Principe* ſtetit claſſis.

Anno 1599. Calendis Ianuarii *Annabon* ſe in conſpectum dabat, & in eodem die in *Rio Ianero* directus curſus. Duodecimo huius menſis multos è ſociis aduerſa valetudo afflixit. Tertio Februarii viſa *Braſilia* in altitud. 20. grad. Nono in fluuium *Ianero* ſe recepit, quo loci cum de nouo ſibi commeatu proſpicere vellet, vi ab indigenis telluris aditu prohibitus eſt. Decimo ſexto ad inſulas duas incognitas delatus, magnam palmitum & concharum cōpiam offendit. Vigeſimo ſecundo ad inſulam *S. Sebaſtiani* appulit, vbi refectis corporibus in inſulam *S. Helenæ* contendit, à qua tamen aberrauit. Trigeſimo iterum conſpecta fuit *Braſilia*, in altitud. 20. grad. Secundo Iunii inſulam *S. Claræ* vidit, in quam neceſſario exſcendendum fuit, vt palmitum ſucco & prunorum acidorū eſu ægros refocillaret. Hic loci nauem *Concordiam* flammis abſumſit. Trigeſimo iterum in *S. Sebaſtiani inſulam* reuerſus eſt. Vigeſimo Septembris in *Porto Deſire* peruenit, vbi magnam auium *Pinguinorum*, vitulorum marinorum, & ouorum ſibi comparauit copiam: Redditaque iam ægrotis fuit ſua valetudo. Trigeſimo Octobris in altum vectus, quarto Nouembris promontorium *de Virgines* attigit; ibidemque mare ad altitudinem orguiarum ſeptem accreſcere & decreſcere obſeruauit. Quinto Nouembris fretum claſſis occupauit, poſt quatuordecim menſium iactationem, centum è claſſe deſideratis. Vigeſimo quarto vlterius in freto prouecta erat, poſtquam aduerſis ventis iam quater

ab

ab oſtio repulſa eſſet. Hic *Sebaltium de VVeert* offenderunt, qui ad viginti miliaria fretum conſcenderat, & ventorum impetu remeare cogebatur. Mirabatur hic *VVeertius*, tam bene habito corpore eſſe nauales ſocios *Oliuarij*, cum ſui confectis inedia corporibus vix ſpiritum traherent. Circa veſperam vela fecerunt, ſed cum tardius procederet *VVeertius*, promontorium *Mauritij* ſuperare non potuit. *Oliuarius* iter promouens varia æſtuum, fluxus & refluxus marini diſcrimina expertus eſt. Vigeſimo nono Februarii fretum emenſus in mare *Pacificum* delatus eſt, poſtquam quatuor in tranſeundo freto menſes conſumſiſſet. Prope promontorium *Deſirado* magnam exiguarum inſularum frequentiam repperit, quæ iuxta littora *Chiles* extendebantur. Duodecimo Martii in altitudine 46 graduum poſitus cum eſſet ſubductus ex oculis ſuis tempeſtatum vehementia Vice-Admiralius. Vigeſimo primo *Mocham* appulit. Decimo quinto Septembris in freto
1601. *Maniliæ* ſtetit, poſt ſeptimum, quo *fretum Magellanicum* ſuperauit, menſem. Anno 1601. nono Februarii è freto *Balaboam* ſoluit. Vigeſimo quinto Aprilis conſpecta fuere Capitis *Bonæ Spei* littora. Vigeſimo quinto Auguſti in Moſæ oſtio ſtetit, & ſpatio triennii duodecim minus diebus Orbem circumnauigauit.

NOTA. FRanciſcus *Dracus* ſexto Septembris, *è Freto Magellanico* in mare Auſtrale delatus fuit. Septimo verò eiuſdem menſis cum vnius gradus longitudine à freti oſtio abeſſet, tempeſtatum vi ad ducentas leucas Auſtrum verſus propulſus fuit, & ad altitud. 55. & amplius grad. in portum inſulæ cuiuſdam ſe recepit. Hinc flante Auſtro recta Septentrionem verſus contendit ad gradus vſque quinquaginta quinque cum dimidio, & in inſulis quibuſdam recentem offendit aquam, & herbarum varia genera. Vlterius progreſſus in Sinum delatus eſt, vbi viros fœminaſque nudas in *Canois* conſpexit, cum quibus merces pro commeatu commutauit. Hoc quoque obſeruauit, hic loci Solem octo à Tropico Capricorni gradibus poſitum non niſi duas horas nocti concedere. Vnde concludebat Sole in Capricorno poſito nullam hic eſſe noctem. In eadem cum *Freto Magellanico* poſitus altitudine curſum recta in Septentrionem direxit, & 29. Nouembris *Mocham* attigit. Toto vero illo, quo à parte Auſtrali ad latus eius Septentrionale contendit, tempore, nullam tellurem, littora nulla conſpexit.

FINIS.

CATALO-

CATALOGVS
Vocabulorum aliquot, quibus vtebantur indigenæ Inſularum.
SALOMONIS.

Vnum.	*Tacij*, vel *Taci.*
Duo.	*Loua*, vel *loa.*
Tria.	*Tolou.*
Quatuor.	*Fa: D'fa.*
Quinque.	*Lima.*
Sex.	*Houvv.*
Decem.	*Ougeſoula.*
Accede ad nauem.	*Nutiſoy.*
Diſcede.	*Fanou.*
Pugnare.	*Baekela.*
Mulier.	*Herri.*
Porcus.	*VVacka.*
Gallina.	*Omo.*
Ventus.	*Augin.*
Piſcis.	*Ica.*
Arundo piſcatoria.	*Eca.*
Nuces *Cocos.*	*Alieuvv.*
Banannas.	*VVaſoudgy.*
Radices Obos.	*Ouſij, Oubi.*
Cedò mihi Obos meas.	*Toma maij ouſi.*
Ægrotus.	*Matay.*
Cocos recentes.	*D'mauta.*
Corallia.	*Lickaſoa, ou acachoa.*
Clauus.	*Hakoubea.*
Ferrum.	*Hequij.*
Hamus.	*Matau.*
Princeps.	*Latou.*
In terram exſcende.	*Ajouta, ou ajouda.*
Optimum ferrum.	*Moaij.*
Ita.	*Da of ijto.*
Abi.	*Alick-vvi.*
Acoua, radicis nomen eſt, arundini ſimilis, & corticem habentis variegatum.	*Acoua.*

Voces indigenarum Inſulæ Cocos.

Sol.	*La.*
Luna.	*Maſſina.*
Stella.	*Fittou.*
Oculi.	*Matta.*
Aures.	*Talinga.*
Lingua.	*Alello.*
Labia.	*Lamotou.*
Genæ.	*Calaſou.*
Guttur.	*Oua.*
Uber.	*Chou.*
Cor.	*Fatta.*
Os.	*Coloij.*
Naſus.	*Eſou.*
Barba.	*Talaſſa.*
Dentes.	*Nyſo of lyſo.*
Capilli.	*Ouroucq; , ourou.*
Oſſa.	*VVaaij.*
Pedes, & manus.	*Fatinga. lima.*
Vngues.	*Maij ninia.*
Venter.	*Tinay.*
Dorſum.	*Toua.*
Humeri.	*Touauma.*
Nares.	*Mouri.*
Iuuenis, puer.	*Tama.*
Filia.	*Toubou.*
Fœmina.	*Farri.*
Dormire.	*Mooij.*
Saltare ad numeros.	*Pipi.*
Domus, tuguriolum.	*Fare.*
Lapis.	*Fattou.*
Arbor.	*Talie, of taliei.*
Lignum.	*Lachaai.*
Ferrum	*Hackoumea.*
Corallia.	*Caſoa.*

Nauis.	*VVacha.*
Sus	*Poudcca.*
Gallus.	*Moa.*
Aqua.	*VVaij.*
Gallina.	*Ouſa.*
Pluuia.	*Oua.*
Securis.Malleus.	*Tocki gelſij.*
Terra.	*Kılle.*
Æs.	*Tatto.*
Sedes.	*Noſſoa.*
Patella.	*Chienga.*
Ebur.	*Tatta.*
Auſter.	*Maſſele.*
Cultro lædere.	*Tuamo.*
Veſtis.	*Caſou.*
Storea.	*D ſau.*
Oleum,Cocos.	*D'lolo.*
Mons.	*Maoucha.*
Abnauigare.	*Foulau.*
Comede.	*Tackı,nacki.*
Attolle.	*Foudij.*
Banannas.	*Fouti.*
Obes radices.	*Ouſi.*
Aqua.	*VVaij.*
Oleum.	*Lolo.*
Caſeus.	*Poulaca.*
Forfex.	*Epouri.*
Annulus digitalis.	*Mamma.*
Tympanum.	*Naſſa.*
Bombarda.	*Leaij tiſmoghel neluij. VVaijſogi.*
Culter.	*Faſſi.*
Speculum vrens.	*Leſſi iloa.*
Folia Cocorum.	*Aes Cıſaro.*
Aqua Cocorum.	*VVacki.*
Saccharum.	*Lolo.*
Cortices Cocorum.	*Pourou.*
Fructus quidam.	*Falaſola.*
Cochlea margariti-	*Tiſſa,oſ Teſſa.*
Tintinabulum. (fera.	*Taula.*
Cinnamomum.	*Kaij.*
Funiculus.	*VVaſſauvv.*
Ignis.	*Oumou.*
Vnum.	*Taci.*
Duo.	*Loua.*
Tria.	*Tolou.*

Quatuor.	*Fa.*
Quinque.	*Lima.*
Sex.	*Houno.*
Septem.	*Fitou.*
Octo.	*VValou.*
Nouem.	*Yvvou.*
Decem	*Ongeſoula.*

Ultra denarium numerum non aſcendebant,nos ad centum numerare eos docuimus,hac forma:

Vndecim.	*Ongeſoula taci.*
Duodecim	*Ongeſoula loua.*
Hoc,aut hic.	*Equi.*
Iuuenis.	*Manta.*
Videam.	*Matta may.*
Nihil eſt.	*Neay,vel Eay.*
Non.	*Eai.*
Ita.	*Yio,vel Yiouvv.*
Columba.	*Loupe.*
Nihil ſupereſt.	*Eeuvv.*
Cantus.	*Adoua.*
Hac voce aduentum gratulabantur.	*Lolle.*
Cutis inciſæ variegatio.	*Tetau.*
Geſticulationes trepudiantium.	*Mon.*
Animal cornigerum.	*Nıſo.*
Saccharum.	*Lolo.*
Obos minores.	*Talo.*
Veſtes chartaceæ pi-	*Keaſiua.*
Bos cornutus. (ctę.	*VVagga vvaggabou.*
Radicis,quam mandere ſolent,& è cujus ſucco potum conficiunt,nomen:	*Acaua: Atoua,Caua.*
Nauis.	*VVacha.*
Nomina obſidum.	*Tamay,Foſa.*
Funis, quo veſtes conſtringere ac ſuccingere ſolent.	*Caſſa.*
Armillæ.	*Tauvva pou.*
Digitus.	*Fatinga.*
Fructus cuiuſdam ſuc-	*Lolou.*

culenti

culenti nomen.	
Panis noſter.	*Maſi.*
Hepar.	*Adde.*
Hepar porcinum.	*Adde puácca.*
Rex.	*Ariki.*
Præfectus.	*Latou, of latau.*

Vocabula quibus vti ſolent incolæ
Nouæ Guineæ.

Rex.	*Latieuvv.*
Nuces (*cocos.*	*Lamas.*
Gallina.	*Coocq.*
Porcus	*Tembor.*
Bannanas.	*Tachouner.*
Oua gallinacea.	*Paſima Coo.*
Aqua.	*Dan* vel *Daan.*
Piſcis.	*Hiſſou.*
Carabi.	*Corre cor.*
Folia Syri.	*Nomboug Po.*
Pinanche nauigii genus.	*Bou.*
Calx.	*Camban.*
Oleum.	*Poom.*
Coralla.	*Poutai.*
Ferrum.	*Herees.*
Culter.	*Coot.*
	Bouo.
Caput.	*Ea.*
Naſus.	*Niſſon.*
Aures.	*Talingan.*
Dentes.	*Yſang.*
Sinciput.	*Poſſon Arongh.*
Crinis.	*Nihouge.*
Manus.	*Limangh.*
Pedes.	*Kekeijn.*
Vbera.	*Souſou.*
Brachia.	*Pong liman.*
Lingua.	*Hermangh.*
Labia.	*Tabaing vouling.*
Humeri.	*Haliyug.*
Venter.	*Balang.*
Dorſum.	*Baheing.*
Digitus.	*Cateling liman.*
Nates.	*Poutong.*
Dormire.	*Heim.*
Barba.	*Incam beſſer.*
Edere.	*Nam Nam.*
Bibere.	*Anda.*
Genæ.	*Paring.*
Guttur.	*Con Con Hangh.*
Arundo.	*Daan.*
Sedes.	*Sou.*
Lapides.	*Coore.*
Ignis	*Eeſ.*
Terra, ad terram.	*Behoul.*
Hamus,	*Ioaul.*
Cochlea margaritifera.	*Corron Tamborin.*
Sol.	*Naas.*
Luna.	*Calangh.*
Stellæ.	*Maemetia.*
Claua Lignea.	*Hereris.*
	Foun.
Annuli in nares immiſſi.	*Iaoull.*
Ebur, elephanti dens.	*Tembronbis.*
Reſtes.	*Calcoloun.*
Mare.	*Taas.*
Gladij lignei.	*Seel.*
Terra Rufa.	*Taar.*
Arena.	*Coon.*
Pluuia.	*Ous.*
Funda.	*Gimmio Halla.*
Haſta lignea.	*Mareet.*
Miſſile telum.	*Houvan.*
Plumæ ſiue alę telorũ	*Tounſiet.*
Sanguis humanus.	*Daar aug.*
Sanguis porcinus.	*Daar de rembos.*
Capitia.	*Nandikea.*
Canoa.	*Takoup.*
Remigare.	*Gemoe Hainoes.*
Montes.	*Faſſer.*
Non eſt.	*Capte an deſingim neaij.*
1. Vnum.	1. *Tika.*
2. Duo.	2. *Roa.*
3. Tria.	3. *Tola.*
4. Quatuor.	4. *Fatta.*
5. Quinque.	5. *Lima of liman.*
6. Sex.	6. *VVamma.*
7. Septem.	7. *Fita.*

8. Octo.	8. *VVala.*
9. Nouem.	9. *Sivva.*
10. Decem.	10. *Sangaſoula.*
Fructus certi nomen.	*Loongh.*
Expectare.	*Attingam.*
Nomen captiui cuiuſdam.	*Tarhar lieuvv.*
Non noui.	*Kim kabbeling lougtee.*

Voces incolarum Inſulæ Moyſes *dictæ.*

Ita.	*Llu.*
Lignum rude.	*Sagu.*
Panis.	*Pouhonnori.*
Humeri.	*Carracerreram.*
Ubera.	*Souſou.*
Genua.	*Pou hanking.*
Oculi.	*Mattanga.*
Videam.	*Matta may.*
Guttur.	*Commieconnon,*
Lingua,	*Caramme.*
Barba.	*Parre vvvourou,*
Naſus.	*VVanſrugo.*
Bananas.	*Hivvoundi, Taboun.*
Statim aderit.	*Kirrekir.*
Porcus.	*Cambour.*
Cocos.	*Lamas.*
Nos.	*Tata.*
Expecta, vel, ſtatim.	*Alep.*
1. Unum.	1. *Kaou.*
2. Duo.	2. *Roa.*
3. Tria.	3. *Tolou.*
4. Quatuor.	4. *VVati.*
5. Quinque	5. *Rima.*
6. Sex.	6. *Eno.*
7. Septem.	7. *LVijtſou.*
8. Octo.	8. *Ejalou.*
9. Nouem.	9. *Sivva.*
10. Decem.	10. *Sangapoulo.*
Gallina.	*Mitoa.*
Claua.	*Micoura.*
Ferrum.	*Maſirim.*

Vocabula indigenarum Inſulæ Moo, *ſitæ in altitud. 2. grad.*

Cocos.	*Lieu.*
Bannanas,	*Tandani.*
Porcus.	*Paro.*
Aqua.	*Nanou.*
Zinziber.	*Raaij.*
Culter.	*Ani.*
Piſcis.	*Koijma.*
Canis.	*Aroue.*
Coralla.	*Saſſera.*
Pecten oſſeus.	*Marmauvv.*
Clauus.	*Bee.*
Panis.	*Sagu.*
Liba.	*Soome.*
Veſtes fœminarum.	*Maije.*
Armillæ,	*Sabre.*
Arcus.	*Partina.*
Tela.	*Bare.*
Dormire.	*Maune.*
Piſces iaculis petere.	*Tineanij.*
Deus porcinus.	*Sona.*
Quadrupes.	*Pari-vvou.*
Sol.	*Arduio.*
Quinque.	*VVeer-ſaut.*
Auis candida.	*Maui: kacketoua.*
Radix flaua, Currumæ ſimilis.	*Aou.*
Coralla alba.	*Saſſera poute.*
Non, non, nihil nihil.	*Taop, Taop.*
Abi hinc.	*Hoijda.*
Nomen Inſulæ eſt.	*Arti.*

FINIS.

DESCRIPTIO INDIAE OCCIDENTALIS,

Quis nempe Regionum ac Prouinciarum ſingularum ſit ſitus; quas quantaſq́; vel auri vel argenti opes quæque habeant, & quomodo per eas iter inſtitui debeat,

AVTHORE

PETRO ORDONNEZ DE CEVALLOS,

Presbytero, qui ipſe terras haſce & loca omnia ſtudioſè peragrauit luſtrauitque.

CVm homine ingrato nihil alat terra peius, & nullum execrabile magis ſit ipſa ingratitudine vicium, vtique muneris mei eſſe putaui, ne tam fœdi criminis notam incurrerem, Hiſtoriam Indiæ Occidentalis publici iuris facere, vt, poſt luſtratas ſingulari Dei beneficio haſce *Noui orbis* terras, breui ac fida earundem narratione gratitudinem meam teſtarer, nec earum rerum cognitionem aliis inviderem; quas coram ipſe oculis hauſiſſem ac curioſius perluſtraſſem. Quotquot in Indiam Occidentalem contendere volent, hoc ſciant, portum *S. Lucar de Barrameda* quinque à Gadibus abeſſe leucis, & ex alterutro horum portuum ſoluere claſſes, quæ in Indiam Occidentalem, inſulaſque *Cubam, S. Domingo, Hauanam* aliaque *Noui Orbis* loca cogitant. Poſiti ſunt portus illi in altitudine 37. graduum. Abſunt hinc Inſulæ Canariæ 230. leucis verſus Zephyronotum, & in eas octo aut decem dierum ſpatio nauigari ſolet. Mare interiectum procelloſum valde eſt, propter tempeſtates crebro illi incumbentes, quin & propter vaſtitatem ſuam ac immenſitatem facile in altam molem attolluntur fluctus. Canariarum voce ſeptem inſulas complectimur, *Canariam* nempe *Magnam, Tenerife, Gomeram, Hierro, la Palma, Lancerotte* & *Fuerte venturam.* Quanquam verò prima earum *Magna* vocetur, non tamen aliis quantitate maior eſt, ſed dignitate ac imperio. Maxima enim, ſi amplitudinem ſpectes, eſt *Tenerife.* Tres ex illis Dominii titulo reguntur. *La Comera, Lancerotte & Fuerta ventura* Ducatus ſunt. Quatuor Regi parent. In magna *Canaria*, Curiæ, Gubernatoris ac Generalis quatuor inſularum capitanei ſedes eſt, vti & Epiſcopi omnibus ſeptem inſulis præfecti. Aliquæ ex illis à ſoli fertilitate commendantur, maxime verò *Tenerife.* In altitudine 28. graduum poſitæ ſunt. Olim *Fortunatæ inſulæ* dictæ fuerunt.

Vnde ſoluant claſſes ac naues, quæ Indiam petunt.

Inſulæ Canariæ.

Habet *Tenerife* montem tantæ altitudinis, vt eminus è mari ad 70. leucas conſpici poſſit. *Pico de Tere-ve* vocatur.

Toto eum anno niues operiunt, & triduo ac quatriduo opus eſt, priuſquam ad faſtigium peruenias, è quo aliæ inſulæ vicinæ in parua quantitate ſpectantibus apparent, licet vna earum, *Hierro* nempe, magnitudine *Teneriſen* adæquet. Ex hac inſula eruitur omne, quod vſpiam terrarum eſt, ſulphur, Ducis *de Maqueda* imperio ſubeſt.

Arbor mirabilis in Hierro.

Inſula *Hierro*, licet eiuſdem ſit cum *Teneriſe* magnitudinis, aquis tamen caret. Verum arborem habet, cui ſimilem in nulla totius Orbis terrarum parte reperias, ſupra cuius verticem ſuſpenſam ſemper nubem videas, quam perpetuæ in foliis, quæ parua illi ſunt, ſed latiora, viriditatis cauſam eſſe autumant, è quibus tanta aquarum deſtillat vis, vt totius inſulæ indigenis potum ſufficiat. A dextra harum Inſularum parte aliæ ſitæ ſunt, quas *San Borondon* vocant. Hæ ſubinde videntur, ſubinde euaneſcunt & oculos effugiunt. Sunt qui eas calcauerunt, ſed poſtmodum eaſdem quærentes inuenire non potuerunt. Res profectò prodigioſa & ſtupenda, cuius arcani ſibi ſoli cognitionem & cauſarum ſcientiam reſeruauit Deus. Inſulas has fertiles admodum eſſe & à Chriſtianis incoli perhibent.

Abundant ſeptem hæ Inſulæ commeatu, omnibuſque ad victum neceſſariis, vnde major in iis eſt annonæ vilitas, quam in Hiſpania. Moribus incolæ ſunt inconditis, animo crudeles. Camelorum & ſacchari magna hic vis. Hinc ad claſſem contendimus, quæ ante *Franciſcum de Noba* Generalem & Admiralium *D. Franciſcum de Valverde* ſolverat, & poſtquam eundem dieb. 27. tenuiſſemus curſum *La Deſeada* inſula apparuit, quę à magna *Canaria* 830. abeſt leucis. Sita eſt *La Deſeada* aliæque hic complures in altitudine grad. 15. Inſulas *Dominicam*, & *Matalinam* aliaſque Indi incolunt antropophagi, quos *Caribes* ſiue *Gimarronez* vocant. nos eorum metu in terram non exſcendimus, verum tormenta aliquot bellica in montes & ſyluas exploſimus. Milites excubias nocte agentes minus in caſus omnes intenti præda ſubinde ipſis facti ſunt. In *Matalinam* contendimus, vbi res notatu digna euenit, conſpecti enim nobis in ſinus cuiuſdam ampliore foſſa angues duo tantæ craſſitudinis, vt vix verbis exprimas. dum ad eos interficiendos ſclopos maiores explodimus, tam terribili ſibilo ſe oppoſuere, vt totius inſulæ indigenis terrorem incuterent. Vir quidam Hiſpanus nobis obuiam procedens narrabat frequentes in hac aliiſque inſulis commorari Hiſpanos vna cum vxoribus. Nec iam amplius antropophagos eſſe inſulanos, propter initos nuptiarum inter Indos & Hiſpanos contractus, quin addebat, aliquot Indorum vxores Chriſtianam religionem amplexas fuiſſe, & nullo negocio ad eandem fidem vniuerſam gentem adduci poſſe. Quanquam autem facilè foret Regi noſtro has inſulas ſibi ſubdere, aut inſulanos omnes exigere, tamen hoc vt faciat conſultum minime iudicat, ne hæretici hoſtes hæc loca mox expugnent, & propugnaculis muniant, vti in *Florida* factum.

Referebat idem, iam multis retro annis nullos ab iis comeſtos fuiſſe Presbyteros, nullaſque fœminas. Non illos, quia accidit, vt, poſtquam vnius laniena ferinam famem expleſſent, omnes quotquot de eiuſdem carnibus comediſſent, crepuerint medii. Non illas, quia cum iis congredi amant, quo prolem robuſtam & validam ex iiſdem ſuſcipiant.

Ab inſulis *Cartagenam* octo aut decem dierum ſpacio peruenitur, in cuius portu claſſes *Terræ Firmæ* conuenire ſolent. Ciuitas eſt partim mercatu, partim nauium & claſſium vndique aduentantium multitudine, partim etiam vicinitate *Nouiregni Granatenſis* celebris. Parent illi aliæ ciuitates, nempe *Mompox*, *Teneriſe*, & *Tolu* Hiſpanorum coloniæ. Antehac imperium quoque habuit in ciuitates alias, *Mariam*, *la Conception*, & *S. Iago de los Caualleros*, ex quibus poſtea abducti coloni, propterea quod ab Indis oborta ſeditione per tumultum trucidati eſſent, qui durius ipſos & inclementius tractauerant.

Diſtat *Cartagena Dominica* Inſula ſpatio plus trecentorum milliarium. priuſquam ad oſtium magni fluuii *de la Madalena* perueniant, ab eo tribus leucis recedunt naues,

naues, idque propter aquarum è faucibus fluminis magno impetu in mare excurrentium certiſſima diſcrimina. Huius præfecturæ ambitus eſt 500. miliarium, longitudo ducentorum & amplius. Vaſti ad hanc pertinent terrarum tractus nondum expugnati. Regio eſt opulentiſſima viris opibuſque, & ad montes vſque *Tolu, Ilraua, & Carquana* exſpaciatur. Aurum nulla copioſius fert. Prope ciuitatem *Tolu* montes excurrunt ad leucas duas, qui arboribus, è quibus precioſiſſimum ſtillat balſamum, conſiti ſunt. Ex Indorum laboribus magnum quæſtum faciunt Domini, quibus etiam obſequentiſſimi ſunt. Vrbem *Mompox* Indi tenent, qui pro tributo commeatum ſufficiunt, & *Canoas*, è quibus ad Præfectum redit quotannis magna pecuniarum vis. *Carares* magni fluminis è regione *Tamalamæ* Hiſpanorum coloniæ ſedem fixere, Præfecturæ *Santæ Martæ* nunc ſubditi, olim ciuitati *Mompox*. Vt fluuium hunc magnum conſcendant, conuenire ſolent Hiſpanorum mercatorum Canoæ, qui longis armati ſclopis per viam *Armadillarum* proficiſci ſolent. Ingens damnum Canois ab Armadillis illatum & huic Præfecturæ ac Regiæ Curiæ. Verum his malis iam obuiam itum, vt tuto iam commeent remeentque mercatores.

De Prouinciis Santæ Martæ, *Nouo regno* Granatenſi, *præfectura* Popayan, *Territorio* del Quito, *eiuſque Epiſcopatibus.*

Cartagena ergo diſcedens in *Santæ Martæ* præfecturam, cuius & illa metropolis eſt profectus ſum. Habet vrbs hæc Gubernatorem & Epiſcopum. Vna eſt ex quinq; ciuitatibus, *Santa Marta, Salamanca, la Ramada, Ilpar, & Tamalameque. Salamanca* & *Ramada* celebres ſunt margaritarum piſcatura. In *Ramada* enim Nigri ex hoc opere victitantes frequentes habitant. magna opum vis ex hac margaritarum piſcatione ad Regem quotannis redit. Fit ea hunc in modum: Æthiopes ſiue nigri conſcenſa *Canoa* littus relinquunt, mox ex ea ſe in mare præcipitant & fundum (ſunt enim vrinatores) petunt, ſaccumque inflatum oſtreis replent, quo repleto emergunt & littore conſcenſo oſtrea aperiunt, & quas offendunt margaritas eximunt. Vrinatores alii aliis præſtantiores ſunt. qui enim eorum diutius inhibito ſpiritu ſub aquis hærent, aliis præferri ſolent. Cum hic eſſem, Capitaneum & Commendatorem generalem Indiarum, vna cum Epiſcopo *Sebaſtiano de Oquendo* offendi, qui tantam hinc margaritarum auferebant copiam, quæ 10000. Ducatorum precium valebant. S. Marta.

Pertinet ad hanc Præfecturam magna Indorum nondum debellatorum multitudo; gens fortiſſima, quam *Taironas* vocant, qui viribus & potentia *Chilenſibus* non cedunt. Huius Epiſcopatus incluſo lacu *Maracoibo* ambitus eſt 600. & amplius leucarum.

Nouum Regnum Granatenſe Archiepiſcopatus eſt, eiuſque metropolis eſt *Santa Fe de Bogota*. Cameræ hic ſedes eſt, ſuoque diſtrictu præfecturas *Cartagenæ, Santæ Martæ*, & *Popayan*, necnon *Tuniam, Mariquitam, & de los Muſos* complectitur. Ciuitas eſt commeatu panis, carnium & fructuum abunde inſtructa. Vinum ex Hiſpania in has oras defertur. Aurum & argentum fert. Præfectura *de los Muſos* duas habet ciuitates. Prior *Muſo* dicta eſt, è qua optimorum & precioſiſſimorum ſmaragdorum copia eruitur, longe maior, quam ex inſulis *Ceilam, Sumatra, & Vicipuri de Conchincina*. Rupes hic eſt tam vaſta, vt eam longo temporum decurſu exhauſtam iri metus non ſit. Propter incolarum paucitatem opera Nigrorum vti coguntur. Ex quinta ſmaragdorum parte inæſtimabiles ad Regem redeunt opes. Ex his locis Indus quidam magni precii lapidem repperit, qui eundem Regi Hiſpaniarum *Philippo* ſecundo obtulit, & *Claræ Eugeniæ Auſtriacæ* Nouum regnum Granatenſe.

Philippi filiæ. Huius precium ſupra omne fuit precium, nec æſtimari eius valor ab aurifabris potuit. Libertate illum aliiſque muneribus donauit Rex. Aſſeruatur hic lapis in *Eſcuriali*.

Pita byſſo non abſimile, filamenta habet, quibus in ſarciendis veſtibus vtuntur.

Poſterior præfecturæ *de los Muſos* ciuitas, eſt *la Palma*, quæ magnam *Pitæ* diuerſi generis copiam ſufficit. Sita eſt ſub juriſdictione *Tuniæ*. Magni hic faciunt mœnia & vallos ex terra exſtructos, qui pluuia irrigati & mox glacie conſtricti in ſaxeam concreſcunt duritiem. Ædificia habet ampla & ſplendida, nec tamen vſque adeo ſumptuoſa. Ciuitas *Velez, Pamplona, Ocania, Merida, la Grita, Sant Iago S. Chriſtophoro val* & *Leyva*, & vrbs in portu *Ocaniæ* condita, ſolo omnes ſitæ ſunt fertili & fœcundo. Pleræque earum auri feraces ſunt. Indi pro tributo ſtragula pendunt, & dominorum agros excolunt, pecorumq; quorum hic frequentia curam habent. Sunt hic, qui 2000. boues, & gregis parem numerum habeant. Iuriſdictio *Mariquitæ* vrbes numerat *Tocajmam, Ybaguen*, *La Santam Aguedam*, quo loci diuites ſunt argenti-fodinæ. Quodcunque in *Nouo regno* inuenitur, iſtic erujtur argentum. Ciuitas quoque *de los Remedios*, & *Zaragoſa* magnam auri vim ſufficit, habetque plus quam quatuordecim millia Nigrorum, qui ex fodinis aurum extrahunt, atque his laboribus victum quæritant. Portum habet *de Onda*, quo loco Canoæ conuenire ſolent, quæ è *Cartagena lanca* magnum fluuium *Magdalena* conſcendunt. magnam deſcendentes ſufficiunt commeatus, farinæ, pecorum, caſeorum, condimentorum, electuariorum, *Pitæ*, ſtragulorum, rudentum, caligarum, auri, argenti & ſmaragdorum copiam. Domum cum remeant, vina, aliaque, quæ ex Hiſpania mitti ſolent, ſecum adſportant.

Santa Fe.

Ciuitas *Santa Fe*, vti dictum antè, metropolis eſt. Duas alias habet vrbeculas, *Sumapaz*, & *Sant Iuan de los Ilanos*. Sunt in hac candidiſſimi vultus homines. In toto hoc Regno pagi pluræque Indorum leuca vna aut altera diſſident, & propter eorum frequentiam, muſcas eos appellauimus.

Popayan.

Præfectura *de Popayan* iſtius nominis metropolim habet, aliaſque vrbes *Paſto*, *Almaguæ, Neiuam, Calocoto, Cali, Bugam, Toro, Carthaginem, Ancernam, Arnam*, *Caramantam*, *Mocoam*. Aurum hic copioſe eruitur, quod copioſius erueretur, niſi Indorum & Nigrorum paucitate laborarent hi tractus. Quod ſi in hanc & *Antiochiæ* præfecturam aliunde ſex aut octo Indorum millia conuocaret Hiſpaniarum Rex, iiſque crederentur auri fodinæ, certe publico bono hoc fieret. Epiſcopatus *de Popayan* aliam quoque præfecturam habet, nempe *S. Fe de Antiochia*, quæ vna ſui parte dominio de *Mariquita*, & præfecturæ *Carthagenæ* contermina eſt. Ciuitas *Antiochia* vrbes habet *Rodas* & *S. Iuan*. Regio montoſa eſt, auri ferax, ſed minus populoſa. Epiſcopatus ambitus 400. leucis menſuratur.

S. Franciſco del Quita.

Magna prouincia de *Sant Franciſco del Quito*, maxima ſui parte à ſoli bonitate commendatur. Eadem hic aeris eſt, quæ in Hiſpania menſe Septembri temperies, dies per totum annum noctibus æquales. Metropolis eſt *Sant Franciſco del Quito*. Quæ etiam ſedes eſt Regiæ Curiæ, judicis Politici, & Epiſcopi. Præfecturas habet has: de *Salinas* ſiue *Yaguarſongo*, *Sant Iago de las Montanias*, *Valladolid* & *Sania*. Auro affluit. Adhæc Præfecturam habet *de los Quijos*, ciuitatem *Baeſam, Auilam, Archidonam*, *Siuillam dol Oro*, *Loxibaros*, juriſdictionem (Hiſpanus *Corrigementes* vocat) *de Guayaquil*, ciuitatem *de los Puertos de Manta, la Puna*, & vrbem *los de Puerto viejo*. *La Puna* fluuium habet maiorem fluuio *la Madalena*, per quem merces ex Hiſpania *Panamam* deuehuntur, vti & in *Guayaquil* & *Quito*, aliaſque præfecturas & juriſdictiones. Aurum, argentum, quæque annonam concernunt, ſufficit. Pertinet ad Prouinciam ſupradictam juriſdictio *Merica*, à fluuio *Bamba*, & ciuitas *de Villar don Pardo*. Iuriſdictio adhæc ciuitatis *Cuencæ*, iuriſdictio de *Tacunga*, aliæque

aliæque complures pagis refertæ, in quibus Hiſpani quamplurimi rem faciunt.

In varios Indorum pagos colonos traduxerunt Hiſpani, multiſque eos villis, hortis, pecorum adhæc frequentia & ouibus locupletarunt. Et quamuis harum hic ſit ſatis magna multitudo, quatuor tamen vna regalibus venditur, vacca 24. totidemque porcus caſtratus, capra 32. pullus Equinus 16. mulus corii cauſa 10. Tanta hic horum mactatur copia, vt ſe aliquando obſtrinxerit Hiſpanus 16000. exuuias & pelles quotannis exhibiturum, idque in juriſdictione *Orobalo*. Pannorum varia hic adornantur genera, quæ mediocri quoque precio diuenduntur. Ex hac prouincia merces iſtæ in *Limam*, *Cuſco*, & *Charcas* deuehuntur, quæ propter earum abundantiam vili precio venduntur. Octo panes vnius pondo ſingulos vnico regali comparare potes, eodemque precio gallinam, capum, & cuniculorum par. Duo ſunt, quorum non euileſcit precium; nempe Vinum Hiſpanicum, cuius *quartillo* octo regalibus venditur, ſi è Lima aduehatur, ſi vero ex Hiſpania 12. Alterum quod in precio eſt, aſini ſunt, quorum vnus aliquando valuit 1500. peſos, idque propter equarum iis in locis frequentiam. Quærere vulgo ſolent, Quid cariſſimum in Quito? ad quod reſpondetur, Aſinus.

De Epiſcopatibus & Prouinciis Limæ, Cuzco, Charcas, *aliiſque Peruuiæ prouinciis.*

PEru plurimas ſuo ambitu complectitur prouincias easque tantæ vaſtitatis, vt ſingulæ in regnum ſufficiant. A ciuitate *Paſto* ad *Chilen* vſque Peruuia extenditur: Huius metropolis eſt ciuitas *de los Reyes*, alias dicta *Lima*, quo loci Pro-rex reſidet, qui à Rege Hiſpaniarum immediate conſtituitur. Erogat hic pro Rex à Quito ad Chilen vſque munia omnia & functiones publicas, præfecturas, Indorum magiſtratus, præturas, conſtituitque Iudices, ſecretarios, procuratores, vicarios in Indorum tractibus. Adhæc milites mari terraque conſcribit, & Admiralium, Capitaneos aliosque Officiales deſignat, etiam illos, qui claſſibus præſunt, & præfectum *de Callao*, & qui fodinarum curam habent, ex qua re magnum quæſtum facere poſſet, ſi mala fide agere in animum induceret. Sed hactenus per Dei gratiam probatæ fidei pro-Reges nactus eſt *Nouus Orbis*, quales fuere *Don Lodouicus Velaſco, Don Fernando de Torres* & *Portugal, Comes de Villar, Don Pardo* natus in ciuitate *Iaen*, qui familiam & ſanguinem trahit recta linea ex ipſis Portugalliæ regibus. Reſident in vrbe *Lima* Archiepiſcopus, Inquiſitio, Camera, Cancellaria, & quem *Corregidor* Hiſpani vocant, qui ex equeſtri ordine eſſe ſolet. Eſt & hic celeberrima artium, linguarum & humaniorum diſciplinarum Academia, præcipuum totius *Noui orbis* decus & ornamentum. *Peru.*

Memoratu dignum eſt, nullis in hac vrbe tectis operiri domos, licet eæ ampliſſimæ hic ſint, cuius cauſa eſt, quod pluuiarum prorſus expers ſit hic tractus. Nulla opulentior eſt in India ciuitas.

Sita eſt in Archiepiſcopatu hoc ciuitas *Truxillo*, in planicie; adhæc *Chacapoyas*, & *Guancaualica*, è quo loco omne argentum viuum, quo in fodinis *Potoſi* vti ſolent, eruitur. Etiam *Guamania* Epiſcopatus eſt metropolis, ad quam alia referuntur tum Hiſpanorum, tum Indorum oppidula & pagi. *Truxillo.*

Maxime celebris & laudatus totius Peruuiæ Epiſcopatus eſt Cuzcenſis. *Cuzco* ciuitas eſt ampliſſima & ob ſoli fertilitatem opulentiſſima. Eſt & alius Epiſcopatus, cuius metropolis eſt *Arequipa*. Ad quē & aliæ ciuitates & loca Hiſpanorum & Indorū pertinent. *Cuzco.*

Los

Los Charcas olim Epiſcopatus nunc Archiepiſcopatus eſt, diuiſus in Epiſcopatus duos, *la Paz*, & *Sierra*. Epiſcopatus *la Paz* reditus habet adeo luculentos, vt Archiepiſcopatui S. *Domingo* præſtare judicetur. Continet *los Charcas* Cameram, quæ à *Cuzco* ad *Chili* vſq; exſpaciatur, & fluuinm *de la Plata*. Hinc ad *Potoſi* vſq; octodecim numerantur leucæ. Immenſæ quotannis ex hoc monte eruuntur opes, quas in Hiſpaniam deuehunt claſſes. Supra huius montis cacumen ſuſpenſa perpetuo, etiam ſereniſſimis diebus, libratur nubes, qua veluti ſigno ac digito abſtruſos in hoc monte argenti theſauros mortalibus indicare & monſtrare voluit diuina prouidentia. In pyramidis formam aſſurgit mons, altitudine leucarum trium. Aëre cingitur frigido. Ad radicem ejus vrbs *Potoſi* jacet, quam incolunt Hiſpanorum viginti millia, fœminarum decem, Æthiopum ac nigrorum totidem, Indorum vero millia quatuor. Ambitu ſex leucarum paſcua graminea nulla reperies. Aliunde tamen importatur gramen, ligna, ſegetes, modo vili, modo caro admodum precio. Aditus in hunc montem & cryptæ ſubterraneæ tam periculoſæ ſunt vt eas ingreſſuri altaris ſacramentum ſumere ſoleant, quaſi ad mortem ituri, quia pauci remeare deprehenduntur. Edicto promulgauit Comes *de Villar*, Indis omnibus veniam concedi ac libertatem has fodinas excolendi aſſignatis ſingulis pro diurno labore regalibus quatuor. Redeunt ad Regem quotannis argenti miliones octo vel decem. Quorum redituum præcipuus autor fuit *Ferdinandus de Torres*. Prouincia *Chile* Epiſcopatus habet duos, nempe *Chiles* Epiſcopatum & *de Santjago*. Regio eſt fertiliſſima, quos profert Caſtellanos fructus, majores profert, quam ipſa Hiſpania. Auri fodinas habet plurimas, ex quibus incredibilis auri copia educi poſſet, ſi ad fodinarum operas cogerentur Indi Auracani, qui magno noſtros damno afficiunt. Etiam alios præterea Epiſcopatus habet, nempe de *Tucuman*, & de *Paragual*. Magna regionis pars montoſa eſt; & rupibus aſpera. Commeatu omnibuſque quæ ad vitæ præſidium neceſſaria ſunt, abundat. Sic ſatis quoque opulenta eſt, & veſtium precioſiſſimarum, goſſypij, ſtragulorum, flammeorum, & tunicarum muliebrium omniſque fœminei ornatus diues. Auri fodinas habet, ſed ex quibus moleſtiſſime aurum eruitur.

De Presbyteri huius in Cubam *aliosque tractus itinere.*

A *Peru* itaque in Chilen profectus, in Prouinciam *Quito* reuerſus ſum. Atque hinc in Hiſpaniam cogitans *Cartagenam* veni, vnde conſcenſa naui promontorium *San Anton* petii, prope quod naufragium feci, vti alibi dictum. Poſtea in *Cubam* veni & hinc in inſulas *Deſeadam*, *Matalino*, & *Dominicam*. *Cuba* inſula portum habet laudatiſſimum, qui tutam à maris & ventorum iniuria nauibus ſtationem præbet. Propugnaculo munitus eſt, quod *el Morro* vocant, quod partim ob ſitum, partim ob præſidiariorum frequentiam inexpugnabile eſſe creditur. Longa eſt inſula hæc 225. miliaribus, lata 37. Epiſcopatum habet cuius *Cuba* metropolis eſt. Reſidet in vrbe *S. Chriſtophori de la Hauana* gubernator & Capitaneus generalis, quo loci claſſes è Noua Hiſpania aduentantes conuenire ſolent. Etiam merces aliaque quæ è Noua Hiſpania mittuntur in hac vrbe intra ipſam arcem aſſeruantur, qualia ſunt, aurum, argentum, Cochinilla, & argentum viuum. Regio eſt fructuum mayzi, nempe & ſegetum feraciſſima. Lignorum hic & *guachapil* eſt copia. Vaccarum immenſa multitudo, quarum non carnes ſed exuuiæ & tergora æſtimantur. Porcos quoque nutrit plurimos, quorum delicatiſſimæ ſunt carnes, quas etiam ægrotis præbere ſolent.

Cuba Inſula & vrbs.

Pro-

Promontorium *S. Anton*, in altitud. 20. grad. poſitum eſt. *Hauana* vero in altitud. 53. Scatet hic mare balenis, & ambra quoque copioſe hic inventa fuit, quam ſpumam & ſordes balænarum eſſe perhibent. *Promontorium S. Anton.*

Inſula *Puertorico* à *la Dominica* 25. leucis recedit, in altitudine octodecim graduum poſita. Longitudo eius quadraginta, latitudo viginti leucis menſuratur, ambitus verò leucis centum quinquaginta. Pecorum hic ingens numerus. Saccharum quoque, aurantia & citria mala copioſe ſufficit. Triticum quoque alioſque Caſtellanos fructus cum fœnore reddit. Auri quoque hic magna vis, ſed propter incolarum penuriam non eruitur. Imo, vt quod res eſt, dicam, à fodinarum laboribus arcentur indigenæ, partim propter pericula moleſtiaſque ſummas, partim ob Hiſpanorum in illos rigorem & inclementiam. Cui rei fidem facit exemplum hoc. Quidam *Cazique* ſiue Regulus, cum de aduentu Hiſpanorum certior factus eſſet, conuocato totius, cui imperabat, inſulæ populo, oratione habita omnes credere voluit, Hiſpanos aurum pro Deo colere, ideoque vt collecto quiſque, quod habebat, auro, in fluuium *Hauanam* id omne coniiceret, perſuaſit. *Inſula Puertorico.*

Adhæc idem regulus *Hatvey* dictus, omnes juramento adſtrinxit, ne ſi vel moriendum omnibus foret, aurum proderent, quandoquidem eius amore indigenas *Altim*, hoc eſt, inſulæ *Santo Domingo* exſtirpaſſent Hiſpani. Habet Inſula hæc vrbes quatuor, Epiſcopum vnum. Tota fere horti in modum arboribus conſita eſt. Zingiber fert. A *Santo Domingo* duodecim abeſt leucis, à portu verò ad portum interuallum eſt 80. leucarum. Inſula *S. Domingo* ampla eſt, ſita in altitudine graduum octodecim. Primum hæc in *Nouo Orbe* detecta fuit, alioque nomine *Hiſpaniola* dicta fuit. Hinc reliquæ Indiæ Occidentalis partes detectæ ſunt. Agros habet fructuum & ſatorum feraciſſimos, armentorum ingentem multitudinem. Quatuor hic hominum fuere miliones, ſed indigenas nunc nullos reperias. Flumina habet plurima & vaſtiſſima. Ambitus leucas numerat ſexcentas. Fluuios adhæc auriferos habet. Maſſas auri hic reperiri perhibent puriſſimi, ab aliorum metallorum concretione ſecretas, eaſq; ponderis 3000. ducatorum. Cannas, è quibus ſaccharum extrahitur, paſſim copioſe offendas, vti & Zingiber & Caſſiam fiſtulam, & pecorum frequentiam. Si indigenis hic locus eſſet magna auri hic erui poſſet vis, magna etiam comparari margaritarum copia. Panem quem dat tellus, *yuca* vocant, nos *Cazauij*. Etiam in hanc è *Terra Firma*, ex *Venezuelæ* nempe præfectura, panis importatur.

Ciuitas *Santo Domingo* Archiepiſcopi & Cameræ Regiæ ſedes eſt. Mare hoc balænas & canes marinos nutrit. Hinc bidui itinere diſtat inſula *Nauaza* in altitud. graduum 17. poſita, vti & alia *Iamayca*. Ex inſula iſta non ſoluunt naues, niſi obſeruatis certis anni tempeſtiuitatibus. Crebræ enim ventorum & quidem aduerſantium procellæ hæc loca infeſtant. Fere in eadem eſt cum *Cuba* & *Hauana* altitud. *S. Domingo.*

A promontorio vero *de Sant Anton* recta in inſulam *Campeche* itur. Ambitus eius eſt 300. leucarum, indigenæ Chriſtianam fidem amplexi ſunt. Gubernatorem habet & Epiſcopum. Regio fœcunda eſt. Mox interiectis aliquot diebus in *San Iuan de Lua* perueni-tur, ſiue Nouæ Hiſpaniæ portum, in quem viarum maris gnari gubernatores claſſes deducunt. In locis mediterraneis ciuitas *Veracruz* occurrit, mercatura celebris, quantumvis climate ſita ſit feruido. Hinc in *Mexicum* itur, quæ ciuitas amplitudine Hiſpalin ſuperat.

Habitant in ea ciues Hiſpani 3000. multo plures fœminæ, Indi 200000. Fœminæ plures, Æthiopes ſiue nigri 20000.

Metro-

Metropolis eſt circumjacentium & longè lateque diffuſarum regionum. Sedes eſt Archi-Epiſcopi, Vice-regis, Cameræ regiæ, Concilii S. Inquiſitionis, aliorumque plurimorum Cœnobiorum & Collegiorum. Temperies eadem ferè quæ in *Peruuia*. Soli fertilitas par. Regio celebris eſt, indigenæ artium & diſciplinarum capaciſſimi, vti exemplis docebo.

Primum enim, ſummo honore Sacerdotes, Monachos, alioſque regulares proſequuntur & quoties futuræ concionis ſignum dant campanæ, curſitantes per plateas vides Indorum pueros, crucis ſigno frontem munientis, qui etiam proceſſus ſolennes comitari ſolent. E templo egreſſuris acclamare ſolent: *Benedictus ſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Benedicta eius mater Sancta Maria*, ad quas voces reſpondente Sacerdote, *In æternum*, regerunt illi: *Amen*. Etiam in tēplum eum deducere ſolent, & ſacra obeunti prompti alacreſque inſeruiunt. Eleemoſynas largiuntur liberaliter. Quin mihi Miſſam celebranti memini datos ducatos centum. Huius autem ordinis aliorumque qui religionis Catholicæ promotionem ſpectant, autor fuit *D. Martinus Cortez Marchio del Valle*, qui harum terrarū imperium tenuit. Ferunt hunc eundem Marchionem, ſi quando illi occurreret Sacerdos, fixo gradu & aperto capite ſubſtitiſſe, nec caput tegere voluiſſe, niſi poſtquam iam præteriiſſet. quin ſubinde in occurſum ibat, manuſque ſacerdotum oſculabatur & dextera ſua genua prenſabat. Cuius optimos ſanctiſſimoſque mores poſtea imitati fuere religioſe indigenæ. Etiam qui hodie ſuperſunt incolæ, multa ſe à maioribus ſuis de huius Chriſtianiſſimi Principis virtutibus per traditionem accepiſſe narrant. Quod ſi rogentur, à quo hos vel illos ritus moreſque didicerint, reſpondere ſolent, à magno & præſtanti Capitaneo *Martino Cortez*. Nec vllos ritus, quos ab hoc *Martino* acceperant, ab aliis Proregibus abrogari paſſi ſunt. Adhæc ſumma arte imagines ex plumis adornant, & ingeni ſui in iis ſpecimen ac ſolertiæ edunt. Etiam roſaria ex plumis auicularum conficiunt, intertextis artificioſe quinque myſteriis, quin & corporum formas, vultus, veſteſque, ac ſi penicillo pictæ eſſeut, exprimere norunt.

Noua Hiſpania regio vaſta eſt & latè patens. Perhibent ſeptuplo plura adhuc reſtare, nondum detecta ac cognita loca. Noſtro æuo *Antonius Eſpeio* detexit prouincias quindecim, quæ magnitudine ſua Hiſpaniam bis ſuperant. Populum hic repperit legibus viuentem nec ferum, vicos, oppida, ciuitateſque maximas, etiam domos è lapide conſtructas, quæ tribus quatuorve contignationibus in altum aſſurgebant.

Etiam ipſe variis in locis colonias fundauit, quarum opera decem prouincias aperuit, quæ ſingulæ Hiſpaniam magnitudine adæquant. Nomina earum ſunt: *Mexico*, *Mechoacan*, *Noua Galitia*, *Noua Biſcaya*, *Guadiana*, *Honduras*, *Guatemala*, *Campeche*, *Chiata*, *Guayaca*. His aliæ vndecim accenſentur, vti & *Noua Moluca*, & *Noua Francia*, quæ, ſi volet Dominus, etiam propediem colonos accipient. Tres habet Curias regias, gubernatores, *Corregidoores* ſiue Indorum præfectos, natione Hiſpanos. In aliis locis *Algaziles* ſunt ſiue prætores aut potius Baliui magni.

Aeris temperies hic ſalubris eſt, propter climatis temperiem, & frequentes menſibus Iunio Iulio, Auguſto, & Septembri pluuias. Vento perflatur huic regioni familiari, qui aeris feruorem temperat & caſtigat.

Noctes frigidæ ſunt, partim ob receſſum Solis, partim ob ventum prouincialem.

Auri & argenti ditiſſima eſt, propter fodinarum copiam, etiam cochinillam ac byſſum abundanter ſufficit, quod in *Chinam* deportari ſolet. Vigent hic

Hiſpa-

hic Hiſpanorum cum finitimis regionibus mercimonia. Et quia vberrimum hic quæſtum faciunt, ſumptuoſius quoque victitant. Vili precio annona comparatur.

Incolæ promiſſorum ſunt tenaces, fidei datæ ſeruantiſſimi. Quin horum exemplo ciuiliores redditi plurimi rapinas & latrocinia, quibus aſſueuerant ante, deteſtari cœperunt. De Hiſpanis hoc intelligi volo, qui quos deuicere Indos bonis ſuis ſpoliare ſolent, quanquam vltro iis metu maioris incommodi cedant. Narrabo quid aliquando *Cazique* ſiue Regulo cuidam acciderit, cui nomen erat *D. Gabrieli de Carabrial, de Carangue*, pago *de Otabalo*. Quærebat hic præſentibus *Gardiano* iſtius pagi & me aliiſque Sacerdotibus & laicis, ex Capitaneo *Petro de Lomelin*: Domine quamdiu durauit direptio & vaſtatio præcipuarum *Noui Orbis* ciuitatum? Reſpondit ille, octo aut decem dies. Ad quod ille, tam breue tempus? inquit. Quamdiu ergo Hiſpani Indis cohabitabunt? centum & amplius annos. *Senſus obſcurior.*

Tanta hic eſt pecorum multitudo, vt vnus ſæpiſſime mactet decem mille boues totidemque hircos, quorum tergora in Hiſpaniam mittunt. Paſcua vaſtiſſima ſunt, quæ tot armentis alendis ſufficiant. Multum hic tritici Hiſpanici, Mayzi aliorumque fructuum, qui ex Hiſpania huc aduecti ſunt, creſcit.

Arborem hic reperias *Magucy* ſiue *Cabuyam*, quæ plurima eaque diuerſiſſima ſuppeditat, nempe vinum, acetum, mel, ſtragula, fila, cuius foliorum acumina ſiue ſentes acus ad ſarciendas veſtes officium præbent, ex cuius quoque ligno cultrorum capuli & menſæ conficiuntur, vt medicinales eius vires, quas varias & inſignes habet, prætercam.

Integra hiſtoria conſcribenda foret, ſi ea omnia, quæ in *Noua Hiſpania* naturæ miracula ſpectantur, recenſere velim. A magna vrbe *Mexico* ad portum vſque *Acapulco* leucæ numerantur nonaginta, qui totus tractus incolis frequens eſt & tranquillam iis habitationem concedit. Portus iſte mare Auſtrale ſpectat, ſicuti *Sant Iuan de Lua* Septentrionale, in altitudine graduum 19.

De Peruuiæ *regno*, Chili, *aliiſque Prouinciis.*

Ciuitas *de los Reyes*, alio nomine *Lima* dicta, in altitudine duodecim graduum poſita eſt. Metropolis eſt *Peruuiæ*, in qua Camera Regia reſidet, Pro-Rex, Concilium Regium, Inquiſitio, metropolitana Eccleſia & Academia. Pro-rex præſes eſt huius Curiæ; adhæc Gubernator & Capitaneus generalis huius territorij, vti & *de los Charcas*, & *Quito*, ad quem cura etiam belli pertinet, gubernatio ipſa & muniorum diſtributio. Salarium habet quadraginta mille ducatorum, & belli ſumptus ac Officialium Regiorum ſtipendia ex ærario Regis Philippi ſoluuntur. *Ciuitas de los Reyes.*

Habet Camera & Cancellaria *Limæ*, Iudices, Baliuos, Fiſcales duos, rationibus quoque regiis Præfectos, aliosque Officiales. Territorium *Limæ* ambitu ſuo continet leucas trecentas. Suffraganeos habet Epiſcopos, *Cuzco*, *Quito*, *Panamæ*, *Chiles*, *Nicaraguæ*.

Duabus à *Lima* leucis in planitie portus eſt *de Callao*, totius maris Auſtralis præcipuus, vbi Pro-reges morari ſolent ad expediendas claſſes, quæ regios theſauros in Hiſpaniam transferre ſolent. Magna in hunc portum vndique nauium mercatus cauſa fluit multitudo.

La Plata. In ciuitate *de la Plata*, quæ in prouincia *de los Charcas* ſita eſt, ſedes eſt Cameræ & Cancellariæ, quam Præſes, Iudices, Fiſcales aliique Regii Officiales conſtituunt. Cathedralem quoque habet Eccleſiam, Archiepiſcopatum, Decanum, & Capitulum quod vocant. A *Charcas* ad *Limam* vſque leucæ numerantur 300.

Cum autem opulentiſſimus ſit Epiſcopatus *de los Charcas*, reditus habens annuos peſorum triginta mille, viſum fuit Regi approbante Pontifice, eundem in tres Epiſcopatus partiri, *los Charcas, Chuquiago*, & *Santa Cruz de la Sierra*, diuiſis quoque hunc in modum reditibus, vt *los Charcas* quindecim mille peſos, *Chiquiago* decem mille, ac Epiſcopatus *de Santa Cruz de la Sierra*, reliqua quinque haberet. Epiſcopatus *de los Charcas* Archiepiſcopatus titulo inſignitus eſt, ſuffraganeoſque habet *Chiquiaco, Santa Cruz de la Sierra*, & *Tucuman*, & *Rio de la Plata*.

Potoſi vrbs. Vrbs *Potoſi* ab vrbe *de la Plata* octodecim abeſt leucis, quæ ad radicem celeberrimi iſtius montis ſita eſt, è quo ingentes argenti opes antehac erutæ ſunt, & etiamnum eruuntur, licet magno labore & periculo; cum abſtruſa in ipſo monte centrum verſus ad 200. ſtadiorum profunditatem lateant metalla. Frequentes hic habitant Hiſpani & Indigenæ. Antehac eo ad effodienda metalla abſque ulla mercedis retributione ſe conferre cogebantur Indi. Verum poſtquam conceſſa vnicuique libertate ſua mercedem operantibus aſſignauit *Comes del Villar, Don Pardo*, maiores ex hoc monte ad Regem redierunt opes ac theſauri.

Vt autem labores felicius ſuccedant, & argenti maſſæ facilius tractari ac ſubigi poſſint, oportuna valde eſt pluuia, quæ circa Feſtum Natiuitatis Dominicæ ex hoc monte labitur, quo aquarum decurſu officium ſuum recte faciant Metallorum molæ. Atque hoc quidem tempore huc ſe conferre ſolet Prẹſes *de los Charcas*, aut Iudicum aliquis, vt ad Indorum operas attendat, quo parata omnia ſint & expedita menſibus Februario & Martio, & in *Limam* transuectari poſſint. Ideoque ad duo attendendum Præſidi. Primo vt pluuiarum & aquarum oportunitatem captet. Deinde vt argenti viui accuratam habeat rationem, cuius beneficio maior argenti vis habetur, quam ſi eo deſtituantur. Horum neglectu accidit interdum, vt ſerius parata eſſent omnia, ideoque neceſſe haberent maiori labore & moleſtia partim terreſtri itinere, partim mari tranſportari, & tranſmiſſa è portu *de Arica* ad *Callao de Lima* vſq; tranſuehi, hinc *Panamam, Panama* ad *Puerto Belo*, quo loci claſſes Regis merces omnes & regias gazas excipere ſolent.

Fodina Oruto. Sita quoq; eſt inde prouincia *de los Charcas* ciuitas *Sant Philippe de Auſtria*, quæ aurifodinas habuit Ingarum tempore, quæ hoc ſexennio excultæ ſunt & effoſſæ opera & ſtudio *D. Emanuelis de Caſtro* & *Padillæ* iudice *de los Charcas*, quo munere nunc in ciuitate *Lima* fungitur. Magnã hic argenti vim eruit, quod tamen argenti viui penuria magna ſui parte à reliquorum metallorum concretione vindicari, ac purgari non potuit. Alii hoc factum aiunt, ne fodinarum de *Oruto* celebritas incolas *Potoſi* huc inuitaret.

Guacauelica. Sita etiam eſt in *Limæ* diſtrictu *Guacouelica*, quo loci opulentæ ac diuites ſunt argenti fodinæ, ex quibus quotannis exſtracta ſunt octo mille quintalia. Quidam tamen montes collapſi fodinarum cuniculos obſtruxerunt, maximo totius *Peruuiæ* damno. Verum Marchio *de Monteſclaros* ingens quod imminebat damnum ad animum propius reuocans, huic malo omnibus modis & ſtudiis obuiam iuit, vt copioſe hic iam rurſum eruantur metalla & priſtinæ integritati reſtitutæ ſint fodinæ.

Ciuitas Quito. Ciuitas *S. Franciſci del Quito* ſub Æquatore jacet, ſolo fertiliſſimo, & mira aeris temperie, trecentis à Lima leucis. Sedes hæc eſt Cancellariæ, quæ præſidem, fiſcalem alioſque regios Officiales habet, adhæc Cathedralem Eccleſiam, Epiſcopum, Decanum,

Capi-

Capitulum,& ſtudioſorum ſeminarium. Territorium huius Curiæ ad ducentas & ſexaginta leucas exporrigitur. Prope vrbem montes ſunt plurimi ardentes. Nulla hanc regionem affligit fames, Ideoque augetur indies ac accreſcit incolarum multitudo.

In ciuitate *Santa fe de Bogoto*, in Nouo Regno Granatenſi Cancellaria eſt, cui præeſt gubernator & Capitaneus generalis, cuius eſt, ad ea quæ politiam, iuris adminiſtratio-nem, & munerum ac beneficiorum collationes concernunt, attendere. Iudices ad hæc, baliuos, fiſcalem, janitorem magnum, aliosque officiarios habet. Sedes adhæc eſt Metropolitanæ Eccleſiæ, Archiepiſcopi, Decani & Capituli. Clima hoc peculiare eſt, multis obnoxium diſſenſionibus & primatum diſſidiis. triginta & amplius annis in hac Camera nulli præfectorum viſi ſunt, niſi vel mortui, vel vincti, aut publica aliqua notati infamia. Conſtituit vero Senatus, vt diligenter in huius Cameræ res inquireretur, miſſis eo variis delegatis, verum re infecta reuerſi ſunt, propter incarcerationes crebras & frequentia latrocinia. Diſtrictu ſuo continet magnum fluuium *la Magdalena*, è quo Cartagenam proficiſcuntur, & per quem merces in penitiores ac mediterraneos tractus vectæ hac illac diffunduntur. Auri & argenti fodinis locuples eſt. Regio eſt temperata, & in qua vilior eſt annona. In prouincia *de los Muſos* ſmaragdorum fodinæ reperiuntur. Suffraganeos habet Epiſcopos *de Popayan, Carthagenæ, & Santæ Martæ*. Ciuitatem iſtam expugnauit & colonis inſtruxit, vti & totum *Regnum Nouum Granatenſe*, Archithalaſſus *Don Gonzalo Ximenes de Quoſada*, natione Granatenſis. *Santa Fe de Bogoto.*

In regno *Terræ Firmæ* ciuitas *Panama* occurrit, ſedes Cancellariæ, in qua Præſidem agit gubernator & capitaneus generalis. Iudices habet, qui ipſius Curiæ ſunt *Algaziles* (*prowooſten*) Fiſcalem, regioſque officiales. Cathedrale habet templum, Epiſcopum, Decanum & Capitulum. Regionis temperies calida eſt & humida. Eius littora ferit mare Auſtrale. Atque hinc è Peruuia aduectæ merces ac theſauri in *Portobelo* tranſuectantur, vbi claſſium ſolet eſſe ſtatio. Inter mare Auſtrale & Septentrionale interiecta terræ ſpatia octodecim leucis menſurantur, viaque quæ per hunc Iſthmum ducit, moleſtiſſima eſt & pene inuia. E *Puerto Belo* Carthagenam abeunt claſſes, hinc *Hauanam*, hinc in Hiſpaniam. *Panama.*

Ciuitas *Cartagena* in *Terra Firma* ſita eſt. Primum hic ex Hiſpania aduentantes claſſes, appellunt, merceſque ſuas, quæ non Cartagenæ ſolum ſed & per vniuerſum Nouum regnum Granatenſe diſtrahuntur, exponunt. Reſident hic gubernator & Capitaneus generalis, qui ad ciuitatis ſecuritatem præſidiarios hic habet milites. Cathedralē habet Eccleſiam, Epiſcopum, Decanum, & Capitulum, Iudices, regioſque Officiales. Habitata eſt regio ad leucas 1200. ad Chilen vſque. *Cartagena.*

Inſula *de la Hauana*, quæ alio nomine *S. Iago de Cuba* vocatur, trecentis leucis menſuratur. Gubernatorem habet, Capitaneum generalem, officiales regios, militem & propugnacula munitiſſima. Adhæc Eccleſiam Cathedralem, Epiſcopum, Decanum & Capitulum. In portu hoc conuenire ſolent totius Indiæ claſſes, ſibique de commeatu aliiſque ad iter neceſſariis proſpiciunt. Solet autem iter hoc confici duobus menſibus niſi forte in *Terceram* excurrere ac deflectere libeat. Triginta à *la Hauana* leucis Canalis *de Bahama* incipit, in quo maris æſtus rapidiſſimus eſt & nauigatio aduerſantibus ventis periculoſiſſima. Ab alia parte *Florida* jacet, quæ gubernatorem militeſque habet. *la Hauana.*

Inſula de *S. Domingo*, quam *Hiſpaniolam* vocant, Cancellariam habet, cui præſidet loci gubernator & Capitanes generalis, qui hanc ipſam inſulam milite præſidiario arcibuſque munitis tuetur. Iudices quoque habet regioſque officiales, Eccleſiam metropo- *Hiſpaniola.*

tropolitanam, Decanum & Capitulum. Suffraganeos habet Epiſcopos *la Hauana, Puerto Rico*, & *Venezuelæ*. Regio calida eſt, & indigenis prorſus deſtituta. Opera & miniſterio Nigrorum vtuntur. Angli & Belgæ indigenas huius inſulæ captiuos auferre ſolebant, cui malo longo annorum decurſu obuiam iri non potuit, donec viſum fuit indigenas alio transferre.

Chili. Regnum *Chiles* ampliſſimum eſt. Pauci hic ſunt Hiſpani, ſi Indorum conferre velis multitudinem, qui continuis bellis tam dextrè arma, gladium nempe & haſtam tractare didicerunt, vt nec Hiſpanis nec Belgis cedant. Equitum habent magnam copiam, quorum ſex aut octo millia vnam turmam conſtituere ſolent. Camera præſidem habet, & regios officiales. Epiſcopatum habet geminum, Vnum in ciuitate *Sant Iago*, alium in ciuitate *la Conception*. Qui Chilenſib. ſubſidio mitti ſolent, inuiti ac coacti eò abeunt, cum redire ipſis non liceat, & ſtipendia vix accipiant. Regio hæc pauperrima eſt, vt vix alendis incolis ſufficiat. A multis hoſtibus impetitur, quibus arcendis vix par eſt. Mari Auſtrali & Freto Magellanico terminatur. Qui Fretum hoc tranſire ſolent piratæ multis ſuorum deſideratis in *Chilen* ad corporum refectionem appellunt, & quia itinere confecti ſunt, obuia quæque vaſtant, ſpoliant, & diripiunt.

Tucuman. In prouincia *Tucuman*, quæ ad territorium Cameræ *de los Charcas* pertinet, reſident Gubernator, Capitaneus generalis, & Epiſcopus. Cathedrali quoque Eccleſia celebris eſt. Regio eſt inculta & pauperrima. Per eam curru iter confici ſolet. Vna ſui parte Chile contermina eſt, altera vero fluuio *de la Plata*, & *Buenos ayres*.

Rio de la Plata. Prouincia fluminis *de la Plata*, alio nomine *Buenos ayres* dicta, gubernatorem habet & Capitaneum generalem, Cathedralem Eccleſiam, Epiſcopum, & Officiales regios. Portus *del Rio de la Plata* mare Septentrionale reſpicit, & in illud excurrit, multiſque è *Lisbona* & *Braſilia* aduenientibus nauibus frequentatur. Breuiſſimo tempore è Lisbonenſi flumine in hunc fluuium traiiciunt, & ne Indica commercia damni quidquam patiantur, aliis nauibus eò mercatus cauſa proficiſci non licet. Diſtat tractus *de la Plata* à *Potoſi & los Charcas* quadringentis miliaribus, Chileque conterminus eſt. Ab eius portu in *Fretum Magellanicum* itur. Maior eſt fluuius hic Nilo. A parte eius Auſtrali regiones jacent, quæ ad Fretum vſque excurrunt, & loca à gigantibus habitata.

Santa Cruz. Habet & prouincia *Santa Cruz de la Sierra* gubernatorem, Capitaneum generalem, & Epiſcopatus *de los Charcas*, vti dictum ſupra, partem. Sita eſt in confiniis Indorum, cum quibus perpetuo belligeratur, quorum quidam *Chiriguanaes* Indi, alii *Moios* dicuntur, qui trans Cordilleras habitant. Nulla hic adhuc fundata eſt Cathedralis Eccleſia. Incolæ, quia continuis bellis vexantur, pauperrimi ſunt.

Popayan. Præfectura de *Popayan*, quæ inter *Quito* & nouum regnum Granatenſe jacet, gubernatorem habet, Capitaneum generalem, Cathedralem Eccleſiam, Epiſcopum, auri fodinas, & indigenas rariores. Sita eſt in confiniis Indorum *Piraos*, cum quibus bella gerit.

De regimine Indiarum *in genere.*

DVplex in India hac Reſpublica conſpicitur, Vna Hiſpanorum, altera Indorum. Prior eundem, qui in Hiſpania viget, obſeruat politiæ ordinem, & quæ ad regimen ſpectant, prouinciarum, curat, vtens opera & miniſterio Indorum. Etenim Hiſpani hic loci nec aratro terram ſcindunt nec fodinas ipſi excolunt, præcipue in iis locis, in

quibus

quibus nobiles & quaſi equeſtris ordinis viri audiunt. Imo vix hic vllum inuenias Hiſpanum adoleſcentem, qui in alicuius ſe, præterquam Pro-regis, miniſterium addicat. Verum cum mercatoribus agunt, & officinas aperiunt, in quibus edulia veſteſque Hiſpanorum more confectas diuendunt. Etiam reditibus regiis, ac præſidiariis militibus præficiuntur, vti & fodinarum foſſoribus. Vbi vero rem fecerunt, in Hiſpaniam, ſi volent, remeant, & ad capeſſenda munia dignitateſque promouentur.

Altera Reſpublica Indorum eſt, qui Catholicam religionem & ſacroſanctam Euangelii doctrinam amplexi ſunt, ad verbi diuini auditum ſe conferunt, & quæ cultum diuinum concernunt religioſe obſeruant, idque Epiſcopi aliorumque religioſorum opera & ſtudio. Quanquam vero communi in hoc Regno vtantur lingua, nempe Ingarum, quæ in his locis familiaris eſt incolis, vti inter nos ſermo latinus, tamen & illam & ſingularum prouinciarum propriam callere debent doctores, & qui ſacra hic obeunt Eccleſiaſtici. Et ſicut prouinciarum in Nouo orbe infinitus eſt numerus, ita & linguarum.

Indi abiecto ſunt animo, puſillanimes & degeneres, vt mirum ſit præclari aliquid ab ipſis præſtari. Dies feſtos, Sacramenti, Paſchatis, & *S. Iohannis*, ſaltationibus, muſicæ cantu & proceſſibus, celebrant & in templis, quæ ad feſtorum ſolennitatem faciunt, religioſe & ſtudioſe obſeruant. Die Iouis qui Paſcha præcedere ſolet omnes caſtigantur. In obſeruandis fraternitatibus ſeduli ſatis ſunt. Quin die certo bonorum omnium ſuorum & poſſeſſionum, quas vel domi vel in agris habent, rationem reddere coguntur. Mortuos ſuos cum ſepeliunt miſſas celebrari curant.

In vniuerſum ingenioſi ſunt, mendaces, & potatores ſtrenui. In locis ſecretioribus ac diuerticulis conuenire ſolent ad bibendum, in quibus dies tres, quatuorve, interdum ſeptimanam integram bibendo & comeſſando tranſigunt. Germanos gulæ intemperie vincunt. Valde in corrigendo hoc Indorum vicio laborant Magiſtratus. Eodem quo Æthiopes modo conuiuia ſua celebrant, per aliquot dies genio indulgẽtes, & cantu choreiſque alii alios detinentes. Atque his ritibus ſe pro mortuis orare dicunt, ſed meo iudicio carni ac gulæ turpiter litant, & in certiſſimum diſcrimen valetudinem ſuam adducunt.

Comeſſationum vero finem non faciunt, niſi abſumptis iis quæ in lucro habebant repoſita, nec ante ad labores ordinarios redeunt, niſi vbi quod profundant, non habent, aut ad operas intermiſſas à Dominis ſuis adigantur. Quas didicerunt artes magna induſtria & ſolertia excolere ac tractare norunt, etiam ſi ſcribendum aut legendum ſit, quod tamen diſcere iis non conceditur. Inter Indos viuunt Indo Hiſpani, *Nigri* & *Mulatæ*, qui peſſime hic habentur.

Tenentur quotannis Indi Præfectis ſuis pendere certam argenti menſuram aliarumque rerum tributum, ad quod tenentur quotquot decimum octauum annum exceſſerunt, nec quinquageſimum adhuc ſuperarunt. Redeunt hæc tributa ad Commendatorem, cui in duas vitas hoc beneficium conceditur, ea lege, vt ex iiſdem reditibus alat Presbyterum, & quem *Corrigidor* vocant, decimaſque Eccleſiarum ſoluat.

Quæ quiſque in India obit munia, in duas vitas obit. Primum enim quoad munere fungitur beneficiis fruitur. Secundo filij aut filiæ natu maximæ, poſt obitum parentum iiſdem gaudent. Et ſi vxore careat, exacto biennio ad Regem deuoluitur dignitas. Cuius nomine alius dignitate iſta per prouiſionem fungitur, donec iuſto titulo ſurrogatus fuerit alius, idque à prorege aliiſque gubernatoribus & Capitaneis generalibus, niſi forte ab ipſa Curia conſtituantur. Rex & concilium in plures annos munia interdum

conferunt in filios. Contractus & negotiationes *Corrigedorum* inter Indos legibus rigidis vetitæ ſunt, cum conuerſionem ac inſtitutionem Indorum non parum remorentur; vtpote qui negotiis occupati *Corrigedorum* proprias res negligunt, vſque adeo vt ſoluendis tributis non ſint pares. Pro-reges & Concilium leges ac edicta formarunt, quæ ſe obſeruaturos juramento promiſerunt.

Conſtitutum quoque eſt in omnibus Curiis, vt quotannis Iudex aliquis in territorium ſuum ac diſtrictum mittatur, qui Indorum loca, ac in quibus habitant vicos viſitet, & num tributa ſua pendant, num per facultates luculentiora pendere poſſint, inquirat, vtque communi omnium grauamini occurrat, ne ſuperſtites pro mortuis ſoluere teneantur, præſentes pro abſentibus, ſenes pro iunioribus. Adhæc, vt obortas inter Indos & Hiſpanos controuerſias decidat, & qua ratione inſtituti ſint, ac in grauiter præuaricatos animaduerſum cognoſcat. Mittere ſolet Pro-rex, qui quid agant Indi ſciſcitentur. In Cameræ vero *del Quito* diſtrictum miſit Marchio *de Montes claros, Don Diego, Vaca de Vega*, virum ſingularis ingenii & prudentiæ.

Magnus in India eſt Hiſpano-Indorum numerus, qui ex Hiſpano patre & matre Inda nati per hos tractus inopes & omnium egeni vagantur, nec ad vllas artes mechanicas addiſcendas animum adiiciant.

Cum autem ocia dent vitia, ac peccandi commeatum hominibus faciant, non parum ad huius Imperij felicitatem conduceret, ſi illi ipſi errones authoritate magiſtratus ad labores compellerentur, aut ad ſtiuam ac raſtra, aliaque officia ablegarentur. Conſtitutum eſt à Rege, vt Indi quibus ſtipendia aut pro præſtitis officiis merces ſalariumque debetur, id ipſum à Curiis per Fiſcalem petant, exhibita operarum ſuarum & impenſi laboris declaratione. In quo caſu Curiæ officium erit inquirere diligenter in horum munia, ac merita, quæ Curia rem omnem ad Concilium Indicum perſcribit, & tandem ex Concilio Regis præmia bene meritis rependit.

Qui ex India in Hiſpaniam traijciunt, quod prætendant, habent. Partim enim terreſtri partim maritimo itinere 3000. leucas conficiunt, magnis impenſis, & ob aeris varietatem ac maris tempeſtates maximis periculis obiecti.

Numerus Doctorum. Concilium in ciuitate *Lima* celebratum Anno 1583. Seſſione tertia capite 22. à Pontifice & Rege noſtro approbato, decreuit, vt quibuſcunque in locis cœtus Indorum reperiuntur, mille hominum numero conſtantes, iis doctor ac Presbyter præficeretur, quod in variis obſeruatum hactenus prouinciis.

Solent Indorum Presbyteri religioſos plurimos ſumptibus Regis ſecum adducere. Quin ex conſilio Epiſcoporum Supremum Indiæ Concilium patribus Ieſuitis imperat, vt plurimos eo religioſos mittant, quoties claſſes ſoluunt, cum ad ſubleuandos Epiſcoporum labores eorum præſentia quam maxime opus ſit, in tam vbere ac fœcunda Euangelium indies amplexantium Indorum meſſe.

De Epiſcopatibus aliiſque negotiis politiam concernentibus.

De reditibus Eccleſiaſticis. Reditus ac decimæ Epiſcopatuum, in quatuor partes diuiduntur, quarum prima Epiſcopo cedit, ſecunda Decano & Capitulo, ita quidem vt Decanus 150. ſibi habeat, & qui dignitatibus funguntur 130. Canonici vero 100. Tertia & quarta pars in nouem portiones (*Nouenos* vocant) ſubdiuiditur, quarum duæ partes ad Regem redeunt, & in Cathedralium Templorum ſtructuras impenduntur, nona vero & dimidia pars in fabri-

fabricas, alia nona pars cum dimidia in Hoſpitalium ac Xenodochiorum exſtructionem, reliquæ quatuor de nouenarum ſumma, Vicariis Cathedralium Eccleſiarum ſoluuntur, cantoribus, Organiſtis, aliiſque templorum miniſtris. Quæ ſuperſunt in fabricas impenduntur. Atque hæc omnia ex præſcripto Epiſcoporum erogantur. At meo quidem iudicio vtiliſſimum foret, ſi Epiſcopatus ſinguli Seminaria ac Collegia haberent, in quibus *Caziquarum* ſiue Regulorum aliique primorum filii educarentur, qua in re optimam operam nauare poſſent patres Ieſuitæ. Reditus ad hoc neceſſarii, ex Indorum pagis aut ab ipſis *Caziquis* peti poſſent.

Ampliſſimi ſunt Epiſcopatus *del Cuzco, Lima,* & *Quito,* longe lateque diffuſi, viaſque habent impeditas valde, vt à Prælato difficulter tranſiri poſſint. Epiſcopatus *del Cuzco* longitudinem habet leucarum 200, latitudinem 70. Epiſcopatus *Limæ* altera parte maior eſt, vti & Epiſcopatus *del Quito*. Ideoque Epiſcopi *Noui Orbis* Regi Hiſpaniarum ſcripſerunt, vtiliſſimum ſibi videri, ſi in minores Epiſcopatus diuidantur, quorum ſinguli tamen ſibi ſeruabunt 20000 peſos. Sed quia hæc rempublicam & politiæ ordinem concernunt, monuiſſe & attigiſſe ſufficiat.

Cum diuino iure exigantur agrorum decimæ, non ſolum ab Hiſpanis in India viuentibus exigi debebant, ſed & ab Indis ipſis, quæ res quam maxime faciet ad promotionem cultus diuini, & Eccleſiarum conſeruationem, amplificationemque.

Concilia ſiue Synodi prouinciales in Peruuia vt plurimum celebrantur ſingulis ſeptennii, ad quas Metropolitanus alios Epiſcopos conuocat, qui partim terra partim mari ſe in viam dant, & ſubinde 400. ac 600. leucas conficiunt, priuſquam ad deſtinatum locum perueniant, contemptis viarum, quæ currus non admittunt, difficultatibus, aliiſque periculis.

In quibuſdam Indiæ locis Academias erigi quidam poſtulauerunt, quod maxime vrſit Epiſcopus *del Quito*, hac de cauſa, quod trecentis à *Lima* abeſſet leucis, vaſtiſſimaque terrarum ſpatia ambitu ſuo complecteretur, & quidem ſpeciatim prouincias ac præfecturas, quæ inter *Quito* & *Terram Firmam* ac *Nouum regnum* poſitæ ſunt. Accedebat & hæc cauſa, quod regio hæc ſaluberrimo aere frueretur, ſtudiiſque eſſet aptiſſima, ac commeatu omni afflueret. Quod ſi tamen omnium facultatum profeſſionem impetrare non poſſet, Grammaticæ ſaltem, artiumque liberalium, Theologiæ, caſuum conſcientiæ & linguæ Indicæ ſibi publicam profeſſionem concedi, petiit, quarum omnium diſciplinarum Profeſſores ac Doctores 4000. aut 5000. mille ducatis annuis ali poſſent.

Cum Peruuiæ imperium teneret *D. Franciſcus de Toledo*, poteſtatem à rege accepit, tam pacis quam belli temporibus quibuſdam conferendi honorum certa inſignia, ac certum veſtimenti genus, quod *habitos* trium ordinum vocant, quia primariæ vrbes *Lima, Quito, Cuzco, Charcas, la paz,* & *Potoſi* aliæque, hoc factitant, vt honorum incitamento alii ad res præclaras gerendas excitentur.

Eccleſiaſticos quod attinet, ſunt inter eos viri doctrina & virtute eximii, qui ſe totos Indorum inſtitutioni dare ſolent. Et quanquam à gente tam barbara & rudi vix quicquam bonæ frugis ſperari poſſe videatur, & minus idonei ad capeſſenda ſtudia eſſe credantur, tamen longe aliter ſe res habet, vti teſtantur illi, qui αὐτόπται ſunt & cum Indis quotidie familiariter conuerſantur, nec dubium eſt, quin plurimi viri eruditi ac doctrina inſignes partim è ſuggeſtu in templis, partim in ſcholis doceant.

De amplitudine & opibus Nouæ Hiſpaniæ *& Chriſtianiſmi in eadem incrementis ac ſucceſſibus.*

De Noua Hiſpania.

DE *Noua Hiſpania* dicturus, hoc ſcire velim lectorem, indigenas eius Peruanos ingenii dexteritate ac ſolertia ſuperare, quod variis experimentis ac indiciis comprobatur. Exemplo ſolummodo ſint imagines ex plumis auium diuerſi-coloribus confectæ. quæ artificioſa eorum manu ita diſponuntur, vt vultus ac ora hominum ad viuum exprimant, ac ſi penicillo depictæ forent. Tanta huius imperii eſt vaſtitas & amplitudo, vt mirum ſit tam pauca Hiſpanorum militum manu, eam ſubigi potuiſſe, qua in re perſpecta eſt *Ferdinandi Cortezÿ* fortitudo bellica, & in Deum ac religionem pietas. Iiſdem, quibus ciuitas *Lima*, etiam *Mexicum* dotibus excellit, quanquam triplo illa maior ſit, licet opibus non adeò locuples. Prorex & Curia regia illius ditioni præſunt. Alias Hiſpanorum ciuitates ſibi ſubditas habet, vti vrbem *de los Angelos*, aliaſque. In multas leucas exſpaciatur, plurimaſque prouincias ambitu ſuo continet, quarum principales ſunt: prouincia *de Mexico*, omnium præcipua, *Honduras*, *Campeche*, *Chiapa*, *Guajaca*, *Mechoacan*, *Nuevagalitia*, *Nueva Vizcaya*, *Guadima*, *Guatemala*, quæ omnes ſoli fœcunditate celebres ſunt, incolis frequentes, & annonæ copia abundantes.

Guatemala.

Guatemala ſedes eſt Cameræ, cuius præſes gubernator eſt & capitaneus generalis, Indis imperans, cuiuſque iudices *Algaziles* ſunt. Regios adhæc habet Officiales, Epiſcopum, Cathedralem Eccleſiam, Decanum & Capitulum. Continet hæc prouincia & ſuum & alios adhuc diſtrictus. Soli bonitas commendatur. Annona quoque hic vilior, vti in *Mexicano* tractu.

Galiſco.

In *Galiſco* Camera eſt regia, præſidem habens & Capitaneum generalem, iudices, Epiſcopum, & Cathedralem Eccleſiam.

Præfecturæ *Iamaicæ*, *Veraguæ*, & *Nicaraguæ* aliæque Gubernatorem habent & Capitaneum generalem, ærarium regis & Officiales, ad eandem quam habet præfectura de *Popayan* formam. Fodinas habet auri, argenti & aliorum metallorum. Non minus frequens eſt incolis *Noua Hiſpania*, quam *Peruuia*. Magna Chriſtianorum hic viuit multitudo, plurimique adhuc detecti ſunt tractus, ſed nondum in prouinciæ formam redacti. Media fere ſunt ſeptem, quibus horum regnorum ſtatus conſeruatur, quorum caput eſt fides Catholica. Sunt autem illa; Bellum ſiue arma, Reditus, prudens gubernatio, Iuſtitiæ vigor, Honoraria, fauores & jura patronatus.

De Concilio Indico.

In Concilio Indico omnia illa ventilantur, quæ diſtincta ad hanc vel illam Curiam pertinent, cum in India Curiæ omnes parem habeant & æqualem poteſtatem. Quin etiam illa, quæ ad conſeruationem, amplificationem, ſecuritatem, incrementum *Noui Orbis* & prouinciarum faciunt: vti ſunt Nouarum Terrarum expugnationes, nouarum legum formationes, redituum continuatio, agrorum cultura, & quæ ſunt alia. Etiam in eodem Concilio agitur de rebus bellicis, formandis exercitibus, conſcribendo milite præſidiario, de Admiraliorum, Magiſtrorum *del Campo*, capitaneorum aliorumque ſiue terra ſiue mari militantium Officialium electione, de propugnaculorum ac claſſium commeantium ac remeantium ſecuritate, de gerendis cum Indorum gente bellis, qualia adhuc geruntur in regno Chiles, Præfectura *de Santa Cruz de Sierra* cum finitimis Indis, *Noios* & *Chiriguænaes* aliiſque trans *Cordilleras* habitantibus, etiam in prouincia ſmaragdorum & *Cucumbios* & *Quito*, inque

De Bello.

India

India *Papaos*, præfectura *Popayan*, aliiſque locis, in quibus Indi *Cerribes* maritima loca nauibus infeſtantes degunt.

Reditus quod attinet, illud certò conſtat, quotannis ex India Occidentali ad Regem redire decem ac duodecim milliones, idque ſpeciatim ex auri, argenti, margaritarum, ſmaragdorum, pellium, ſacchari, cochinillæ, lignorum, ſarzæ, zingiberis, aliarumque rerum prouentu. *De Reditibus.*

Decem modis hi reditus colliguntur, aut potius ex decem capitibus procedunt: Ex quinta auri & argenti: ex magnis fuſionibus; ex vectigalibus ac portoriis: ex tributis Indorum: ex officiis ſiue muneribus venditis: ex *Cruzada*: ex tributo redituum: ex argento viuo: mulctis Camerarum: & nona parte redituum Eccleſiaſticorum.

Regimen Indiarum quod attinet, eius quoque cura ad Senatum Indicum pertinet. Nam quæcunque hic geruntur res aut Eccleſiaſticæ ſunt, aut ſeculares, maxima hic negociorum occurrit moles, ſiue variæ multorum legendæ ſint litteræ, ſiue formanda edicta, ſiue concedendæ prouiſiones, quas vocant. Et quia edictorum accreſcebat ſupra modum numerus, jamque diſplicere hic cœperat, decretum à Senatu, vt ea omnia in vnum corpus colligerentur, vti in Caſtilia factum. Et quanquam *N. de Eurinas* rem hanc aggreſſus ſit, nihilominus quatuor libris ſumma diligentia & ſtudio conſcriptis hoc ipſum argumentum tractabit Licentiatus *Zorilla*, iudex *de Quito*. *De regimine.*

De iis, quæ iuſtitiam ac ius concernunt, decernere ſolent Viſitationes & Reſidentiæ ad Pro-regum curam pertinentes, Præſides, Iudices, Miniſtri & Curiarum Officiales, Gubernatores, Capitanei generales, *Corregidores*, & quibuſcunq; Regii reditus commiſſi ſunt, Procuratores, Theſaurarii, & rationibus Præfecti, pertinent huc cauſæ, quæ ſecundam ſupplicationem flagitant, aliaque quæ præfecturas & Indorum in ſuis tractibus regimen concernunt. Conformia autem ſunt iura hæc Mechlinienſi Curiæ, auditis enim partibus aduerſis & examinatis hinc inde vtriuſque documentis, citatiſque actore & reo, iamque lite deciſa inſtrumenta authentica ad Concilium mittuntur, ibidemque peremptorie determinantur. *De Iuris administratione.*

Etiam de conferendis pręmiis & fauoris caſibus hic agitur, quia ex eiuſdem Concilii arbitrio conſtituuntur Pro-reges, Præſides, Iudices, Baliui, Officiales, aliique Gubernatores, Capitanei generales & Corrigidores. Etiam qui forenſibus muniis funguntur qui reditibus præfecti ſunt, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Decani, & quotquot Eccleſiarum prębendis gaudent Canonici, & ſi qui vel Hiſpanis vel Indis præſunt Officiales. Penes idem Concilium eſt alia honorum inſignia in benè meritos conferre, qualia ſunt *Habitos* trium Ordinum, *de Sant Iago*, *Calatrata*, & *Elcantera*, tituliqueThalaſſiarcharum & Mareſchalcorum. *De præmiis & honorariis.*

Ea quæ Regii ſunt iuris, ſiue iura patronatus, in eodem quoque Concilio tractantur, conſtitutumque, vt Indiarum patronus ſit idem Rex, ac *Noui Orbis* ſibi vindicet imperium. Vtque litteræ & Apoſtolicæ Bullæ, omniumque beneficiorum tam Eccleſiarum quam ſecularium collationes regio patronatui, ac fundationibus Eccleſiarum, Cœnobiorum, Parochiarum, & Noſodochiorum non præiudicent. Quod ſi contingat munus aliquod vacare, Epiſcopi erit hoc ipſum publico programmate ſignificare, & ex eorum, qui munus ambiunt, numero duos magiſtratui ſiſtere, ſiue is Pro-rex ſit, ſiue Pręſes, ſiue huius vel illius prouinciæ Magiſtratus, quo ab his vnus eorum eligatur, non *titulo perpetuo*, ſed prouiſionaliter & ſub formula *ad nutum mobile*. Illum enim conferre Regis eſt. *De Regis patrocinio.*

Bullæ quoque omnes & litteræ, aliaque quæ Romę concipi debent diplomata, ad Sena-

Senatum Indicum perferuntur, nec in India obtinent, niſi prius in Senatu examinata & probata fuerint, & ſi qua in iis fiat mutatio, ea de re certior redditur Pontifex.

Quare vt relicta India in Hiſpaniam tranſmigrem, hoc aio, ex nulla re illuuriora potentiæ *Noui Orbis* documenta percipi poſſe, quam ex intuitu *Domus Contractuum*, quæ Hiſpali eſt, quæ Præſidem habet, Quæſtorem, rationum Magiſtrum, Procuratorem, Iudices, Fiſcalem. Penes Præſidem eſt curare ea, quæ ad expediendas claſſes Indicas faciunt. Quotannis autem ſeptem aut octo naues præſidiariæ exſtruuntur, quæ *Terram Firmam* petunt, & aliquot *Pataches*, quæ opes regias ex India transvectant. Hæ naues Generalem habent, Admiralium, & Duces aliquot peditum, à tormentis alioque apparatu bellico inſtructæ.

Tria monebo & finem faciam. Primum eſt maxime idoneum & oportunum in Indiam commeandi & remeandi tempus eſſe Menſe Februario & Martio.

Alterum eſt, claſſes, quæ *Terram Firmam* petunt, menſe Ianuario, aut vno menſe antequam naues actuariæ ſoluant ventos Orientales nanciſci.

Tertium eſt, naues præſidiarias ſoluere è portu *S. Lucar*, aut ſinu *Gaditano*, & in conſpectu *Canariæ* nauigare, atq; hinc curſum dirigere verſus Indiam, donec in conſpectum ſe dent *Dominica* & *Matalena*, quæ ab Indis quibuſdam nondum domitis inhabitantur. Atque hic ſibi de aqua recentiore proſpiciunt. Mox recta *Cartagenam* petunt, lecto ferè *Terræ Firmæ* littore, quæ primum detecta fuit. Hinc in *Porto Belo* aliaque loca itur; quod ipſe teſtari poſſum, qui ſuperatis variis & maris & terræ periculis hæc loca peragraui, non ſine gratiæ Diuinæ ope, quam per ſanctæ Crucis merita implorabam ſemper. Ideoque gratitudinem aliquo officio teſtaturus, hæc breuiter litteris exaraui. Faxit Deus, vt hoc opuſculum aliaque noſtra ſtudia ad Eccleſiæ ſuæ ædificationem & nominis ſempiternam gloriam cedant.

FINIS.

BREVIS

BREVIS
ac Succincta
AMERICAE
SIVE
Noui Orbis omniumque quæ in eo ſunt regionum hactenus exploratarum deſcriptio,

Excerpta è
TABULIS GEOGRAPHICIS,
P. BERTII.

QVinam hanc orbis partem perpetua temporum ſerie incoluerint, plane incertum eſt: nos de hac re nonnihil in medium protulimus, quum de terrarum orbe diceremus. Marinæus Siculus in Chronico ſuo Hiſpaniæ contendit, loca iſta olim Romanis luſtrata & cognita fuiſſe, ex eo quod nummus antiquus Auguſti Cæſaris effigie inſignitus alicubi in aurifodinis inventus ſit, miſſuſque in rei fidem ſummo Pontifici, per *D. Iohannem Rufum* Archiepiſcopum Conſentinum: quod quidem non tam facilè refutari poteſt, quam ſpecioſe dicitur. Mirum eſt, nummum vnicum repertum eſſe, præterea veſtigium nullum: mirum amplius, nummum illum in aurifodinis latuiſſe, nullum poſtea vſpiam eductum. *Narrabo Varrerij* verbis hiſtoriam veriſſimam, vt prudens lector ex ea judicet, an non fucus aliquis ſubſit ſub nummo Auguſti. *Eodem anno, aut certe paullo poſt, quam inclytus Portugalliæ Rex Emanuel Indiam ſubegit, florebat Vliſſipone in Poetica laude Hermicus Caiadus, homo Luſitanus, Angeli Politiani quondam auditor & diſcipulus, cuius etiam eſt Epigrammatum libellus. Is Latinis carminibus commentus eſt Sibyllinam vaticinationem, in columnis marmoreis inciſam, qua per ambages ſignificabat, Indos ſub imperium & ditionem Luſitanorum eſſe venturos. Eos lapides data opera detruncatos, vt aliqua ineſſent antiquitatis veſtigia, obrui præcepit in extremitate promontorij Artabri, prope Syntram oppidum. Vbi vero defoſſa marmora vitium aliquod feciſſe ex humore terreno iudicauit, ad certum diem inuitat amicos in villam ſuam, quæ proxima erat loco, vbi obrutum erat vaticinium. Quum igitur accubuiſſent omnes, ecce villicus nunciat Hermico, mercenarias eius operas dum in fundo foßionibus incumberent, incidiſſe in lapides, in quibus inſcriptæ eſſent literæ indices magni cuiuſdam theſauri eodem loco defoſſi, ſic enim ruſtici opinabantur. Nec mora omnes ſimul, alacritate ingenti, relictis epulis, accurrunt, defoſſas intuentur columnas, confeſtimque extrahi iubent. Legebantur poſtea Sibyllina carmina.*

Sibyllæ Vaticinium Occiduis decretum.

Voluentur ſaxa litteris, & ordine rectis,
Cum videas * *Occidens Orientis opes,*
Ganges, Indus, Tagus erit, mirabile viſu,
Merces commutabit * *ſuas vterque tibi.*

SOLI

SOLI ÆTERNO AC LVNÆ DECRETVM.

Tum vero omnes pro ſe quiſque admirari, verſus illos fatidicos manu tangere, exoſculari. Quid multis? continuo Vliſſiponem ad regem iam antea commenti illius conſcium perferuntur, qui mirabundo ſimilis, optimatibus oſtendere. Illi deſcribendum curare, in ſcrinijſque veluti ſacrum deponere. Cum vero res percrebuiſſet, peregrini mercatores qui tum Vliſſipone negotiabantur, continuo vaticinium in Galliam & Germaniam ad Viros principes mittunt. Illi ſtatim ac diligenter cum præfatione cuiuſdam Valentini Moraui, qui, vt fit, rem verbis extulerat, adjeceratq; nonnulla de ſuo, typis excudendum tradunt. Poſtea autem inter antiquas inſcriptiones relatum eſt. Fidemque & autoritatem apud pleroſq; lectores inuenit. Quid facias hominibus ita ſtulte credulis, vt de exoticis narrantibus nō perpenſa rerum ſerie, ſtupide fidem ſemper adhibeant? Forte aliquid iſtiuſmodi fugitiuo huic Auguſti nummo accidit: quicquid vero eſt, mihi quidem nondum videtur veriſimile. Sed redeo ad Americam. Antiquitus ſane cultam fuiſſe, neq; paucis retro ſeculis habitari cœptam, tum alia permulta teſtantur, tum potiſſimum Imperii certa & conſtans ratio, ſuperba vrbium & viarum ſtructura, ædificiorum ſplendor: quæ omnia quum apud illos ſumma fuerint, neceſſe eſt primum parua fuiſſe: non potuerunt enim è minimis ad maxima prouehi, niſi longa temporis mora. Hortus fertur fuiſſe regius, in quo herbæ arboreſque cum ſuis truncis, ramis, fructibus, ex ſolido auro ea mole ſtabant, qua viuæ in pomariis. Fertur & conclaue regium, in quo omne animantum genus ex gemmis erat, opere partim muſiuo & ſegmentato, partim cælato; partim etiam ex plumis varie conſerto. Iam obedientiæ, liberalitatis, fidelitatis, ingenuitatis, amicitiæ, temperantiæ, fortitudinis aduerſus dolores, famem, mortem, aliaque multa apud ipſos tam multa, tamque certa exempla ſunt, vt cum Sparta Græciam vniuerſam, cum Romanis Italos omnes ad Virtutum certamen poſſint prouocare. Non potuerunt hæc omnia niſi ex legibus diſcere. Leges non potuerunt niſi longo tractu figi, formari, ſtabiliri. Sed & antiquitatem teſtatur id, quod de duabus viis referunt, quarum altera per montium ardua, altera per planitiem campoſque ſtrata eſt, à *Quito* vrbe Peruana, ad ciuitatem *Cuſco*, ſpatio quingentorum milliarium: cuius operis decus augent ſtupendæ lapidum & ſaxorum moles, non equis aut bubus, (nam illis caruerunt) ſed humanis manibus adgeſtæ. Via campeſtris vtrimque munita eſt muris, patetque in latitudinem pedes quinque & viginti: intra quos riuuli fluunt, conſiti ad marginem arbuſculis, quos ipſi *Molli* vocant. Altera verò è ſaxis & rupibus exciſa per medios montes diſcurrit, pari latitudine; ſalebroſis inſuper depreſſiſque vallium locis, prout regionis natura poſtulabat, adgeſtis munitiſque. Has vias *Guinacaua* Rex (qui auorum noſtrorum memoria vixit) perpurgari, parietes ruinoſos teſtaurari atq; exornari fecit: opus ipſum alias multo eſt vetuſtius, neque vnius viri ætatis. Fuerunt etiam per itinera diſpoſita diuerſoria ampla, ſplendida, amœna, (ipſi *Tabos* nominant) quibus regius omnis comitatus recipiebatur. Ex quibus apparet, non poſſe nouitios exiſtimari huius orbis incolas, quum vetuſtas locorum, hominum frequentia, gubernandi ratio, Vrbium ſtructura, mores ciuiū, nihil noui præ ſe ferant. Quid, quod in ſacris quoq; clara iſtarū regionū mentio facta eſt? Enimvero Arias Montanus hęc loca à Sp. S. deſignari putat, quum claſſis ab Heziongaber Orientem verſus nauigaſſe dicitur, nam & mora nauigantium, & mercium varietas & locorum aliquot inſularumq; interjacentium ſitus, ſoli Americæ cōueniunt. Clare etiam ipſam Americam nominari cōtendit voce *Paruaim*, quæ quidē dictio quum ſit dualis, duas regiones indicat; vnam, quæ hodieq; *Peru* dicitur: alteram quę à noſtris appellatur *Noua Hiſpania*. Primus eam quod quidē certo conſtet, detexit *Chriſtophorus Columbus* Genuenſis, acri

admo-

admodum & diuino ingenio Vir, edoctus (vt creditur à quibuſdam tam præclari facinoris gloriam arrodentib.) ab Hiſpano quodam nauta, cui nomen Buxolæ. Nautā hunc ajunt tempeſtatibus iactatum, quum erraret cæli locorumque ignarus, forte in has terras actum eſſe, inde reducem ad Maderam veniſſe, inſulam iuriſdictionis Luſitanicæ, ſitus vero Africani; in qua inſula recens inuenta, tum temporis Columbus habitabat. Eum nautam à Columbo comiter hoſpitio exceptum, totam itineris iactationiſque rationem docuiſſe. Columbum accenſum rei nouitate, cum tribus liburnicis, auſpiciis Caſtellæ Regis Ferdinandi & vxoris eius *Iſabellæ*, Anno 1492. Kal. Septembris iter illud ſuſcepiſſe, inſulaſque *Hiſpaniolam, Cubam*, & *Iamaicam*, primum adiiſſe. Memorabile eſt, quod quum in *Iamaica* Inſula ob commeatus inopiam ad ſummum vitæ diſcrimen cum ſuis veniſſet, *Barbaris* hac ratione ſperantibus Chriſtianorum exercitum facile poſſe expugnari; ſingulari quodam ſtratagemate ſe ſuóſque ab exitio liberauerit, vſus opportunitate imminentis Lunæ Eclipſeos, quam ille, vti erat Aſtronomicarum rerum peritiſſimus, breui obſcurandam ſciebat. Ducibus enim Iamaicenſibus nunciari ex templo iuſſit, ni ſibi ſuiſque neceſſaria omnia ſubminiſtrarent; fore, vt plurimis grauiſſimiſque malis propediem adfligerentur: atque vt fidem dictis faceret, edixit, ſe proxima nocte effecturum vt Luna ipſis videntibus obſcuraretur. Has Columbi minas homines Barbari initio contemſere, poſtea vero quum ad conſtitutum ab ipſo tempus Lunam deficere paulatim conſpexerunt, attoniti, & metu perculſi accurrere, prouolutiq; ad Ducis genua commeatum largiter miniſtrauere, & quæ vellet omnia ſe facturos vltro promiſere. Poſt Columbum *Americus Veſputius Florentinus* auſpiciis Emanuelis regis *Portugalliæ* idem tentauit, & Anno M. CCCC. XCVII. die xx. Maij ſoluens à Gadibus, oram illam omnem quæ eſt vltra Æquatorem ſita, in qua ſunt *Paria* & *Braſilia*, primus detexit, quæ ora omnis ab ipſo America appellata eſt. Porro, vniuerſus hic orbis à Septentrione ad Meridiem exporrectus eſt duarum magnarum peninſularum forma, quæ tenui iſthmo connectuntur: earum altera dicitur America Septentrionalis, altera Meridionalis. *Longitudo* eius extenſa eſt inter Meridianum grad. 190. & Merid. grad. 67. *Latitudinis* terminus Auſtrum verſus eſt fretum Magellanicum, id eſt grad. 52. Septentrionem autem verſus, à gradu 67. ſurſum pleraque adhuc ſunt ignota. Habet igitur ab ortu ſolis mare Atlanticum, quod vulgo vocant *del Nort*. A Meridie terram Auſtralem Magellanicam, freto interfluente diſiunctam. Ab Occaſu, mare pacificum, *del Zur*: è Septentrione, incertum; terras an maria. Tota circumuagatio eſt circiter XXXII. millium miliarium. Regio in vniuerſum multiplex eſt ac varia: Frumento initio & vino caruit; eius loco tulit *Mayz* leguminis genus: quibuſdam etiam regionibus panem ex radicibus conficiunt. Sed neque boues ante habuit, neque mulos, neque aſinos, neque oues, capras, canes. Proinde mirandum non eſt, ſi indigenæ ad primum equi conſpectum perculſi fuerint. Mures glireſque ex Antverpiana naue, quæ per Fretum Magellanicum vlterius nauigabat, primam illic originem habuere: ex eo in tantum, ſiue ſoli, ſiue animantium ipſorum fœcunditate creuerunt, vt ſæpe ſpem meſſis autumnique in herbis & arboribus arroſerint. Archiepiſcopi ſedes eſt in Limenſi vrbe, quæ & vrbs Regia dicitur, atque totius tractus Peruani metropolis, condita Anno CIƆ IƆ XXXV. à *Franciſco Pizarro*: in eo ius dicit Prorex & vniuerſæ prouinciæ ſenatus: Archiepiſcopus ſuffraganeos habet quindecim, Cuſionienſem, Quitonenſem, Guamantiacenſem, Arequipenſem, Paſenſem, Platenſem, Trugillenſem, Guanagienſem, Calapienſem, Portus veteris, Guaichieſne, Popianenſem, Carchinienſem, Santi Michaelis & Santi Franciſci. Incolæ curſu ac natatione valent, quibuſdam locis homines vorant, cacodæmonem

adorant,quidam etiam Solem & Lunam.Lingua omnibus non vna. Aurum,argentum, gemmas,nihili faciunt: horum loco conquirunt æſtimantque plumas auium, in iiſque diuitias collocant.

Deſcriptio Terræ Nouæ.

SEptentrionalis Americæ pars vltra *Nouam Hiſpaniam* in varias regiones diuiditur. Ab *Apalchen* vſq; ad promontorium *Helenæ* extenditur, diciturq; aliis *Virginia.Norumbega* peninſulæ inſtar ad mare *del Nort* porrigitur, habetque nomen ab oppido. Cœlum eius regionis temperatum,ager fertilis. Mare ob Syrtes & varia periculoſum. Gentes aliter atque aliter nominantur ab Hiſpanis & Italis. Vicina huic eſt *Terra* quam vocant *de Baccalos*,à *Iohanne Caboto* & filio eius *Sebaſtiano Caboto* Venetis inuenta Anno 1249. die vigeſima quarta,hora quinta ſub diluculo,& ſic appellata,quod in eo pelago tanta inueniatur horum piſcium copia,vt etiam nauigia retardent. Sed non fuerit alienum , hoc ipſo loco inſerere inſcriptionem quæ Oxoniæ ſpectatur,concinnatam ab hoc ipſo *Sebaſtiano Caboto*,rerum nauticarum vt videtur peritiſſimo , qui etiam pleraſque orbis ignoti oras feliciſſime ibi depinxit: pertinet enim ad χαλυβοδειλκλῶ, continetque non ineruditam tractationem de acus nauticæ declinatione, Sic ergo ibi legitur : *Sebaſtianus Cabotus Dux & Archigubernius ſacræ Cæſareæ Catholicæ Maieſtatis, diui Caroli Imperatoris , huius nominis quinti,& Regis Hiſpaniæ,ſummam mihi manum impoſuit;& ad formam hanc protrahens,plana figura me delineauit,anno ab orbe redempto Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1549. qui me iuxta graduum latitudinem ac longitudinem,ventorum ſitum, docte & fideliter,nauigatoriæ chartæ inſtar,deſcripſit,Geographi Ptolemæi auctoritatem,peritiorumque Luſitanorum fidem ſecutus, nec non ex vſu atque induſtria longæ nauigationis,integerrimi viri Iohannis Caboti, natione Veneti,atque Sebaſtiani,aſtrorum peritia,nauigandique arte omnium doctiſſimi eius filij, auctoriſque mei,qui aliquotam orbis partem diu noſtratibus clauſam aperuerunt. Quapropter me fida doctiſſimaque magiſtra,ceu hydrographica charta vtens,quocunque eſt animus , mare metiri poteris, acus nauticæ variationem obſeruans,qua ad Arctum vertitur,cuius rei argumentum eſt ; Si ex ſacro promontorio ſolueris,Celticum promontorium petiturus, nauim licet protinus ad Arctum dirigere iubeas,quo curſu recto Finis terræ promontorio,iter tamen quod vere nauis tua peregerat,non recta ad Arctum,ſed Arctum verſus ad quartam Cæciæ fuit. Nauigatoria ſiquidem acus, etſi recta linea è ſacro promontorio ad oram finis terræ curſum demonſtret ad Arctum , nihilominus tamen quarta parte ab Arcto ad Cæciam diſtat. Quapropter quum nauim acu nautica ad Arctum regere iuſſeris,erit nauigatio tua per quartam Septentrionis,Cæciam verſus. Eandemve nauigationis conſiderationem obſeruabis,cum è Salmedina breui ſcopuloſoque mari in exitu portus S. Lucæ ad Nagæ oram Teneriſiæ inſulæ nauigare decreueris,tunc enim ſi ad Liben ſeu Africum nauim regere ſtudeas, hydrographicæ chartæ obſeruatione: rectus tamen itineris curſus nauticæ acus probabiliore fide per Africum quarta & eo amplius Auſtrum verſus procul dubio erit.Salmedinæ nempe ad Nagam nauigatio quarta longe minus quam hydographica charta indicat,nautica acus demonſtrat. Vnde pro comperto habebis,cum è ſacro promontorio iam ſolueris,Septentriones petiturus,quod iter tuum erit per quartam Arcti Cæciam v rſus. Eodem modo ſi è Salmedina ad Nagam Tenereſiæ inſulæ adnauigaueris ad Africũ,nauis tuæ curſus erit per quartam Auſtri.Eadem ratione ſigillatim vti poteris, in quauis huius deſcriptionis parte,acus magnete fricatæ variationẽ obſeruans, quam cum Arcti ſidere varie operatur,quippe quæ nõ aſſidue, neq; ex omnib.locis Septentrionem ſpectat,(vt plebs indocta cenſet) cũ Magnes lapis ille(vt patet) nullã habeat vim dirigendi nauigatoriam acũ,ex omni parte ad*

Arctum

Arctum. Quin potius (vt experientia conſtat) chalybem volubilem immotum reddere recta linea, non autem circulari, ad quemvis ventorum Arcto proximum, & hac de cauſa acus nautica vſque variatur. Nam ſi eadem aſſidue & ex omnibus locis verteretur ad Arctum, nulla fieret eius variatio, vtpote quæ per circularem lineam ſemper viam demonſtraret. Ex qua ſequeretur, eundem æquidiſtantem ſeu parellelum frequentare, quod nullo modo continget recta linea circularem formam adeunti. Porro vnum hoc adnotabis, candide Lector, quo magis ad ſolis ortum vel occaſum à linea Meridionali ſecedes: vbi acus nautica depictum lilium directe Arctum oſtendit: eo magis ab Arcto te diſtare pro comperto habebis. Vnde ſatis liquet, acum nauticam recta linea, non autem circulari, viam demonſtrare. Adnotandum igitur eſt, quod linea meridionalis qua acus nauticæ lilium Septentriones oſtendit, diſtet à Florum inſula 30. paraſangis. quæ quidem vltima Accipitrum inſula eſt Occidentem verſus, iuxta peritiſſimorum omnium nauium gubernatorum conſenſum opinionemque: nec non ex eorum ſolerti experientia; quam diutina aſſiduaque nauigatione ſuo iure profitentur, ſiquidem Atlanticum mare & Indicum indies remetiri aſſueuerunt. Adhæc Sebaſtianus Cabotus, meus autor, Occidentalem Oceanum adnauigans, ad æquor quoddam deuenit, & plagam, vbi quarta parte Septentrionum iuxta Cæciam ventum acus nauigatoriæ lilium illi rectiſſime Arctum oſtenderet. Quibus de cauſis, & rationibus, & tutiſſima nauigandi experientia apertiſſime conſtat, defectus & variationes acus nauticæ crebro fieri cum Arcti obſeruatione. Noua Francia ſuccedit, quæ iuxta ripas fluuii *Canade* vel *S. Laurentij* extenditur, quam Galli primum ſub Franciſco primo Rege Galliæ detexerunt. Et huius quidem loca principalia ſunt *Canada, Hochelai, Hochgelaga,* quæ ex lignis conſtat. Eſt autem ipſa Regio inops valde; quo fit vt ad eam pauciores contendant. Profert tamen ſegetes & legumina: Incolæ idololatræ ſunt, & aliquibus in locis anthropophagi. *Terra Corterialis,* quæ & *Terra Laboratoris* vocatur, inter fluuium *Canadam* & *Eſtotilandiam* peninſulæ forma jacet: & hic fluuius aliis fretum trium Fratrum vocatur, eſtq; adeo ingens, vt eius oſtium triginta miliaribus Italicis pateat: longitudinem habet immenſam, nam ferunt nauigatum fuiſſe 80. miliaribus Italicis. Incolæ frequentes ſunt hic, proceri, & bene diſpoſiti, qui animalium pellibus teguntur: monilia ex argento & ære geſtant, ac piſcibus vt plurimum victitant. Horum præcipuæ ciuitates ſunt *Santa Maria, Cabo, Marzo,* & *Preſt. Eſtotilandia* prouincia eſt cæteris Septentrionalior & Orientalior, reſpiciens *Friſlandiam* inſulam plagæ Septentrionalis. Et hæc quidem prima omnium huius Noui Orbis detecta fuit Anno 1390. ab *Antonio Zeno* patritio Veneto, ſub auſpiciis Zichmi Regis inſulæ Friſlandiæ. Eius fines à Septentrione incogniti adhuc manent, ſed à Meridie ad terram *Laboratoris* terminatur iuxta fluuium qui vulgo *Rio Neuado* dicitur, & ab Ortu *Mare del Nort* habet. Eſt vero hæc terræ pars ſatis culta, & omnium pene rerum ad humanum vſum fertilis, ac metallis etiam diues, præſertim auro. Frigoribus autem plane ſubiecta eſt, habetque flumina præcipua quatuor, vniuerſam Prouinciam irrigantia, quæ ortum ducunt è celſiſſimo monte in regionis meditullio iacente. Incolæ ingenioſi ſunt, & artium pene omnium mechanicarum peritiſſimi: horum veſtitus eſt ex ferarum pellibus, ac vitulorum marinorum, ex quibus etiam cymbas conficiunt.

Deſcriptio Tercere.

PRofecturis ex Hiſpania, Anglia, vel Gallia, in Indiam Orientalem aut Occidentalem, præternavigandæ ſunt Inſulæ quædam, quas *Flandricas* vocant vel *Aſores*, ſuntque numero ſeptem: *Tercera, S. Michaelis, S. Maria. S. Georgij, Gratioſa, Pico, & Feyai*: quibus duas quidam adnumerant *Flores* & *Coruo*, quæ tamen non ſunt *Aſores* ab

Accipitrum multitudine,qui primum has inſulas intrantibus apparebant , nunc nulli ſunt. *Flandricæ*,quod à Flandris inuentæ cultæque. Certe in inſula *Fayal* etiam nunc familiæ quædam Flandrorum ſunt,& torrentis nomen vetus *Ribera dos Flamengos*. Præcipua omnium & quaſi caput eſt *Tercera*,quam Hiſpani vulgo nominant *Iſola de Ieſus Chriſtus der Tercera*,altitudine graduum 39. miliaria 15. aut 16. complectitur , altiſſimo & montoſo ſolo : rupibus cingitur,naturali munimento,quæ ſicubi deficiant, propugnacula ab arte earum vicem ſupplent. Portum ſinumue defendendis nauibus idoneum nullum habet. Itaque naues Hiſpanicæ aut Luſitanicæ raro illuc appellunt, ſed ſcaphas tantum ſuas emittunt,ſi qua re opus habent,ipſæ interea curſum obliquant. Tanta autem eſt ventorum circa hanc Inſulam impotentia , vt ſaxa,ferrum , & quicquid ventis expoſitum eſt arrodatur atque atteratur.Narrat *Iohannes à Linſchoten* , vidiſſe ſe clathros ferreos in telonio Regio poſitos craſſitie lacerti, intra ſexennium attritos ad tenuitatem ſtraminis,lapides vero plane adeſos, vt nihil ſupereſſet. Vrbes duæ ſunt *Angra* & *Villa de Prapa*.*Angra* ab ore aperto,vel bicorni luna nomen traxit Luſitanicum , eſt enim mare circa vrbem lunari flexu patens. Auſtrum verſus duo montes in mare procurrunt, quos vocant *Breſijl*,ſunt autem altiſſimi , patetque ex iis proſpectus ad 15. milliaria. In alterius vertice duæ columnæ ſunt,è quibus ſpeculatores inſulanis ſignum dant nauium aduentantium,quæ ſi plures numero fuerint quam quinque, maius vexillum erigitur, data etiam buccina ſigno. Tales ſpeculæ per reliquas inſulæ oras certis interuallis ſunt diſpoſitæ. Priuſquam ſinum intrent naues,neceſſe eſt alterutra parte arcem præternauigent. Eſt etiam in hac vrbe ſedes Epiſcopi. *Villa de Praya* ab *Angra* diſtat trium milliar. intervallo: raræ eo naues,& non niſi tempeſtatibus actæ veniunt,caret enim portu : colitur igitur ab agricolis: nam merces exoticæ *Angram* deferuntur. Reliqua inſula frumento abundat & vino tenuiore,quod proinde neque exportatur , neque lautioribus in vſu eſt, præferentibus Canariæ & Maderæ vina. Piſcibus, carnibus, aliiſque ad inſulanorum neceſſitatem ſatis affluit. Oleum aduehitur, itemque ſal & ſupellex teſtacea,nam his inſulani carent.Mirus prouentus eſt perſicorum varii generis , itemque pirorum,malorum,limonum.Glaſti vero,quod paſtellum vocant,tanta eſt copia, vt hinc ab Anglis,Scotis,Gallis,Belgis,petatur ad tincturas. In rupibus vineta ſunt, in vallibus & planitie glaſti,& frumenti ſegetes. Frumentum ipſum arte & cura ſingulari adſeruatur ne vitium contrahat; facile enim aut mucceſſit aut puteſcit. Singulis ciuibus in platea ante ædes puteus effoſſus eſt rotundus,cui operculum impoſitum cum nota heri. In hoſce puteos condunt ſinguli annonam ſtatim poſt meſſem, menſe Iulio; clauduntque locum terra & operculo ad eam rem deſtinato. Circa natalem Domini educunt quod depoſuerant intactum atque integrum,eoque poſtea vtuntur ſine vitii metu. Ex bubus maximum inſulanis lucrum. Hi cornuum prolixitate & pulchritudine omnes Europæ boues longe excedunt. Videas camuris cum cornibus maxima armenta,quæ nominibus diſtincta ſi ab hero vocentur,accedent.Fontes paſſim calidi, vnus etiam in quo ligna lapideſcunt : adeo vt iuxta fontem arboris eiuſdem radices , quæ fontem tangunt ſint lapideæ,auerſæ ſuam ſeruent naturam.Eſt etiam frequens vbique cedrus, adeo vt & carros & naues ex eo ſtruant,& focum alant. Eſt & ligni quoddam genus quod vocant *Sanguinho* à colore; hoc vtuntur ad capſulas,aliaque inſtrumenta. Vici per inſulam ſparſim ſunt,*S.Sebaſtiani*,*S.Barbaræ*,*Altares*, *Gualuai*, *Villa noua*,aliæque. Inſula *S. Michaelis* longitudinem habet xx. pene milliar. Vrbs eius præcipua eſt *Punta del gæda*, in qua majore quam ad Angram frequentia Angli,Scoti,& Galli glaſtum coemunt. *Pico* inſula quæ à monte excelſo nomen habet,diſtat à Tercera xii. mill. Habet autem ligni quoddam

dam genus (Teixo vocant) cuius pretium ſingulare: Regio autem edicto cautum eſt, ne quis illud ſecet præter ſolos regios miniſtros huic rei conſtitutos: eſt autem duritie ſumma, colore intus rubro, coccineo, vndulato, pulchritudine eximia, quæ tractu temporis amplius etiam augetur. *Fayal* à Belgis colitur, & qui ab his proſeminati ſunt. Sermo omnibus Luſitanus. Vrbs *Doata*. Incolæ humani, exterorum appetentes: vt intelligas tanto temporis interuallo Belgicum ingenium nondum degeneraſſe.

Deſcriptio Iucatanæ.

IVcatanam *Petrus Martyr* credidit eſſe inſulam, quum ſit Cherſoneſus in ſinu *Mexicano* porrectus inter gradum x. & xx. Ambitus eius eſt miliarium nonaginta. Regio beata rebuſque ad victum neceſſariis abundans. in extremo littore eſt fluuius, inque eius ripa vrbs ampla, cui nomen accolæ dederunt *Patanchan*, Hiſpani Victoriam. Qui eam primum ſunt ingreſſi Cairo ſimilem dixerunt. Turritæ erant domus, templi magnifica, viæ ordine ſtratæ: ad domorum atria decem aut duodecim gradibus aſcendebatur. parietes è ſaxo aut lateribus conſtabant calce iunctis, tectum ex culmis aut tegulis lapideis. Incolæ commutabant aureas bullas calculis vitreis, aut veſtibus ſericis. Fœminæ à cingulo ad talum promiſſam veſtem geſtabant, eratque eis religio pedem aut crus retegere. Speculorum Europæorum nullum precium, habebant enim è lapide leui multo puriora: Viri erant circumciſi: commercia conſtant ſola permutatione, ſine ope, nummi. Templa auguſta erant, & in iis idola. Crinem ornabant exſtruebantque. Rogati vnde id haberent, reſpondebant per interpretem, tranſiiſſe aliquando per ea loca virum ipſo ſole formoſiorem, ita comptum, qui eis id inſigne in ſui memoriam reliquiſſet. Et hæc quidē prima aditione. Alias regreſſi Hiſpani quum ſe admittendos ſperarent, excluſi ſunt, negabant enim incolæ ſe hoſpites peregrinos velle. Face thurea inter vtrumq; agmen accenſa minabantur niſi ſponte ſua terris illis diſcederent, fore vt expellerentur. Ventum eſt ad pugnam. Gladio nudi, tormentis imbelles interempti ſunt, cæteri in vrbem aufugere. Ita diſceſſum. Haud multo poſt, quum tertio accederent Hiſpani peterentq; alimenta, allatæ ſunt gallinæ octo & panis *Mayz*, ſimulque imperatum vt diſcederent. Iterum igitur cum magna *Iucatanenſium* ſtrage pugnatum eſt. Quadraginta hominum millia eo die bello interfuere: tam multi à paucis ſuperati ſunt. Mirabantur nouum pugnandi genus: Equites ſedecim barbaros à tergo adorti, turmas eorum findebant celeri curſu, non ſecus quam ſi ouium gregem lupus diſpelleret. Attoniti barbari ſtupebant; nec mens, nec manus officium faciebat. latera ipſorum interea Hiſpanus enſis hauriebat. Miſeri putabant vnum eſſe animal, equum & hominem, centauri imagine, Ita potiti vrbe ſunt Hiſpani. Ciues ſub dio, exteri hoſpitibus excluſis ſub tecto vitam agebant. Ac hoc euentu nomen vrbi datum Victoriæ. Ferunt villas extra vrbem tam amplas & laxas fuiſſe, vt Hiſpani aliquot vnam ingreſſi, per horas quatuor in ea vagati ſint, antequam illius exitum potuerint inuenire. Inter *Iucatanam* & *Nicaraguam* vrbs eſt *Guatemala*, agro fertili, amœno, cœlo ſalubri, in qua Vicarius Hiſpaniæ regis ſedes habet, penes quem ſumma & abſoluta poteſtas eſt in rebus iudiciariis.

Deſcriptio Cubæ & Iamaicæ.

CVba inſula ad Occidentem mari ſecernitur à Iucatana: ad Ortum freto ab Hiſpaniola, ad Auſtrum eſt Iamaica. Longitudo eſt ab Ortu in Occaſum M. CC. miliar. Latitudo maxima CC. L. Eam mediam ſecat Tropicus Cancri. Dicta primum fuit à

Chriſtophoro Columbo *Ferdinanda*. Eſt autem montibus aſpera, multoſque habet auriferos flauios, quorum aquæ dulces & potui aptæ ſunt. Magnam profert rubiæ tinctorum copiam. Eſt in ea vallis in qua globi lapidei inueniuntur tam exacta rotunditate à natura tornati, vt nulla poſſit ars exactius. Vrbes ſunt *S. Iacobi*, & *Hauana*: illa exſtructa à *Iacobo Velaſco*, ſedes eſt Epiſcopalis: hæc totius inſulæ Emporium & nauale: ad hanc ſolet claſſis regia tamdiu ſubſiſtere, donec anni tempus, & venti cōmodam nauigationē traiectumq; in Hiſpaniam polliceantur. Nunc in ea triremes aliquot ſunt, quæ oram omnem contra Gallos Angloſq; tuentur. Eſt in eadem inſula mons, è quo bitumen fluit aptum nauibus ſtipandis. Sunt etiam paſſim ſerpentes magni, qui tamen noxii nō ſunt, his vti ſolent pro cibo Cubaenſes. *Iamaica* Chriſtianis dicitur Inſula S. *Iacobi*: eius ambitus eſt 200. miliarium. Vnicum in vmbilico montem habet, qui leniter aſſurgit, ab omni regionis latere ſen ſim creſcens. Eſt autem inſula ita fertilis, vt cæli temperie ſolique fœcunditate cum quauis alia certare poſſit: Incolæ multi, acuto ingenio & acri; qui vicinis facile imponunt, ipſi raro decipiuntur. Habent auri metalla, & animalium diuerſorum copiam. Eſt & ſacchari & goſſypii magnus prouentus. Fluuii permulti, & lacus piſcoſi. Oppida duo *Oriſtan & Sevilla*. In hac eſt Eccleſia principalis cum Abbatia.

Deſcriptio Hiſpaniolæ.

HAnc inſulam incolæ *Haity* & *Quiſqueia* quondam vocauerunt. Hiſpani à ſe *Hiſpaniolam*, & à *Dominico S. Domingo*: cuius etiam honori vrbem exſtruxerunt quæ omnium eſt præcipua. Ambitus eſt 1400. miliarium, longitudo 500. latitudo pro ſinuum & promontorium ratione varia. Hanc *P. Martyr* reliquarum inſularum genitricem vocat. Medium inſulæ ab Æquatore diſtat grad. pene 19. verſus Boream: forma oblonga eſt, panditur enim ab Ortu in Occaſum. Eſt autem montibus aſpera, ſed præ cæteris omnibus amœna & fertilis. Saccharias cannas aiunt hic altiores craſſioreſque eſſe, quam vſquam alibi. Octo & viginti erecta ſunt torcularia quibus ſaccharum exprimitur. Fertilitatis indicium hoc eſt, quod triticum ſatum centuplum reddat. *Valentiæ* in Hiſpania vna canna vix ſeptem phialæ implentur, in *Hiſpaniola* 20. ſæpe etiam 30. Gignit præterea hæc regio caſſiam fiſtulam, zinziber, maſticem, lignum aloes, & cinnamomum: ſalis etiam vberem prouentum habet. Ante Hiſpanorum aduentum tria tantum hic erant quadrupedum genera. nunc importatis aliunde animantibus ita repleta eſt, vt ex ea pellium & coriorum magna vis quotannis in Hiſpaniam exportetur. Auri & argenti fodinæ ſunt diuites: Eſt & aliorum foſſilium non parua quantitas, præcipue vero coloris cærulei. Hiſpani quum primum inſulam inuaſiſſent, eruerunt fere omnes radices ex quibus Barbari ſuum panem conficiebant. Incolæ qui in tuta loca ſeceſſerant per internuncios rogarunt, abſtinerent; malle ſe vectigal pendere quam abſumptis radicibus fame interire. Ita factum, vt immanem pecuniæ vim ſingulis menſibus Barbari Hiſpano ſoluerent. Vrbes huius inſulæ multæ ſunt: Præcipua eſt *S. Dominici* ad oſtium fluuii *Ozama*, ſede Epiſcopi & Vicarii inclyta: In hac etiam pecunia cuditur, ſed non ea quantitate qua in *Mexico*. Sunt etiam vrbes minores, *S. Joannis*, *Meguma*, *Portus Platæ*, *Portus Regius*, *Xaragua*, aliæque.

Deſcriptio Nouæ Hiſpaniæ.

NOua Hiſpania ampliſſima eſt *Americæ* prouincia,& cæteris cultior, amœnior, ac populis frequentior. Incipit à ſinu *Californiæ*, quem vulgo *Mar vermeio* dicunt, & extenditur vſque ad ſinum *Mexicanum* & *Mare del Nort*, & ad *Iucatanam* regionem. Occupata primum fuit ab Hiſpanis Anno 1518. Duce *Ferdinando Corteſio*; cum maxima tamen ſuorum & incolarum ſtrage: cui remunerationis cauſa dono conceſſa fuit *Tecoanteper* regio *Nouæ Hiſpaniæ*, à Carolo V. Imp. Eſt autem hæc prouincia montibus & rupibus aſperrimis referta, nemoribuſque plena: aërem habet temperatum, quamuis ſub torrida jaceat Zona: in ea fluuii ſunt quam plurimi piſcibus abundantes, quorum aliqui etiam auriferi ſunt. Sunt etiam lacus in ea multi, magna ex parte ita ſalſi, vt ſal ex iis conficiatur. Præcipuus is eſt qui Capharicum mare ob immenſitatem vocatur. Abundat præterea regio ipſa mineris opulentiſſimis auri, argenti, ferri & æris: mittit caſſiam fiſtulam, & fructus quoſdam, quos incolę *Iacao* appellant, amygdalorum inſtar, ex quibus potum conficiunt: goſſypio ac omnibus inſuper frugibus fructibuſque, quos in Europa habemus, affluit: omnia quoq; profert animalium genera, anſeres, anates, coturnices, tigres, leones, vrſos, & alia huiuſmodi: vnde carnium hic magna eſt copia, viliſſimo pretio. Inueniuntur etiam in fluminibus crocodili, quorum carnes ab incolis comeduntur. Mare regionem alluens piſcibus abundat: & oſtrea fert ex quibus margaritæ colliguntur. Incolitur porro hæc pars ab Hiſpanis magis quam vlla alia *Noui Orbis*: vnde multas in ea habent colonias, nempe, *Compoſtellam*, *Colimam*, *Purificationem*, *Guadalaiaram*, *Mechoachan*, *Cacatulam*, *Mexicum*, & alias. Sunt porro in hac *Noua Hiſpania* inſignes nonnullæ regiones, nempe *Galitia*, *Mechoacan*, *Mexico*, *Guiſtican*. *Noua Galitia* ab incolis prius *Xaliſco* vocabatur: quam primus detexit & acquiſiuit *Nunus Guſmanus*, qui in ea vrbes aliquot fundauit, nempe *Compoſtellam*, vbi ſedes Epiſcopalis & Conſilium Regium: *Spiritus*, *S. Conceptionis*, *Michaelis*, & *Guadalaiaram*, celeberrimam ac totius regni caput. Regio aſpera eſt, incolæ feri ac crudeles, qui ab eſu carnis humanæ non abſtinent. Pertinet ad *Nouam Galitiam* regio illa quæ *Culiacana* vocatur ab vrbe huius nominis: jacet autem inter fluuium *S. Sebaſtiani*, qui antequam in mare ſe exoneret à terra abſorbetur. Metropolis vrbs eſt *Culiaçan*, vbi Hiſpani duxerunt coloniam *Domus Michaelis*. Incolæ pauperrimi ſunt, & ſub dio dormiunt, quorum qui iuxta mare verſantur, piſcationibus vitam traducunt: qui vero mediterranea tenent, venationibus viuunt. Nullum olim ſuperiorem agnoſcebant, ſed hodie Hiſpaniarnm Regi parent. *Mechoacham* regio ambitum habet 40. leucarum, & opulentioribus ac fertilioribus *Nouæ Hiſpaniæ* regnis accenſetur, nam in ea *Mahitz* matureſcit ter ſingulis annis, vt & alii fructus. Affluit goſſypio, melle, cera, grano tinctorum, herbis medicinalibus, ambra nigra, & ſale, ſericum quoque abunde fert, & auri argentiq; diues eſt. Multi ſunt in ea lacus ampli, & multi fluuii peropportuni, piſcibus copioſiſſimi. Incolæ proceri ſunt, & corporibus valentes, longæui, ac ingenioſi. Regio duas continet vrbes principales ab Hiſpanis cultas, in quibus vigent mercimonia, nempe *Paſcuur*, & *Valadolis*, quæ eſt Epiſcopalis ſedes, præter alias minus celebres. *Mexicana* regio cæteris non tantum *Nouæ Hiſpaniæ* præſtat, ſed vniuerſæ etiam *Americæ*. Nomen ſumſit ab vrbe *Mexico* quæ *Temiſtitan* quoque nuncupatur: & hæc vrbs olim exſtructa erat Venetiarum inſtar in medio immenſi cuiuſdam lacus, antequam à *Corteſio* occuparetur, qui eam ad eiuſdem lacus ripam tranſtulit: Eſtque nunc optime fabricata, ambitu ſex miliar. Italicorum, cuius vnam partem Hiſpani inhabitant, reliquam vero indigenæ. Reſident in hac ipſa vrbe Archi-Epiſcopus, & Pro-Rex, ac Tribunal ſupremum *Nouæ Hiſpaniæ*:

eſt etiam in ea imprimendi ars & cudendi pecuniam. Hic autem lacus, ad cuius ripas extructa eſt, ſalſus eſt, & creſcit ac decreſcit pelagi inſtar: & dum creſcit, ſuas aquas in alium lacum vicinum effundit qui dulcis eſt. Nullos autem fert piſces, ſed tantum vermes æſtate putreſcentes ac aerem infeſtantes: extrahitur tamen in eo magna ſalis copia. Ambitus amborum lacuum patet 10. circiter leucis, atque tam in ipſis: quam circa eorum ripas jacent 50. oppida, quorum quoduis continet plus decem mille domorum. Per eoſdem diſcurrunt 50. ſcapharum millia, quas *Canoas* vocant, ad vſum vrbis *Mexicanæ* & aliorum oppidorum. Sunt autem hic lacus in planitie montibus cincta, niue ſemper opertis, quæ quidem planities collibus aſſurgit amœniſſimis. Poſt *Mexicum* eſt *Teſcuro* vrbs ad ripam eiuſdem lacus, quæ amplitudine ſua *Mexicum* ipſum adæquat. Eſt etiam in hac prouincia *Angelorum* ciuitas, quæ prius *Vacipalam*, id eſt terra ſerpentum vocabatur, quæ lanificio celebris imprimis eſt. Huius ager vallibus & planiciebus diſtinctus eſt, in quibus innumera armenta & greges aluntur, & magna ſegetum ac fructuum copia colligitur. Eſt quoque in eadem prouincia mons Flammiuomus, *Papocampeche* indigenis vocatur. Incolæ huius tractus olim idololatræ erant, & antropophagi, pluresque ducebant vxores: quæ tamen vitia dimiſerunt paulatim poſt ſuſceptum baptiſma. Vtuntur in bello ſagittis, & fundis, quibus jaciunt lapides. *Guaſtecan* regio *Nouæ Hiſpaniæ* ad Mare *del Nort* poſita eſt, eſtque parum fertilis. vnde incolæ inopia premuntur, & piſcatu plurimum viuunt: ſunt tamen ſatis humani. Eſt in hac regione mons, in quo reperiuntur duo fontes, alter ſcilicet picis nigræ, alter vero picis rubræ feruentis. Duas hic colonias Hiſpani habent, nempe *Panuco*, & *D. Iacobi à Vallibus*. Poſtremo in *Noua Hiſpania* eſt *Tlaſcalan* vrbs, quæ poſt *Mexicum* ſecundum tenet locum: eſtque valde populoſa & opulenta & agro fœcundo. Reipublicæ more gubernatur; ſub poſſeſſione tamen Hiſpaniarum Regis.

Deſcriptio Americæ *Auſtralis.*

ANno 1492. *Chriſtophorus Columbus* Gadibus profectus deuenit ad inſulas *Fortunatas*, quæ *Canariæ* dicuntur. Inde Occidentem vlterius petens, inſulas duas reperit, quarum alteri nomen dedit *Hiſpaniæ*, alteri *Ioannæ*: in quibus relictis triginta octo ſociis cum mandatis, ipſe in Hiſpaniam abiit, regique itineris ſui rationem expoſuit. Placuit iterum tentare iter: conceſſis igitur 17. liburnicis, venit ad inſulas *Canibalorum*, vnde partem claſſis ſuæ in inſulam *Hiſpaniam* dimiſit, ipſe haud multo poſt ſequutus: Comperit vero ſuos omnes, quos diſcedens ibi reliquerat, à Rege nefarie interemptos eſſe. Exſtruxit igitur ipſe vrbem, eamq; præſidio muniuit, profectuſque longius *Cubam* & *Iamaicam* invenit. His rebus confectis & fratre ſuo *Bartholomeo* iis locis præfecto, ipſe Anno 1495. in *Hiſpaniam* rediit. Tertium igitur inſtructa claſſe, Anno 1498. mari ſe commiſit: circa *Maderam* naues ita partitus, vt 5. *Hiſpanam* inſulam recta peterent: ipſe reliquis tribus nouum curſum inſtitueret. Ergo iactatus varie tandē venit ad inſulam *Pariam*, humaniterq; ab indigenis exceptus eſt. *Hiſpaniolam* vero delatus rationes omnes offendit conturbatas. Hiſpani enim, qui eo loci relicti erant, ſpreto *Columbi* & fratris imperio vinctos eos tandem in Hiſpanias miſere. *Petrus Alauſus* poſtea iter illud tentauit: *Pariam, Curtanam, Canchiotem, Cinianam* deuenit, onuſtuſque vnionibus in Hiſpaniam reuerſus eſt. Succeſſit ei *Vincentius Pinzonus*, qui longe vltra Æquatorem Auſtrum verſus profectus, gentes offendit immanitate barbaras. *Americus* etiam *Veſputius* miſſus à Ferdinando Caſtiliæ Rege, *Pariam* tentauit, oramque omnem quæ ab ipſo *America* vocata eſt, quatuor nauigationibus inſtitutis, quarum poſteriores duæ factæ ſunt auſpiciis Emanuelis Regis Portugaliæ.

Et hactenus quidem præter *Hiſpaniolam*, *Cubam*, & *Iamaicam* inſulam, parum admodum terrarum fuerat ſubactum, quum *Franciſcus Pizardus* qui diu in *S. Dominici* oppido commoratus fuerat, cum ſociis aliquot in continentem traiecit, captoque Rege *Atabalipa* & multis hominum myriadibus per nefas trucidatis, magnam illius regionis partem debellauit. Fertur *Atabalipa* captiuus tam magni auri & argenti cumulum pro redemptione ſui *Piſardo* obtuliſſe, quantum ipſe erectus extenſa manu poſſet contingere: Poſt ſolutum tamen pretium redemptionis nihilominus turpiter iugulatus eſt. *Pizardi* huius ſociorumque in hominibus innocentiſſimis ſuſpendendis, iugulandis, ſubmergendis, comburendis, laniandis, omnique cruciatus genere afficiendis, immanitatem, longum eſſet referre. Poſtea idem iſte à ſuis confoſſus, dignas, non tamen pares ſceleribus ſuis pœnas dedit, Anno 1541. Cæterum eodem fere tempore Hiſpani & Portugalenſes nouas terras quærere inſtituerunt, ita orbem inter ſe partiti, *Alexandri* VI. Pontificis autoritate, vt ab inſulis *Heſperidum* deinceps quicquid incognitæ terræ Orientem verſus ſpectaret, id Portugalenſibus cederet, quicquid Occidentem verſus, Caſtellanis. Sed quærebant hi quoque viam perueniendi ad *Moluccas*. Commiſſa hæc cura mandataque *Ferdinando Magellano*, qui Anno 1541. die decima Auguſti ſoluens *Hiſpali*, ſuperatis *Canarijs* & *Heſperidum* inſulis, tandem peruenit ad promontorium Canibalorum *S. Mariæ*. Obſeruauit littus ita in Auſtrum tendere, vt etiam in Occaſum recederet; ſperabat itaque fore, vt alicubi ambiretur: neque falſus eſt, nam ſequenti anno 26. Nouembris ventum eſt ad fauces, quæ arcto, neque latiore quam decem miliar. Italicorum freto terras vaſtas diſpeſcebant. Altitudo poli Auſtralis erat 52. graduum. Hoc tranſmiſſo, certa eum ſpes habuit inueniendi *Moluccas*. Itaque recto curſu Æquinoctialem petens ſuperatis aliquot inſulis, venit in *Subuth*, vbi ipſe cum ſociis ſeptem interfectus eſt in prælio, quod rogatu Regis aduerſus vicinarum Inſularum habitatores ſuſceperat. Interfecto ſucceſſit *Serranus*, qui quum Magellani ſeruum Molucanum eodem bello vulneratum aſperius eſſet alloquutus, proditus eſt Regi *Subuth*. Qui in naui erant reliqui deſertis infelicibus terris, octauo poſt Ducis obitum menſe *Moluccas* inuenerunt. Porro *America* omnis Meridionalis pyramidalem formam habet: cuius baſis prope Iſthmum eſt, Boream verſus, vertex ſiue cuneus ſenſim extenuatus ad *Magellanicum* fretum verſus polum Antarcticum deſinit in acumen, gradibus pene 53. diſſidens ab Æquatore. Ad Orientem alluitur mari quod vocant *del Nort*: ad Occaſum mari *del Sur* ſiue pacifico. A *Maragonne* fluuio, cuius oſtium ſub ipſo pene Æquatore eſt, vſque ad fluuium Argenteum, *Rio del Plata*, Orientem verſus omnia obtinent Luſitani: cætera (quæ quidem nota nobis) habet Hiſpanus; Regionem omnem à Borea in Auſtrum montes ſecant: Ager eſt auri & argenti prouentu aliarumq; rerum ad vſum humanæ vitæ neceſſariarum beatiſſimus: Ambitus eſt ſedecim millium miliar. Partes enim multæ, ſed præcipuæ & hactenus quidem ſuperatæ Barbariſque ereptæ ſunt: *Caſtella aurea*, *Peruuia*, *Chili*, *Braſilia*. *Caſtella aurea*, *Caſtilia del oro*, iuxta Iſthmum ſita eſt, quo pars Auſtralis Boreali connectitur. Latitudo Iſthmi eſt 72. miliar. Vrbes duæ ſunt, *Nombre de Dios* ad mare *del Nort*, & *Panama* ad mare *del Sur*. Quicquid ex *Peruuia* in Hiſpaniam mittendum eſt, id omne in *Panamaide* vrbe coactum, terreſtri itinere mittitur ad *Nombre de Dios*, inde in Hiſpaniam nauibus exceptum aſportatur: Quicquid ex Hiſpania in *Peruuiam* mittendum eſt, id delatum in portum *de Dios*, terreſtri itinere mittitur *Panamaidem*, inde nauigiis deuehitur in *Peruuiam*.

Deſcriptio Peruuiæ.

PEruuia regio totius noui orbis nobiliſſima, tota ferè intra Æquatorem & Tropicum Capricorni clauditur. Suntque eius fines à ſeptentrione noua Granata, Caſtella aurea, & Peru fluuius ac portus, qui huic regioni nomen dat: ab Occaſu Oceanus ſeu *Mar del Zur*: à Meridie Chila prouincia: ab ortu montes: occupatque longitudine ſua hæc prouincia M. LXXX. leucas. Detecta fuit primum à *Franciſco Pizarro*, anno 1525. cuius præfecturam paulo poſt à Carolo V. obtinuit, atque eam perluſtrauit & occupauit. Occiſus tandem ab Almagri filio, cuius patrem ipſe, & Almagri filium decollauit Vaſco. Vaſcum cepit Blaſco, Blaſconem cepit *Piſari* frater. Ita alii in alios ſæuierunt, ſanguinis pariter & auri appetentes: ſolet enim creſcentem ſequi cura pecuniam, maiorumque fames. Diuiditur hodie in tres partes, nempe in planitiem, in *Sieras* ſeu montes, & in *Andes* ſeu Vltramontanam. Planities Peruuiæ juxta maritimam oram expanditur miliaribus propemodum 1500. Italicis. Eius latitudo maior ad 60. accedit, minor vero ad triginta. Eſt autem hæc pars ſabuloſa, ſolitudinibus frequentibus deformis, ac maiori ex parte ſterilis, præſertim cum nec vllos habeat fontes aut lacus, nec vllis imbribus aut pluuiis vnquam rigetur. Sunt tamen in ea agri permulti circa fluminum ripas viriditate ac fœcunditate læti, quippe qui hyemali tempore à fluuiis ipſis, à præcelſis rupium iugis delapſis effuſiſque, qui nuſquam maiori quam duorum aut trium milliarium ſpatio inter ſe diſtant, vtili inundatione irrigantur: ſed & agros accolæ magna induſtria rigant & exercent, vnde poſtea goſſypium varii coloris, & omne frumenti genus copioſe reddunt. Huius tractus incolæ viles ſunt, puſillanimi & inopes, ſub arboribus & inter arundines ac juncos, viuunt ac dormiunt, pro eſca habent piſces & carnes. Montana regio Peruuiæ longo extenditur tractu à Septentrione ad Meridiem mille circiter leucis, & aliquibus in locis minus. Sunt verò hi montes admodum frigori obnoxii, in eiſque frequenter niues cadunt: nec arbores vt plurimum proferunt, vnde incolæ ignem ex terra quadam ad hoc apta fouent. Reperiuntur hic leones, lupi, vrſi nigri, capreoli, & quoddam pecudum genus camelis ſimile, è quarum lana veſtes gauſapinas, & alia neceſſaria conficiunt. Continentur inter hos montes multæ amplæ valles ac profundæ, fertiliſſimæ, ac populo numeroſiſſimæ, cum aere fruantur calidiore. Et incolæ quidem harum vallium cæteris huius tractus ingenioſiores, animoſiores, ac ciuiliores ſunt. *Andes* ſunt etiam montes, ſed continua ſerie producti abſque vallibus. Hi à Septentrione in Meridiem porriguntur, & inter hos & alteros montes *Collao* prouincia clauditur, quæ quidem vt plurimum montibus referta eſt, ac frigori ſubiecta, ſed tamen valde populoſa. Montana regio, vt ait Læuinus Apollonius, maritimæ regioni hominum cultu, vrbium frequentia, & ſoli aeriſque beatitudine longe præſtat, ac peculiari idcirco regum ſede, procerumque habitaculo excoli conſueuit. Terra enim omnis egregia clementis cæli temperie adiuta multo innumerabilium riuorum, amniumque quos montes profundunt excurſu, mirifice fœcundatur, vt à graminoſis vbique viretis lætiſſime tranſeuntibus arrideat, & fertilibus paſſim pratis grauida omne leguminum genus liberaliter præbeat. Nam præter *Chamæceraſia*, & alia eius generis mora dumetis aſſueta, lactucas etiam, braſſicas, caros, daucos, raphanos magna proceritate luxuriantes, & tenuium etiam menſis vulgares, amaracum, naſtuttium, petroſelinum, ſaluiam, oxylapatum, mentam, & in viſam Veneri portulacam, condiendis epulis lautiſſimas herbas profert, & cætera porro omnia, quæ poſtea Hiſpanis ſerentibus accepit vberrima referendi benignitate

gnitate reddit. Præter has & aliam herbam edit, flauos flores tenuiſculis pedunculis gerentem, frondium habitu, apio non abſimilem, quam celebratiſſimo à Græcis ſcriptoribus potamio ſtratiote potentiorem vulneri etiam renaſcenti, & chirurgorum deſperatione deplorato vnicum remedium afferre; eandem autem carnem ſanam ac valentem (ſi huic adhibita ſit) ad ima oſſa peredere ferunt. Hac etiam præſtantior naſcitur altera (*Cocam* indigenæ vocant) frondibus eius arbuſculæ ſimilis, quæ Græcis Rhus dicta eſt, Latini fruticem coriarium vocarunt, quæ ſicuti reipſa compertum eſt, omnem cibi ac potus appetitum auertit in ore geſtanti.

Verum ante alia frumentum tanta fœcunditate luxuriat, vt, ſi vere proditur, vno ex ſatiuo frumenti ſextario, quinquaginta, aut centum, ducenti interdum progignantur: quod eo certe vehementius demirari licet, quod leuiſſimam, tenuiſſimamque agriculturæ curam ac rationem exerceant. Agros enim leuiter expurgatos, & loliis euulſis ſarritos, cum aratrum vomeremque penitus ignorent, non tanto inductis ſulcis ſubruendi, glebas occandi, deinde poſt iacta ſemina æquandi labore ſe fatigant incolæ, quanto noſtri: ſed lignea pala modice vulneratam humum leuiter inuertunt, ſcrobibuſque effoſſis grana paſtino ligneo, ſicut apud nos fabæ ſolent, depingunt, quæ terra demum ſuperfuſa condita in ſummam luxuriam prorumpunt. Herbarum frumentique copiæ arborum fœcunditas reſpondet, quarum non illæ modo, quas nouit Europa, egregie creſcunt, ſed earum etiam plurimas inuenire licet, quæ nobis nomine naturaque ſunt prorſus incognitæ. Nam vt in montanis fieri ſolet, nigrantes plurimis in locis ſyluæ occurrunt, quæ non omne arborum genus modo, & ex earum caudicibus vberrimam lignandi copiam, ſed in cauis abditiſque ſpecuum luſtris magnam ferarum multitudinem ſubminiſtrant. Pumilium etiam animantium campi, ac imæ valles ad venatorum voluptatem vſque adeo ſunt plenæ, vt lepores, cuniculi, turtures, columbæ, ficedulæ, niſi, frigillæque nullo anni tempore menſis deſint. Sed ne pſittaci quidem, vulpes, vrſi ac leones rara montanis ſunt animantia: equi non iſthic modo, ſed per vniuerſum orbem nouum penitus incogniti: verum horum inopiam, quanquam imparibus & ineptis ad bellum viribus, ouium copia ſupplet, quæ equis magnitudine pares, & cætera forma, præter toroſi pectoris ſtrumam, camelis perſimiles, quinquaginta onerum pondo ſuſtinent, & virum in terga ſublatum ad aliquot paſſuum millia vehunt; feſſæ, ſi vrgeantur ſedentem fœdo odore conſpurcant: ſi onuſtæ ſint, tum humo ſeſe acclinant, nec inde vlla verberum vehementia, ipſis aſinis contumaciores, niſi penitus clitellis exonerentur, propelli poſſunt: vtile profecto animantium genus, non ad ſupplendum modo equorum in ſarcinis hominibuſque vehendis defectum: ſed ad alimoniæ etiam, & opimi lucri vſum. Lanæ etiam tenuitate longitudineque, & copia noſtras ſuperant, & ipſius carnis ſuaui gratitudine vervecum atque iuuencorum noſtratium delectabilem ſaporem adæquant: frumento veſcuntur, ſed pauciſſimi cibi ſunt: vſque adeo exigui vero potus, vt illo triduum quatriduumque abſtineant. pleraque autem montium pars innumerabiles auri argentique gazas nobiliſſimis fodinis emittit; nec vlla fere vrbs aliquo nomine ſpectata offertur, quam non inſigni aliqua fodina auri natura ditarit, vt merito harum comparatione diuitiæ ſordeſcere debeant, quas aut *Tago* aut *Lydorum Pactolo* veterum fabulæ aſſcripſerunt. Nam præter inexhauſtas montium arrugias, quis eloqui poſſit quantam auri argentique vim canales, aut egeſti fluminis theſauri ferant, quæ rutilantibus arenis & pellucidis vndis limpidi, aureo quodam profluxu ruere videntur? Nec in tanta fodinarum copia minii, ſicut accidere Plinius teſtatur, aut ſandaracæ, & id genus verſicoloris terræ ad veſtimenta inficienda venæ deſunt. Supra has

dotes omnis hæc plaga, quæ per montes latiſſime extenditur, ad vberrimam ſatiuarum frugum alimoniam, & priuatorum etiam puteorum commoditatem, mutante vices tempeſtate pluuiarum ſubſidia habet, quæ in tanto Solis æſtu magno incolarum & agrorum hiantium gaudio excipiuntur. Horum montanorum incolarum naturam his verbis quidam exprimit: Hac regionis felicitate incolæ induſtria atque ingeniorum ſolertia dignos ſe præſtant, qui ſicuti ſoli bonitate, ita naturæ politiæque præſtantia maritimos longe antecellunt. Viri ſubuculam, ac chlamydem laneam geſtant, promiſſosque alunt crines, quos circa verticem tenui faſcia ſubſtringunt: fœminis veſtimentum eſt oblongum, ſine manicis, quod laneo cingulo ter quaterque circumducto infra vmbilicum ſuccingitur, huic penula ſuperiicitur aurea, argenteaue, acicula circa collum conſtricta, quam Topum vocant. Hæ candida facie gratioſæ, quanquam abſurde fere in acutam cuſpidem capitum vertices acuminentur, non formæ modo, ſed etiam modeſtię, verecundiæque muliebris, & reliquorum morum non leui gratia pollent: & huic ſingularem in maritos amorem fiduciamque mirabiliter adiungunt, quos præter ſui ſexus vires in quotidianis operibus aſſiduo & fidei labore ſubleuant. De moribus autem Peruuianorum in vniuerſum Læuinius Apollonius ſic ſcribit. Tribus potiſſimum gentibus vniuerſi diſtinguuntur, quarum ſingulæ plures ſub ſe populos nominum rurſus varietate differentes continent. Hæ gentes diſſimilitudine gaudent, & diuerſis linguis ſunt diſcretæ: frequenter etiam limites excedentes inter ſe bella gerere, & ferro iniurias vindicare diſcordes ſolebant, priuſquam in vnius ditionem ad Æquatorem vſque prouincia ceſſit: verum vbi victoria eius cunctis ſub vnam poteſtatem redactis diſſidiorum facultas ablata eſt, ita apud proceres & vulgus *Cuſconia* lingua, qua duntaxat ius dicebatur, voluptati ac ſtudio eſſe cœpit, vt huius gnaro totius prouinciæ peragrandæ non difficilis facultas relinquatur. Fœminis lanea veſtis eſt ad talos vſque propendens, mares induſiolum ad ſuras vſque, & huic ſuperiectum palliolum geſtant. Quanquam vero idem fere tota regione corporibus veſtimenti ſit genus; capitum tamen habitus mirifice variant, cum ſinguli pro vſitato patriæ more faſciolas tornatiles, multi ſimplices, plurimi verſicolores gerant: nec fere ſint quiquam; qui eo in capitum ornatu ſecundum patrium vſum ab alteris non vehementer diſcrepent. Admirabili vero omnes natura indolis ſimplicitate imbuit: adhuc vetuſtæ ruditatis hæres, qua ridiculas nobiſcũ negotiationes exercent; vix inexhauſtas ſuas auri & argenti gazas norunt, atque informibus eorum maſſis tantum vtuntur, quanquam aureorum atque argenteorum emblematum non minore quam nos delectatione capiantur: quibus templorum & regiarum poſtes bracteato ſculptove opere fabrefactis plurimum exornant. In ea tamen vulgari ſimplicitate proxime Æquatori ſubiecti morum incommoditate ac vitiis reliquos ſuperant. Hi multa hypocriſi taciturni, & compreſſis in labra verbis ſubmurmurantes, non multum à Iudæorum modo abhorrent, fœdeque in libidinem procliues; exiguo in precio mulieres habent; quas non viliſſime modo ſibi ancillari cogunt, ſed etiam leuiſſima offenſione plagis acerrime excipiunt. Induſiolo leui vmbilico tenus veſtiuntur: cæteras corporis partes, ne pudendis quidem tectis nudas relinquunt. Crura & brachia gemmatis ſphærularum circulis ornant, & pertuſis vtrinque malis atque orum labris turcoſios atque ſmaragdos mirifice ſplendentes hiatibus infixos gerunt. In eo ornatu tanta ſuperbia eſt, vt eundem vxoribus inuideant; quibus nulla, vel ad perpetuos grauiſſimi Solis æſtus arcendos ſtragula veſtium, præter tenue pudendorum operimentum laneum à maritis conceditur. In ipſis vero templis ſimulacra duo atrorum hircorum ſimilitudine ſculpta adorantur, idque perpetuo cultu. Ante hæc certa-

certarum miri odoris arborum ligna cremantur: ex quibus dum cortices detrahuntur, tam acri odore adeps defluit, vt olentium nares cerebrumque teterrime afficiat, illita vero defunctis aut inſtillata (quemadmodum cupreſſo promanans reſina) perpetuo ab vermiculorum iniuria, carieque vniuerſa mortuorum cadauera vindicet. Apud Caraceos in ſupremis portarum periſtyliis humana ſimulacra conſpecta ſunt ſtriata Diaconi ſtola induta. *Paſaones* interfectorum puerorum virorumque corpora ad ſaxeos ſtylos mirifice aduerſus putredinem præmunita conſeruant, & capita truncatorum in pugni magnitudinem quadam materia mirabiliter extenuata, ad poſtes clauis affixa tanto artificio oſtentant, vt poſt multa etiam annorum ſpatia non ingratum odorem ſpirent. In vulgaribus vbique templis magnorum ſerpentum figuræ adorantur: ſuper hæc ſinguli priuatis in ædibus veteri Ægyptiorum ſuperſtitione, prout cuique ſua ars atque opificium eſt, peculiares Deos ceu penates ac lares colunt. Omnis ſcientiæ prorſus expertes ſunt, litterarum omnium ac picturarum exſortes, quæ apud Mexicanos literarum loco habentur. Laneis enim funibus vtuntur (*quippos* appellant) quibus implicitis diuerſarum figurarum nodis numerum ſupputant ab monade ad denarium, atque inde altius numerando gradatim aſcendentes, nodis colores imprimunt rebus illis ſimiles quas indicare volunt. Singulos prouincia quælibet conſtitutos notarios habet, qui per hos colores rerum vel ante multos annos geſtarum memoriam, ceu litterarum monumentis hauſtam plebi inſinuant, & ſi quid in prouincia poſteritate dignum geratur, fideli per eorum nodorum colores cuſtodiæ demandant: Communium legum ſeptis coercentur omnes, & in ſumma rerum publicarum moderatione egregius iuriſdictionis eſt ordo, iuſtiſſimoque ſupplicio in ſontes animaduertitur. Arma illis ſunt, enſis haſtile præpilatũ, clauus ferreus, ſecuris argentea vel aurea, fundæ, & alia telorum genera: excurrere, ſeruare ordines, ferre opem expedite norunt, nec virtute petitam mortem extimeſcunt, modo vel ſuis egregiam memoriam relinquere, vel accipiendi ab ducibus muneris locum facere poſſint. Continet porro Peruuia prouincia intra ſuos limites plurimas vrbes ac ciuitates, quarum præſtantiſſimæ ac celeberrimæ ſunt: *Portus vetus, Michaelia, Trugizum, Regium ſeu Lima, Arequipa, Quito, Cuſco, Argyropolis, & Potoſium.* Quarum quinque priores ab Hiſpanis primum ſitus commoditate, & mercaturæ opportunitate allectis occupatæ ſunt, & ædificiis more Europæo exornatæ. *Portus vetus* vulgo *Portoueio* prima eſt vrbs ab Hiſpanis occupata, quæ Æquatori proxima eſt, iuxta maris littus, & optimo portu gaudet, ſed aere inſalubri, ob idque infrequenter habitatur. Ad hanc autem nauigia appellunt, quæ vel in Peruuiam regionem tendunt, vel ab ea Panamaidẽ redeunt. Vicinus ager Smaragdos in rupium lateribus ſuppeditat, quos perpolitos magno cum lucro varias in vrbes Hiſpani ſubmittunt. Apud hanc vrbem effoſſa ſunt ab Hiſpanis gigantum oſſa ac dentes, qui tres latitudine, quatuor longitudine digitos exæquarunt: quod quidem hominum genus indigenæ affirmant quatuor virorum longitudinem ſuperaſſe. *Michaelia*, ſeu diui *Michaelis* vrbs *Piura* à Barbaris vocatur, eſtque ſecunda ab Hiſpanis occupata, jacetque propter fluuium *Ciram*, optimum portum habens: fertili etiam gaudet agro, ſed auri argentique fodinis experte, & peculiari Ophthalmię morbo infami, qui teſte Læuinio transeuntium oculos magno dolore impedit atque excruciat. *Trugillum* tertia Hiſpaniarum vrbs, agrum fertiliſſimum habet, frumenti præſertim illius quod incolis *mayz* vocatur: ſed nauigiis parũ frequentatur, ob portuum incõmoditatem. *Lima* ſiue *Regium*, totius maritimi tractus excultiſſima metropolis, in amœniſſima valle ad ripã amnis jacet tutiſſimo in portu, ad duo paſſuum millia ab littore ſemota, Mira aeris temperie gaudet,

agro rerum omnium fertili, præſertim fabis, piſis, & omni leguminum noſtratium genere, atque etiam ficuum, malorum citriorum, aurantiorum, limonum, & cæterorum fructuum copia. Eſt præterea populo frequentiſſima, 500. namque ædificiis & pluribus excolitur, ambitum comprehendens valde ſpatioſum, in quo ſunt latæ viæ, amplum forum & cultiſſimi & amœniſſimi horti. Condita fuit hæc vrbs à *Franciſco Pizarro* anno 1555. & in ea reſidet nunc vniuerſæ huius prouinciæ Audientia, Cancellaria, Prorex, & Archiepiſcopus, cui ſubſunt Epiſcopatus hi, *Quito, Cuſco, Guamantiaci, Arequipa, Pars, Plata, Trugilli, Guanugio, Cacapoia, Portus vetus, Guatachil, Popoiani, Carchi, S. Michaelis, S. Franciſci. Arequipa,* quinta Hiſpanorum maritima colonia, 12. à mari miliar. Italicis diſtans, fœcundo ac ſalubri in agro condita, 300. amplis ædificiis nitet, & frequenter quidem habitatur, ob portus ſui commoditatem. continuoq; magis atque magis incolis ac opibus augetur. ſed tamen admodum diuexata fuit ab ingenti terræ motu Anni 1582. quo omnes fere eius domus proſtratæ ſunt, interemtis etiam 22. viris. Mediterraneæ ac montanæ vrbes præſtantes ſunt, in quibus Hiſpani colonias habent. *Quito* vrbs opulenta eſt, incolarum numero opibuſque metropolitanæ vrbi fere par. Æquatoris lineæ fere ſubiacet: nec tamen feruido, ſed frigido potius cœlo fruitur. Eius ager ſemper virens eſt, & omni frugum beatitudine floret, vbi Europæi fructus mirifice aluntur, atque etiam domeſtica animalia. Scatet inſuper auri metallis, & Mercurio viuo crocei coloris. *Cuſco* montanarum vrbium regina, multitudine incolarum *Regio* non cedit, fodinarum opulentia longe ſuperior eſt. Hæc ante Hiſpanorum aduentum prouinciæ Reges læta ſede fouebat, magno procerum & gregariorum commercio iura hinc petentium celebrata: inter *Peruuinas* ſola eſt, quæ faciem vrbis præferat: munitiſſimam enim quadratorum maximæ magnitudinis ſaxorũ molem habet, quorum permagnam copiam vicini montes immenſiſſimis lapicidinis petentibus excidentibuſq; ſufficiunt: indigenæ ſaxa eruta, & infinito labore, quum iis oneribus trahendis vehendiſque equi ac boues deeſſent, vnum in locum comportata firmiſſimo egregiæ ſtructuræ operi adhibuerunt. Ædes quas incolæ quondam poſſedere, eaſdem politiore paulo ornatu inſtauratas Hiſpani tenent: vniuerſa ciuitas magno hominum confluxu indies augetur. Regum inſtituto quatuor in partes, veluti in tribus diſpertita eſt, & in harum vnam ſeuero edicto impulſi, quicunq; ciuitate donati aut vrbem incolere vellent, recipere ſeſe debebant. Ager non frugum aurearumq; fodinarum, quarum ingens numerus circa ſcatet, felicitate modo gratus eſt: ſed mitiſſimi aëris, auræque placidiſſimæ tanta gratia commendatur, vt vegete ſaneq; ingreſſus, priſtinam valetudinem non facile immutet, Agro *Cuſconio* diſiunctus magno ſatis ſpatio iacet ad Orientem lacus *Titicaca,* quem rapidiſſimus amnis in Occidentem decurrens, aquarum in magnũ ſe ſpatium effundentium efficit, ac deinde veluti intolerabile onere ſolutus in alueiſui anguſtias redit, ſed iſtuc receptus, iterumq; velut ante illabentium amnium mole increſcens in alterũ rurſus, ſed minoris quantitatis lacum prorumpit, laxatiſque tantæ molis incubitu vinculis liberius excurrens, obſcuro exitu euaneſcit, in occultos naturæ ſpecus ſubſidens, & ſubterraneo aluei abſorpti cuniculo in pelago tranſmiſſus; quemadmodum Alpheum ex Peloponeſo in Siciliam perlapſum olim ferunt.

Deſcriptio argenti-fodinarum Potoſi.

AVri optimi bonitas Hiſpanorum & Gallorum legibus definitur ceratiorum 23. & dodrantis ceratii, ita vt ſi maſſa fuerit 192. partium, tres partes auri deſint. Argenti enim ad aurum ratio toto pene terrarum Orbe duodecupla. Aurum omnino tribus modis

modis inuenitur: Fluminum ramentis, puteorum ſcrobibus aut ruina montium, & cuniculis per longa ſpatia terrarum actis: Quod tamen in amnibus inuenitur longe eſt abſolutiſſimum, ac curſu ipſo attrituque perpolitum. tale eſt in Hiſpaniæ Tago, Pado Italiæ. Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ. Quod è terra eruitur multa adhuc cura indiget. Qui illud quærunt, ſegullum tollunt, arenam lauant, atque ex eo quod ſubſedit coniecturam faciunt: ita inuenitur ſæpe in ſumma tellure, rara felicitate. Quod ex puteis effoditur, canalitium alii vocant, alii canalienſe. Quod è cuniculis educitur arrugiam appellant. Primus hanc artem factitaſſe fertur *Tubalcain*, vt in ſacris clare proditum eſt Geneſ. cap. iv.

Auri Hungarici alibi mentionem fecimus. Dalmaticum prædicat Statius;

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes: vbi Dite viſo
Pallidus foſſor redit, erutoque eſt
Concolor auro.

Similis pene argenti natura. Terra eſt ruffa, alia cinericia, in vtraque argentum inuenitur puteis effoſſis. Excoqui non poteſt niſi cum plumbo, aut cum vena plumbi, galenam vocant, quæ iuxta argenti venas plerumque reperitur. Eodem tunc opere ignium deſcendit pars in plumbum, argentum autem ſuperne innatat, vt oleum aquis. Vbicunque vna inuenta eſt, non procul inuenitur altera. Argenti vena, quæ in ſummo reperitur, crudaria appellatur. Finis antiquis fodiendi ſolebat eſſe, alumen inuentum; vltra nihil quærebatur: ſed deprehenſum, etiam ſub alumine æris venas interdum eſſe albas. Odor ex argenti & auri fodinis noxius admodum eſt.

Lucretius.

Nonne vides etiam terra quoque ſulphur in ipſa
Gignier, & tetro concreſcere odore bitumen?
Denique vbi argenti venas aurique ſequuntur
Terrai penitus ſcrutantes abdita ferro
Quales exſpiret ſcaptenſula ſubter odores?
Quidve mali ſit? vt exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddant facies, qualiſque colores?
Nonne vides, audiſve perire in tempore paruo
Quam ſoleant? & quam vitai copia deſiat
Quos opere in tali cohibet vis magna? neceſſe eſt
Hos igitur tellus omneis exæſtuet æſtus.

Neque tamen prohibuit aeris corruptiſſimi violentia Hiſpanos, ne in alio orbe nouum moriendi locum quærerent: Inuentus eſt præcipue in prouincia *Ciarga* Regni *Peru*. Primum *Porco* & *Carabaya*: poſtea vero ad *Potoſi*, decimo octauo miliari à *Villa de Plata*, quam alii *Argenteam* vocant, alii Græco nomine *Argyropolin*. Eſt autem oppidulum iſtud haud ita magnum. Argenti fodinæ vberes admodum: nam quintale vnum marcas reddit argenti puriſſimi octoginta, quod aliis locis inauditum eſt. Inuentio huius fodinæ Indis debetur, qui forte per loca iſta iter facientes metallum deprehenderunt. Quod vbi *Argyropoli* innotuit, confeſtim montem placuit inter ciues diſtribui, qui Indorum opera tantam argenti vim extraxerunt, vt ea Europæ vniuerſæ ſufficiat.

Deſcriptio Regni Chili.

CHili regnum vltra Tropicum Capricorni ſitum eſt, inter *Peruuiam* & *Patagonum* regionem, quarum hæc Meridiem, illa Boream ſpectat, ad Occaſum habet mare pacificum, longo tractu. Nomen ei à frigore, quod interdum his locis tam eſt vehemens, vt equos cum ſeſſoribus penitus conſtringat, & marmoris inſtar induret. Pluuias, fulmina, & totius anni mutationem ſentit diſtinctis interuallis, haud aliter atque Europa : niſi quod illic æſtas eſt, quum nobis eſt hiems, mutatis rerum vicibus. Polus Antarcticus obſeruatur ex nubeculæ cuiuſdam albæ circumactione, cuius periferias centrum polum conſtituit. Regio omnis partim maritima eſt, partim montana; quæ pars mari vicinior eſt, ea magis calet. Magna hic pecudum & ſtruthionum frequentia. Fructus qui ex Hiſpania allati hic feruntur, facile creſcunt. Fluuii plerique ob indomitum frigus noctu concreſcunt, interdiu vero decurrunt ſoluto gelu. Incolis vaſta & firma corporis moles, membra compacta, animus bello aſſuetus, arma habent, arcum & ſagittas: veſtem pelles ferarum & luporum marinorum. Metropolis eſt ciuitas *S. Iacobi*, colonia Hiſpanorum, quam illi noſtra memoria duxerunt. Orientem verſus terminat hanc regionem *Braſilia* quam nos copioſe deſcribemus: eius fluuius qui Indorum lingua *Vrnai*, Hiſpano vero idiomate dicitur *Rio de la Plata*, clarius hac tabula diſertiuſque exprimitur. *Patagonum* regio Auſtrum verſus protenditur vſque ad fretum *Magellanicum*. In *Chica* regione ad littora S. *Iuliani* apparuere *Magellano* proceræ atque inuſitatæ magnitudinis homines; ſingulis longitudo erat denum pedum. Hi ſine vlla nauſea ſeſquicubitales ſagittas per guttur ad ſtomachi vſque fundum egere, vt hoc argumento oſtenderent quam eſſent robuſti. Anno 1588. Hiſpani ad freti *Magellanici* defenſionem vrbem condidere, quæ *Philippopolis* dicta fuit. Eam poſtea Angli ingreſſi, offenderunt colonos omnes fame enecatos: fuerant autem quingenti. Itaque à re *Portum famis* dixere.

Deſcriptio Braſiliæ.

BRaſilia inter duos fluuios ſita eſt, *Maragnon* & *della Plata*. Eius deſcriptio prout à *Ioanne Petro Maffeio* edita eſt, ſic ſe habet. *Braſiliam* paullo poſt *Capralis* acceſſum *Veſputius Emanuelis* Portugalliæ Regis auſpiciis accuratius explorauit. Hæc à duobus ab Æquatore gradibus partibuſve, ad gradus 45. in Auſtrum excurrens, trigoni oblongam ſpeciem refert. cuius baſis in Æquatorem & Septentriones obuerſa, ab Oriente in Occidentem recta protenditur. Angulus extremus ignotas ad Meridiem regiones attingit. Latus in Orientem ſpectans, interpoſito Oceano Heſperiæ Æthiopibus obiacet, alterum latus à prouincia *Peruana* diſterminant iuga montium adeo celſa, vt ipſos auium volatus fatigare dicatur, vno duntaxat, quod adhuc exploratum ſit, eoque difficillimo tranſitu. Regio tota imprimis amœna eſt, Cæli admodum iucunda ſalubriſq; temperies: Lenium quippe à pelago ventorum commodiſſimi flatus matutinos vapores, ac nebulas tempeſtiue diſiiciunt, ſoleſque puriſſimos ac nitidiſſimos reddunt. Scatet ea tota ferme plaga fontibus ac ſyluis ac amnibus inclytis: è quibus (vt reliquos taceam) is quem *Argenteum* vocant, leucarum quadraginta oſtio in Oceanum fertur, adeo violentus, vt inde nautæ dulces hauriant latices, priuſquam tellurem ex alto conſpiciant. Terra partim in planitiem ſoluta, partim in colles clementer aſſurgens, felix prepinguibus glebis & riguo ſolo ſemperque vernante, credita ſemina multiplici reddit fœnore; ſaccha-

ſacchari præſertim eſt ferax, quod cœleſte donum Attico melli multis partibus præferendũ, proceris arundinibus condidit natura: è quibus aquæ dulciſſimus humor expreſſus, in ahenis excoquitur, tum formis in panes cogitur ad metæ figuram: dein rurſus, vbi libuerit, eliquatus, artifici manu pigmentis ad inſtar ceræ varias in effigies indiſcreta pene ſimilitudine trahitur. Cuius generis officinæ, hodie, qua præſertim incolunt Luſitani, paſſim exſtructæ viſuntur: atque ex ea merce negotiatores vel maximum capiunt emolumentum: ſiquidem nauibus quotannis in Europam euecta, maximo compendio longe lateq; diuenditur: Certis etiam è plantis, quas vulgo *Copaibas* vocãt, inciſo per æſtatem cortice, in modum balſami liquor ſuauiſſimi odoris emanat; cuius cum ad alios mortalium vſus, tum ad curanda vulnera & cicatrices tollendas, mirificam vim eſſe perhibent. Eæ plantæ cernuntur affrictu animalium attritæ, quæ à ſerpentibus venenatis, aut à feris icta, ad remedium illud ipſo naturæ inſtinctu ſe conferunt. At *Zabucales* dicuntur, admodum excelſæ, magnos ferunt ſumma duritie calices, ore in terram obuerſo: & quidem admirabili naturæ ſolertia pyxidatim operto, iis calicibus nuces caſtaneæ ſaporis egregii continentur, quæ vbi mutauerint, excuſſo confeſtim operculo, paulatim ipſæ per ſe in alimentum incolarum è calice decidunt. Syluestria etiam ſunt *Cauſia pira*, ſucci plena, & innoxia: itaque mediis coloribus auide manducantur. Cæterum in imo Piro faba quædam extuberat cortice amariſſimo, perdulci medulla ſi torreatur. Pyro refrigerandi eſt vis, faba calefacit. Verum ex omni genere palma tribuitur iis, quos vulgus *Ananaſes* appellat. Planta eſt humilis, cuius è ramis veluti pinea nucamenta dependent præmollia: hæc ſuo tempore in fruſta diſſecta gratiſſimo ſimul odore ac ſapore non recenti duntaxat edulio ſunt, verum etiam in longum tempus adſeruantur è ſaccharo. Iam vero elati in eas regiones ex noſtro orbe *Melopopones*, cucumeres, malogranata, ficus, viteſque biferæ ac triferæ, nec non multiformia mala medica ſuppetunt. Adhæc eſt videre complures alias pomiferas arbores, quas percenſere nimis longum ſit, piſceſque & aues coloris eximii, & quadrupedia plurima ſed ferme ſylueſtria, partim nota nobis, partim ignota, in quibus vtiq; apparet, quam miris modis ac variis diuina ſapientia ludat in orbe terrarum. Ex eo numero, vt pauca perſtringam, apti ſunt amphibii carnibus optimis ac ſaluberrimis: ij quod priores pedes perbreues habent, poſteriores autem prælongos, tardiore ſunt curſu: itaque deprehenſi à venatoribus, qua proximum eſt ſeſe aquis immergunt. *Antæ* ſunt etiam gentis vocabulo ad mulæ ſimilitudinem, ſed minores, & bucca tenuiore, inferiore autem labro tubæ inſtar oblongo, rotũdis auribus, breui cauda, reliquo corpore cinereo, eædem lucifugæ ſunt, non niſi noctu ad pabulum prodeunt, vbi diluxit, in ſua ſeſe condunt latibula. Huius belluæ carnes guſtatu plane bubulas referunt. *Cotias* vero nominant, magnitudine & forma & ſapore leporum: rufo colore, paruis auribus, cauda fere nulla. Maiores ſunt eiuſdem fere ſpeciei, quas *Pacas* vocant, roſtro & facie felis, fuluo colore, candidis maculis interſtincto: neque carne tantum, ſed & corio ipſo prætenero, atque ob id ipſum in delicatiores epulas expetito. Cæterum inſolito ſpectaculo *Tatuſiæ* ſunt ad porcelli magnitudinem, corio ſquamatim loricato, adeo vt equi cataphracti ſpeciem reddant: ex eo caput duntaxat, more teſtudinum, exerunt, pedibus contractis, ſpecubus ferme vti cuniculi ſeſe continent: hæ quoque carnes palato gratiſſimæ. Magna præterea vis tigridum eſt, quæ famelicæ horribili velocitate ſunt, viribuſque tremendis: eædem paſtæ (quod mirere) tanta ignauia dicuntur eſſe, vt à gregariis etiam canibus confeſtim in fugam agantur: adeo cibi potuſque ſatietas non homines tantum ſed etiam feras eneruat. Illud vero mirum in *Cerigonibus*, (id animanti nomen, buxeo colore, vulpeculæ magnitudine.) ex eius aluo duæ dependent veluti manticæ: in iis catulos

circumferunt,& quidem adeo pertinaciter ſuo quemque vberi affixos, vt à perpetuo ſuctu nō auellantur,antequam ad paſtum ipſi per ſe progredi valeant. Valde etiam inuſitata & effigie & natura eſt animal,quod ab re ipſa Luſitani *Pigritiam* appellant, Cerigonum fere magnitudine, ſed roſtro fœdiore & aſpectu & vnguibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus.Huic ex occipitio coma verticem velat, lentoque ipſa ventris adipe verrit humum,neque vnquam in pedes exſurgit: deniq; tam tarde mouetur, vt quindecim totis diebus ad lapidis iactum continuo tractu vix procedat, victitat arborum foliis,& in earum cacuminibus degit plerumque: quarum in aſcenſu biduum circiter, tantundem in deſcenſu ponit: neque vero adhortationibus tantum aut minis, ſed ne plagis quidem fuſtibuſve beſtiam vel tantillum de inſita ignauia ac tarditate dimoueas. Mirandum eſt etiam genus quas *Tamendoas* vocant,veruecis ſimilitudine,colore fuſco,prælongo ac tenui rictu, neque eo ad malas diducto,ſed modice ad imum inciſo: Vnguibus inſtructa eſt quadrupes mire longis latiſque, nimirum ad victum facilius comparandum, formicis enim alitur,quarum latebras vbi crebro vnguium iniectu ac foſſione detexerit, illico exertam trium ferme dodrantium linguam immittit exilem, opertamque formicis repente contrahit,deglutitque deceptas. Huic vti ſciuro valde promiſſa & ſetoſa cauda pro tegumento eſt,ſub ea quippe ita ſe condit,vt nihil ex reliquo corpore prorſus appareat. Neque hæc tantum & alia indidem ſylueſtria,vt dixi, verum etiam nuper à Luſitanis inuecta pecorum & equorum armenta plane admirabili prouentu fœtificant, quo magis mirum,vberrimo agro,mitiſſimo cælo,tam fera & acerba eſſe incolarum ingenia. Nullos omnino colunt Deos, ominibus tantum & auguriis ad inſaniam dediti,ariolis, impoſtoribuſq; miſerandum in modū quæſtui ſunt. Nudi æque viri ac fœminæ prorſus incedunt,robuſti,fluxo à vertice duntaxat capillo: nam cæteras corporis partes identidē depilant: ſimis vti Sinarum populi naribus,cutem omnem atro inſuper ſucco pomi *Genipapi* turpiter inficiunt. Præterea inſertos habent inde à prima ætate deliciarum cauſa quidam inferiore duntaxat labro,quidam etiam facie tota prælongos nullius pretii lapillos,tetro ſane ſpectaculo. Gregatim peregrinantur ordine ſimplici, ſilentio miro, virū vxor anteit. Carorum aduentum circumdatis collo brachiis,appreſſo ad pectus capite, cum effuſa comploratione altiſque ſuſpiriis primum excipiunt, viæ laborem & incommoda miſerantes: momento dein ſiccant oculos,habentque lacrymas in poteſtate. Grauidis haud ita multus in partu dolor, à puerperio fœta confeſtim exſurgit, ac domeſtica obit impigre miniſteria. Eius loco (quod vix credat quiſquam) in aliquot dies velut æger decumbit maritus: hic officii cauſa ab amicis & propinquis inuiſitur: huic ſorbitiunculæ dantur ad refouendas vires: huic degentis more bellaria & delicata munuſcula offeruntur. Numerandi rationem ac litteras ignorant omnes,tantum tenui quadam traditione,nonnulla de Noe,deque diluuio à patribus accepiſſe dicuntur: vt valde probabile ſit, poſt diſſipatos quondam diuino iuſſu mortales, nullum huic genti cum noſtri orbis hominibus fuiſſe commercium. Vino & frumento in hæc vſque tempora caruere, ſatiua radice victitantes in farinam redacta,quam *Mandiocam* appellant. Sub eodem tecto, ad inuerſæ modum carinæ prælongo multæ ſimul familiæ degunt; noctu ad noxia vitanda animalia cubant in retibus ſupra terram ſuſpenſis: viuunt in diem, & quicquid habent in commune facillime conferunt,nihil in poſterū ſolliciti. Natandi arte ad miraculum vſque præcellunt,ſub aquis totas interdum horas, vbi quippiam in imo quærendum eſt; patentibus oculis vrinantur,laboris item & inediæ tolerantiſſimi ſunt, triduum integrū vbi penuria ciborum ingruerit,ieiuni traducunt: idem ſi copia ſuppeditat,à primis tenebris ad lucem vſque in conuiuiis & compotatione perſiſtunt. Recte aut perperam factis,

nihil

nihil poſt mortem præmii aut ſupplicii ſupereſſe arbitrantur. Qui diem ſuum obiere, perinde ac deceſſerint, vel integro corpore, vel mancos, vel debiles vulneribusq; confoſſos, deſcendere ad orcum putant. ergo incremata condunt humo cadauera, addito reti cubandi cauſa, nec non cibariis aliquot dierum appoſitis: quod perſuaſum habeant, & ſomnum interim capere, & cibo frui manes mortuorum. Captos in prælio hoſtes (crebra autem inter eos bella excitantur, ac ſagittis præſertim vtuntur) egregia multorum dierum cura ſaginatos, ingenti cum tripudio mactant, vorantq; toſta verubus membra, eæ potiſſimæ Braſiliis epulæ ſunt; neque ſi cui hoc lethi genere perire contigerit, male ſecum actum exiſtimat, quinimo ad mortem pergit alacriter ac ſecurus, editiſque contra ipſomet percuſſores facinoribus, magnifice in ipſo necis articulo gloriatur. Sparſis domiciliis habitant, nullo magiſtratu legibuſve conſtricti. Lingua difficilis cognitu, & vna ferme eſt omnium quotquot adhuc probe noti ſunt, exceptis certarum rerum vocabulis, quæ aliter viris aliter à fœminis vſurpantur. Trium ex alphabeto elementorum F.L.R. nullus apud eam gentem eſt vſus: minime abſurda quorundam animaduerſione, factum id eſſe, eo quod Fide, Lege, Rege, ſicuti dictum eſt, careant: beneficiorum acceptorum immemores, æque iræ ac libidinis impotentes; ad pugnas & certamina temerarii præcipiteſque: vltionis & humani ſanguinis auidiſſimi: ad ſummam, belluis, quam hominibus propiores ſunt, quotquot mores patrios retinent, ac mediterranea, incolunt loca. Nam poſt illatam religionem & liberalium artium diſciplinas, in vicos & oppida tributi; præſertim qui mare ac colunt, ad humanitatem ac pietatem magnis laboribus excoluntur. Atque hæc *Maffæius*. Cæterum in hanc regionem Portugalenſes omnes fere attulerunt fruges ac fructus Europæos: & nunc ex ea maximam ligni rubri copiam ad tingendos pannos expetiti extrahunt, quod *Braſilium* vocant, deinde etiam goſſypii & ſacchari ingentem vim. Multæ vero ſunt iſthic Portugalenſium coloniæ, in quibus complura ſunt ab ipſis ad ſaccharum exequendum conſtructa ædificia, nempe *Peinambicum*, *Caput S. Auguſtini*, *Portus omnium Sanctorum*, vbi Epiſcopi & Præſidis totius Prouinciæ ſedes. Poſtremo ſunt & aliæ quam plurimæ regiones in hac Meridionali peninſula, nimirum *Popayam*, in qua ſunt vrbes, *Popayam* metropolis, *Paſtoco*, *Calli*, *Cartago*, *Antiochia*, & aliæ; *Noua Granata*, in qua *Tunia* regiuncula ſmaragdorum, & *S. Fides*, vbi reſidet Archi-Epiſcopus, & Præſes *Nouæ Granatæ*. *Caribana*, in qua ſunt *Dariez*, *Vraba*, *Cenu*, *Cacibana*, *Cartagena*, *Veneriola*, *Manacapina*, *Cumana*. *Paria*, quæ fuit prima regio huius continentis à *Columbo* detecta. *Cinnamomifera* regio ab Ortu *Peruuiæ* adiacens, profert cinnamomum à vulgato differens. *Turcomanorum* regio in qua ſunt Hiſpanorum coloniæ, *Salta*, *Stero*, *S. Michaelis*, *Corduba*, *S. Iacobi*. *Patagonum* ſiue *Gigantum* regio, & aliæ nonnullæ, quarum quædam fœcundæ ſunt, quædam ſteriles rerumque omnium inopes. Incolæ plerique barbari, inhoſpitales, antropophagi.

FINIS.

PARALIPOMENA AMERICÆ.

HOC EST,

NECESSARIVS DISCVRSVS, ACCVRATAQVE AMERICÆ DESCRIPTIO,

IN QVA TAM INCOLARVM NATVRA, QVAM ALIÆ res,quarum in Nauigationibus,aut nulla,aut ſaltem obiter facta mentio eſt,enucleatius declarantur.

Veterũm Doctorum ſententia de rotunditate cæli & terræ. Lactant. lib. 3. diuin. inſtit. cap. 24. Chryſoſt. hom. 14. & 17. Sup. cap. 8. ad Heb. Hieron. lib. 2. ſup. Epiſt. ad Eph. cap. 4. Auguſt. lib. 2. Geneſ. c. 9. &c.

LAVDATISSIMI illi Priſcæ Eccleſiæ Doctores, *Lactantius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus & Theophylactus*, ex quibuſdam Sacræ Scripturæ locis perperam acceptis, nec ſatis intellectis, arbitrati ſunt, ſuisque prodidere ſcriptis, vniuerſum hunc Mundum ſimilem eſſe domui, quæ non vndiquaque ſed ex vna tantum parte tectum habeat; neque fieri poſſe, ſed inter abſurda ac omni rationi contraria collocandum eſſe eorum dogma, qui exiſtiment, Terram hancce, tantæ molis ac ponderis maſſam, in medio veluti aëre libratam pendere atque fluctuare: quo nomine priſcorum Philoſophorum præſtantiſſimos ludibriis & cachinnis exagitauere, quorum erat hoc placitum: *Cœlum conuexitate quadam ſua circumquaque rotundum atque mobile eſſe.* Et de cæteris quidem non adeò videtur mirandum: De *B. Auguſtino* autem vix tale quidpiam tibi perſuadere poſſis. Etſi enim is Eccleſiæ Doctor, vt ex ipſius lucubrationibus clarum eſt, artium bonarum fuerit peritiſſimus, nec minus gnarus Phyſicarum & Aſtronomicarum diſciplinarum: negari tamen non poteſt, eum ſemper hæſitabundum in rebus maxime dubiis habuiſſe, *vtrum terra à Cœlo vndique circumdaretur atque ambiretur*; etſi de rotunditate non omnino negauerit.

Sapient. 13.

Quisquis autem cogitauerit, & cæteros illius æui Doctores, & cum inprimis hunc ipſum *Auguſtinum* totos quaſi demerſos atque immortuos fuiſſe cognitioni CREATORIS, illiusque famulitio omnino deditos ac conſecratos, non mirabitur, nec ipſis vitio vertet, ſi de CREATVRIS quandoque non adeo exquiſite ſentiant aut loquantur. Quin ipſi *Philoſophi* atque *Sapientes ſeculi* eo ipſo augent infelicitatem ſuam; quod præalto ſcientiæ ac cognitionis faſtigio conſcenſo, non ignorauerint, quid ſit *Mundus*, quæ illius ratio, quis ordo, quod momentum, (quæ omnia certiſſimis quibuſdam principiis eruta, firmisque ratiociniis adſerta fuerunt aſſecuti) in ipſarum tamen *rerum creatarum* conſideratione velut ſtupidi obhæreſcentes, earum *Creatorem* nec agnoſcere laborauerunt, vt debebant, nec legitimo modo, vel aliqualiter agnitum, coluerunt, ſed vani facti ſunt, in celſis illis ſuis cogitationibus:

Rom. 1.

Peri-

Plutarch.lib. de placitis philoſoph.2.c.2.

Peripateticorum quidem Princeps *Ariſtoteles*, cum omni ſua ſequela, (quibus in hoc argumento cum *Stoicorum* placitis conuenit) ea quæ diximus, ex figura & conuerſione cœli bona ratione concluſerunt: nos vero, qui in his regionibus verſamur multo dilucidius & perfectius hæc oculis noſtris arbitrari poſſumus, quam vlla conſequentia aut deductione philoſophicorum argumentorum concludere.

Terræ globum omni ex parte cælo cingi.

Rationes.

Cœlum inſtar globi aut figuræ Sphæricæ rotundum eſſe, terramque eo omni ex parte cingi velut ac circumdari, nec dubitare poſſumus nec debemus. Namque illam terræ partem ſiue hemiſphærium contemplamur, quam veteres ignorauerunt. Vtrumque mundi punctum, (*Arcticum & Antarcticum Polum* loquor, de quibus *Auguſtinus* non breuiter dubitauit,) ſæpius intuemur, quoties nempe Lineam æquinoctialem, ſiue Æquatorem nauigiis noſtris ſuperamus. Et vt de nobis ipſis profiteamur, lineam illam æquinoctialem ex vtraque parte ſupergreſſi, ſexageſimum Gradum vtrinque ab Æquatore diſtantem nauigando attigimus: vt iam nihil dicamus de iis qui longe maius & vaſtius ſpacium emenſi ad ſeptuageſimum gradum vſque & vlterius penetrauere.

Victoria Nauis Magellani.

Nauis illa, qua *Ferdinandus Magellanus* vſus eſt, eique ab euentus felicitate *Victoriæ* nomen impoſuit, totum Orbem terrarum velificando ambiuit, qua quidem nauigatione graphice demonſtrauit, veterum opinionem de infinita eius magnitudine, vaſtitate & vacuitate erroneam fuiſſe. Hoc itinere experientia demonſtratum eſt, Terram, etſi ſatis magnam, magno tamen illo mari multo minorem: poſtquam vaſtitatem Oceani velut humanis veſtigiis aut paraſangis emenſi ſunt. Vnde illud quoque conſectarium nec minus ab iis deprehenſum, Globum illum, qui ex duobus Elementis, *Terra & Aqua* ſeſe mutuo quaſi complexis compoſitus eſt, vndique comprehendi, ſuisque certis finibus deſcribi ac finiri poſſe.

Rotunditas globi Terreſtris & aquei deprehenſa.

Teſtimonia S. ſcripturæ, Terram in medio mundi eſſe.

Pſal.19.

Neque vero ea quæ ipſa αὐτοψία & infallibile oculorum arbitrium de ſitu terræ & Cœli motu adſtruit, ſacris literis contrariantur; quinimo in hac ipſa materia pulcre cum iis conſpirant. *Dauid* ipſe *Rex* in hanc ſententiam it, cum ait: *Sol oritur & occidit, curritque in locum ſuum, vt denuo ibi oriatur. Ventus flat verſus meridiem, circuitque ad Aquilonem, reuertiturque in locum vnde ortus fuerat.* quæ verba paraphraſtes ita perſequitur: Poſtquam ſol omnem hunc mundum percurrit, ſuaque luce colluſtrauit, reuoluitur ad eundem terminum ſiue punctum: quod profecto fieri haudquaquam poſſet, ſiquidem corpus terrę vlla parte ſui cælo cohæreret. Super hæc teſtatur Diuina ſcriptura, *DEVM firmaſſe columnas terræ*: quo ſignificatur, vaſtam illam, & immenſi ponderis molem terream non alio fulcro aut tibicine ſuſtineri, quam omnipotente DEI dextera. Hæc eadem Diuina manus Cœlum ipſum columnis fulcit, non Poeticis illis fabuloſi Atlantis aut ærumnoſi Herculis, ſed verbi ſui efficaciſſimi, cuius potentia portat omnia. Mirandum autem eſt, quam ſapienter dicant S. literæ, Terram pendere ab Elemento Aquæ, eoque potiſſimum cingi ac velut veſtiri. *Ipſe (Iehoua) illam (Terram) fundauit ad Maria, & parauit eam ad aquas.* Quod ſi quis porro ſciſcitetur: Eccui fulcro vel fundamento ponderoſa illa moles terrę cum abyſſo aquea coniuncta innitatur, Reſpondet ſcriptura: *Expandit ſeptentrionem ad nihil, & ſuſpendit terram de nihilo.* Quæ verba ſane conſideratione ſunt digniſſima. Nam & terra de nulla re pendet, etſi globus ille ex aqua & terra conſtas medio aere libratur & quaſi ſuſpenſus eſt. Cuius miraculi magnitudo clarius etiam illuceſcit cordi humano ex verbis DOMINI ad *Hiobum*, quem ita percontatur:

Pſal.74. *Hebr.1.* *Iob.26.* *Hiob.38.*

4. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi ſi habes intelligentiam.*
5. *Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam?*
6. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt aut quis demiſit lapidem angularem eius,*

Ideam

Pſal.104. Ideam autem atque modum ædificii huius viuis coloribus exprimit Dauid Propheta verbis hiſce pauculis: *Qui fundaſti Terram ſuper fundamentum ſuum, vt permaneat in æternum.* quorum hic fere ſenſus eſt. Ratio, cur globus terreſtris, cuius ponderoſitas tanta eſt, vt mente concipi nequeat, neque ruat neque vacillet, quanquam in medio aereæ regionis collocatus ſit; quia certa quædam fundamenta in ſua ſibi natura à ſapientiſſimo Conditore omnium concreata habet, quib. contentus, firmus ac immobilis acquieſcit, ne vllo fulcro, tibicine aut ſublica extra ſeſe indigeat. Nec eſt quod quis vereatur, quia moles illa in medio librata & quaſi pendula appareat, ne aliquando currentibus ſeculis quaſi rupto ſuſpenſionis filo ruat, aut in hanc vel illam partem cœli præceps delabatur. *Nam in æternum* (ait) *permanebit ipſa.*

Reſponſio ad obiectionem ex Hebr.8. Nec aduerſatur huic ſententiæ, quod Paulus Apoſtolus cœlum appellat *Tabernaculum à Deo non homine erectum.* Nec enim videre poſſum quo pacto rotunditas terræ & motus cœli inde euertatur. Quod enim *DEVS erexiſſe tabernaculum dicitur*, non ideo cogitandum eſt, Terram quæ immobilis ſuapte natura eſt, vna tantum ex parte ſiue latere cœlo tegi: quanquam ſatis notum ſit, Allegorias & ſimilitudines, quarum ingens copia in omni ſacra ſcriptura obuiam, ſecundum literam nec ſemper nec per omnia accipi atque intelligi poſſe. Cæterum quod *B. Auguſtinus* ad infirmandam hanc doctrinam de rotunditate & conuexitate cœli adducit dictum Pſalmi, dicentis: *Expandis cœlum ſicut aulæum* vel peripetaſma: atque inde euincere nititur, non rotundum ſed planum illud eſſe: facile refellitur. Nec enim iis verbis figura cœli depingitur: ſed hoc innuitur: Acque facile DEO fuiſſe immenſum illud cœlum, quod latiſſime patet, fabricare, ac nobis eſt complicata ſtragula vel aulæa expandere. Multo minus obſtat locus ſcripturæ, qui *Cœlum thronum vel ſedem Dei, terram vero ſcabellum pedum eius* appellat. Nam ſi in Anthropomorphitarum ſententiam concedere vellemus, quæſtio fortaſſe perdifficilis oritura foret, qua ratione DEVS, *qui implet omnia*, terram loco ſcabelli pedum haberet. Sequetur enim inter cætera abſurda, poſtquam terra in medio collocata eſt, DEVM ſibi ipſi pedes obuertere; cui eo quoque nomine plura capita neceſſario affingenda forent.

Chryſoſt. ſup. c.20. in Matt. *Auguſt. de Gen. c.9.* *Pſal.103.* *Eſa.66.* *Actor.8.*

Facies cœli Antarctici. Porro à multis in Europa quæritur: Ecquæ nam ſit conſtitutio aut facies huius *cœli Antarctici*, poſtquam de eo in veterum Aſtrologorum ſcriptis ne γρῦ quidem inuenitur literis proditum? Etſi enim non omnino ignorauerunt eſſe *cœlum Antarcticum*, Naturam tamen & faciem illius cœli minime ſunt aſſecuti. Docti viri multas magnasque res de eo in publicum prodiderunt, eſſe in eo plurimas, diuerſæque magnitudinis ac elegantiæ ſtellas, aſtra, ſigna ac conſtellationes.

Ego vero in ea ſum ſententia, vt exiſtimem maiores & pulcriores ſtellas apparere in altera parte Cœli, quæ eſt verſus *Polum Arcticum*: & quicquid in auſtrali parte videatur aſtrorum, nequaquam præferendum eſſe ſideribus, quorum habetur mentio in Virgiliano carmine. Iucundo autem cum primis ſpectaculo in hac parte cœli ſe conſpiciendum offert peculiare quoddam ſidus, è quinque ſtellis compoſitum, inque quincuncem vel modum crucis figuratum, quo nomine etiam *Cruſera* ab nautis indigitatur. Imperiti rerum Aſtricarum hactenus opinati ſunt, hoc ſidus cruciforme eſſe *Polum Antarcticum*, quia nautæ hoc ſibi in curſu nauigationis proponunt, haud ſecus, ac in ſeptentrionali orbe *Polus Arcticus* nautis propoſitus eſt: ſed magno errore. Iſtud enim ideo fit, quod Polus Antarcticus nullis ſtellis fixis, quemadmodum in Arctico cernere eſt, notetur: qua de cauſa nauigantes neceſſario proximam ſtellam ſibi ſequendam eligunt, quam ipſi *Pedem crucis ſeu Cruſeræ* appellare ſolent, quæ tamen, vt calculus Aſtronomorum rationes ponit, triginta gradibus ab inde diſtat.

Sidus cruci forme ſeu Cruſera.

Enim-

Enimvero nec hoc diſſimulandum eſt, *Lactantium & Auguſtinum*, viros ſanctos, in alio errore verſari, cum negant fieri poſſe, vt in illa parte orbis terræ, quæ vltra *Tropicum cancri* porrigitur, homines habitent, quod eo nullis modis ſiue mediis penetrare poſſint, aut ſi forte homines ibi ſint, propter immenſum tamen æſtum ſolis in illa media orbis parte, quæ inter vtrumque *Tropicum* comprehenditur, viuere non poſſe, continuo exurendos, quam partem & ipſi & alii *Zonam Torridam* vocant, nomen ex opinione condinifcentes. Quin & *Parmenidis*, & *Ariſtotelis* ipſius, & *Plinij* eadem fuit opinio, qui omnes vnum eundemque errorem errauerunt. Sole enim meridiano clarius eſt, ſecus rem omnino habere, vt nec defuerunt, qui diuerſæ ſententiæ aliquantiſper patrocinati ſunt. Nam *Hieronymus* ſuper Epiſtolam *Pauli ad Epheſios* ſcribens ait; Quærere ſolemus, quid ſit; *In quibus & vos ambulaſtis ſecundum tempus huius ſeculi*. Sit ne aliud tempus, quod non pertineat ad hoc ſeculum (vel mundum,) ſed ad aliud quodpiam, de quo *Clemens* ſcribit: *Mare Oceanus, & alter ille mundus, qui vltra hunc noſtrum eſt*. Quæ dicta haud obſcure ſignificant, trans vel vltra Oceanum alium eſſe mundum, imo alios mundos, vt reuera *Nouus ſiue alius mundus* eſt, India nempe Occidentalis, quæ longiſſimo diſtat interuallo ab Indis Orientalibus. *C. Plinius* memoriæ prodidit, Hannonem Carthaginenſem à Gadibus vſque ad Arabiæ fines Africam circumnauigaſſe, illamque ſuam nauigationem literarum monimentis complexum fuiſſe. Quæ ſi ita ſunt, *Hanno* tantundem ſpacii nauigando confecit, quantum hoc noſtro tempore *Luſitani*, qui *lineam æquinoctialem* bis, eundo nempe & redeundo percurrere ſolent.

Lact. lib. 7. diuin. inſtit. c. 3. Auguſt. lib. 17. de ciuit. Dei.
Ariſtot. meteor. cap. 5. Plin. lib. 2. cap. 68.
Hieron. ſup. Epheſ. c. 1.
Clem. Rom. ſup. Epiſt. ad Corinth.
Plin. lib. 2. cap. 67.

His addit *Cornelius Nepos* ſuo tempore *Eudoxum* quendam fugientem ſæuitiam Ptolemæi Latyri, idem ſpatium nauigando emenſum fuiſſe, ſed verſo itinere; illum quippe è ſinu Arabico ſoluiſſe, & enauigato omni circum Africam Oceano ad Gades appuliſſe. Sunt & qui penitius apud animum ſuum conſiderent carmen *Senecæ* in Anapæſticis, qui ſequentibus in *Medea ſua* vaticinatur verſiculis.

Cornelius Nepos.

venient annis,
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus Tiphysque nouos
Detegat Orbes, nec ſit terris
Vltima Thule.

Videtur autem & *Plato* quoque clarioribus adhuc monumentis prodidiſſe, vbi *Nouus* ille *Mundus* verſus Occidentem ſolem ſitus ſit. Erat (inquit) illo tempore pronum & facile, nauigare mare Atlanticum. Inſula enim quædam obuerſa oſtio eius iacebat miræ vaſtitatis, quæ *Columnarum Herculis* nomine appellabatur. Superabat illa magnitudine ſua non ſolum Libyam, ſed & vtramque Aſiam. Et qui eo profecti fuerant, poterant nullo labore inde in alias peruenire vicinas Inſulas, & inde porro vſque ad regiones omnes firmæ terræ ſiue continentis, quas circum erat magnus ille Oceanus. Et hæc quidem Plato. Superioris temporis quidam eruditione præſtantes fuere viri, inter quos & *Franciſcus Vatablus*, & *Robertus Stephanus*, qui ſentiebant ſub nomine Regionis Ophir, vnde *Salomon Rex* quadringenta quinquaginta auri Talenta nactus fuit, Occidentalem hancce Indiam, adeoq; cum primis Inſulam *Hiſpaniolam*, dictam & regnũ *Peruuianum*, capiendam eſſe. Sed, quod pace eorum dictum ſit, nullo firmo fundamento hæc eorum ſententia nititur. Quanquam enim Americanæ hæ terræ alicubi auro abundant, nequaquam tamen Orientali Indiæ eas hoc nomine anteferre poſſis. Neque vero *Gemmas* illas

Plato in Timæo.
Vtrum Solomonis claſſes in occidentalem Indiam iuerint.

illas immenſi precii aut valoris, vt nec precioſum illud lignum *Hebenum*, cuius ſimile nunquam quicquam Hieroſolymis aut in omni Iudæa viſum fuerat, in toto Regno Peruano inueſtigare poſſum: præter enim iucundi viroris *Smaragdos*, & quædam ſuauis fragrantiæ ligna nihil ibi raritate ſua commendabile inuenire datur. Nec vllo modo veritati videtur conſonum, Salomonem Regem omiſſis Indiæ Orientalis affluentiſſimis prouinciis claſſes ſuas in longiſſime diſſitas Occidentalis Indiæ regiones aut Inſulas direxiſſe: nec dubium eſt, quin ſi illud toties, quoties commemoratur, factum fuiſſet, aliqua ſaltem exigua illius nauigationis veſtigia ſupereſſent.

Vtrum ſint Antipodes.

Venio nunc ad illos, qui negant eſſe homines, qui terræ hemiſphærium noſtro aduerſum incolant, adeoque nobis pedes obuertant, quas antiquitas *Antipodas* eo nomine appellauit; nec largiuntur nobis, terras illas, quas eos incolere perſpicue animaduertimus, habitari poſſe: quibus omnino ſatisfaciendum exiſtimamus. Et vt à *S. Auguſtino* ordiamur, incredibilis illa Atlantici Oceani vaſtitas perſuaſit viro credere, fieri non poſſe, vt quiſquam mortalium in nouum hunc mundum, per illam abyſſum nauigando penetret. Nos vero, quibus iam vſu & autopſia compertum eſt, iam olim homines has terras incoluiſſe: & ex diuinis ſcripturis conſtat, omnes mortalium generationes ab vno homine deſcendiſſe, eorum ſententiæ accedere nequaquam poſſumus, quin ex aduerſo concludimus, & eſſe *Antipodas*, & illarum partium terras frequentibus habitari incolis. Qui quidem incolæ, vtrum ex *Aſia* an *Europa* in illum alterum velut mundum peruenerint, certo dicere, non eſt in plano aut expedito. Hinc fit, vt in hunc vſque diem nos admirari contingat, atque diſquirere, quo pacto, per quam viam, aut quibus ductoribus numeroſiſſimus ille Indorum Occidentalium populus in has regiones, quas incolunt, ingreſſus fuerit. Nec enim alia ſeu ſecunda quædam *Arca Noachi* fingenda eſt, quæ huc appulerit, nouosque colonos expoſuerit, Abſurdius autem fuerit comminiſci Indorum horum progenitores crinib. ſuſpenſos ab Angelis huc deportatos, quod de *Propheta Abbacuco* alicubi proditum eſt. Neque quærimus hoc loco, quid aut quantum DEVS poſſit, ſed quid humanus loquendi modus, aut rerum naturalium ordo ferat ac permittat. Nobis quidem rem omnem preſſius penſitantibus, vtrumque non inter minoris notæ miracula diuina & arcani illius conſilii documenta referendum videtur: Quo pacto genus humanum ſuperato ac emenſo tantæ vaſtitatis Oceano, & peragratis tot regionibus eo vel tandem penetrauerit: tum, qua ratione notitia illarum gentium tam longe lateque diffuſarum, tot annorum centuriis huc vſque latere, omnemque noſtrorum hominum indaginem effugere potuerit. Coniecturis igitur hic agendum probabilibus, cum certi nihil expediamus, atque ita concludendum. Igitur Indi illi noſtrates, itinere terreſtri, aut maritimo eo peruenere. Si maritimo; aut caſu id factum eſt nihil tale cogitantibus, vi tempeſtatum compulſis. Si certo conſilio; vtique vti nouas terras deducendis coloniis quærerent. Extra hoſce modos aliud veriſimile quid dari non perſuademur. Nihil hic fabuloſi ad mittimus, neque poetarum figmentis, aut alato Perſei equo, aut Sirenibus neſcio quibus locum damus. His igitur ita velut principiis quibuſdam conſtitutis, operæ pretium erit, amplius paulo in illis perueniendi modis immorari, ſingulisque perueſtigandis aliquantum diligentiæ impendere. Principio igitur expeditiſſima videtur ratio, ſi ita ſtatuamus: Quemadmodum noſtro æuo Gubernatores nauium ſiue naucleri, quibus & curſus ſiderum, & motus cœli, & virtutes ventorum, & aquarum naturæ, ac ingenia terrarum apprime nota ſunt, tutam in Indicas regiones perquirunt nauigationem: ſic & maiores noſtros à multis retro ſeculis, quibus ſuperiora illa nequaquam ignota fuiſſe credendum eſt, hanc ſibi velut ſedem atque domicilium quæſiuiſſe;

Actor. 17.

Diſquiſitio de primo aduentu Indorum in has terras.

quod

quod cum reperiſſent, elegiſſe illam ſibi habitationem, ibique conſediſſe. Nam extra omne dubium eſt, veteres nauibus vſos eſſe, inque terras admodum remotas nauigationes inſtituiſſe, & terram aliquam noſtræ huic parti adverſam, quam *Antichtonam* vocamus, indagaſſe, quam & ipſi certis rationibus ac argumentis adducti ſcire potuerunt, alicubi eſſe, & ad eam nauibus ac remigio adiri poſſe. Nec parum ad rem facere videtur, quod de *Solomone Rege* hiſtoriæ ſacræ perhibent: eum ab *Tyriis & Sidoniis* accepiſſe homines rei nauticæ affatim peritos, qui maris, & ſinuum, & promontoriorum, & ſiderum ventorumque notitia probe imbuti, claſſibus præeſſe rite poſſent: addito toto triennio elapſo illos demum rediiſſe. Quorſum igitur attinebat, tam peritos naucleros & gubernatores arceſſere, eorumque ſcientiam ad eum modum deprædicare, non omiſſo tam longo temporis ſpatio, quibus claſſis ibat atque redibat; niſi ad emetiendum Oceanum emiſſa fuiſſet.

Alii vero longe diuerſum ſentiunt, negantes videri ſibi ſimile vero, Autores ſiue conditores horum populorum, qui Occidentalem Indiam colunt, huc naues ſuas direxiſſe, aut data opera certoque conſilio ad has oras appuliſſe, cum non ſit putandum, veteres artem illam ſeu ſcientiam nauigandi calluiſſe, qua noſtra gaudent tempora, & cuius beneficio Naucleri noſtri incredibili celeritate, & prope ſine periculo totum Oceanum, quam late patet, percurrunt; ſuffragante huic ſententiæ certiſſimo argumento quod in omnibus eorum monumentis ne leuiſſimum quidem veſtigium appareat, præſtantiſſimi illius experimenti, quod à natura *Magnetis lapidis* capitur, vel, ſi mauis, *pyxidis Nauticæ*, ſine cuius adminiculo impoſſibile eſt vaſtum illum & patentem Oceanum, immenſumque æquor ſuperare. Nec enim vllus Nauclerus aut gubernator ſine beneficio pyxidis huius magneticæ magis ſcire poteſt, in quas partes curſum nauis ſuæ dirigere debeat, quam vtroque oculo captus digito commonſtrare, quid in ſummitate altiſsimi montis poſitum ſit. Et vt verum fateamur, vniuerſa ars & ſcientia maritima veterum, qua in conficiendo curſu nauigationum ſuarum vſi fuere, conſtitit in notitia ſiderum, promontoriorum, facie terræ, diſcrimine littorum. Cæterum in ipſo Oceani vmbilico (vt ita dicamus) deprehenſi, vbi

Veteres vera arte nauigandi Oceanum diſtituti.

Cœlum vndique & vndique Pontus,

hærebant planiſſime, alio deſtituti conſilio, quam vt Solem, Lunam, Aſtra ſequerentur. Quod ſi nebuloſa aëris conſtitutio, aut nubium denſum operimentum ſiderum conſpectum illis adimebat, cogebantur ventum aliquem ducem ſequi, aut coniecturam aliquam, aut rationem itineris confecti, aut denique captus ingeniique ſui ductum: quibus, nec aliis mediis, Indi fere omnes vſi latiſſima maris ſpacia ſolent emetiri.

Nauigandi ratio veterum.

Præter hæc à *Plinio* annotatum eſt, nautas in *Taprobane* Inſula, quæ nunc *Sumatræ* nomine notior eſt, nouam rationem quærendi terram inueniſſe, quæ talis fuit. Aues magno numero in nauigiis ſuis aſſeruatas ſecum ferebant. Quoties igitur ſtellæ Polaris ſiue Arcticę conſpectu excludebantur, nonnullas illarum auium emittebant, quorum volatũ illi remis, velisq; ſequebantur, nihil ambigentes, recta continentẽ petituros alites. Quis iam exiſtimabit, Taprobanenſes illos, ſi naturam, vim ac vſum regulæ Magneticæ tenuiſſent, non hac potius quam laborioſo & fallaci auium indicio vſuros fuiſſe?

Cæterum quod de claſſe *Salomonis* obiiciunt, parum habet efficaciæ. Neque enim ſacræ literæ hoc aſſerunt, vna nauigatione *triennium* inſumtum fuiſſe, ſed Regem *tertio quoque anno* claſſem adornare atque mittere ſolitum. Etſi vel maxime illis largiamur tres annos nauigationi impenſos fuiſſe, nihil tamen pro ipſis faciet, cum multo veroſimilius ſit, naues illas in Orientalis Indiæ partes itaſſe, luſtratis inter nauigandum diuerſis diuer-

De nauigatione Salomonis triennali.

ſarum Regionum portubus, ibique comportatis mercibus; qua ratione fere totum littus *Americæ meridionalis* quod in mare Auſtrale verſum eſt, nauigando legitur, à prouincia *Chile* vſque in *Hiſpaniam Nouam*. Quæ quidem nauigandi ratio tuta ſatis videtur, cum ſubinde terra in conſpectu ſit; ſed multum temporis requirit, quia anfractuoſum, variiſque proiecturis laciniofum littus per diſpendia raditur, vt iam de mora, quæ in ipſis portubus neceſſario trahitur, nihil dicamus. In quam ſententiam non pauci viri docti pedibus eunt, quibus perſuaſum eſt, veteres non aliter quam remis impuliſſe naues, & ab littore non longius diſceſſiſſe, quod ex nauigatione *Ionæ Prophetæ* non inepte quis collegerit.

Ionæ 1.

Poſtquam, niſi fallimur, ex ſuperioribus ſufficienter oſtenſum eſt, primos noui huius Mundi incolas, non de induſtria vel certo conſilio in has regiones nauigaſſe, neque eo præcipue fine, vt hic domicilium ſibi conſtituerent: deinceps conſectarium eſt, illos, (ſiquidem enauigato mari, quod vaſtiſſimis ſpaciis interiacet, huc appulerunt) præter arbitrium & propoſitum ſuum in has oras deueniſſe. Nec eſt, cur nos ingens ille & vix eluctabilis Oceani interpoſiti hiatus ab opinione hac ſe moueat.

Obliquum vulnus Columbo inflictum.

Sicut enim vis tempeſtatis & procellarum violentia Nauclerum illum ad littus *noui* huius *Orbis* appulit, qui poſtmodum morti vicinus tantæ rei notitiam, non auro contra precioſam, *Chriſtophoro Columbo Genuenſi* teſtamento legauit: Pari aut non multum diſſimili ratione iudicamus fieri potuiſſe, certum quendam hominum numerum, aut ſane plura agmina (nil enim refert) ex Europæ vel Africæ regionibus nauigantium, præter voluntatem aut arbitrium ſuum per diffuſum illud & latiſſime patens Oceani æquor in has vniuerſi partes appulſos, tandem deſperato reditu illic conſediſſe: Cuius rei *Plinius* duo exempla, multum ad rem præſentem facientia, in medium adfert; Neque enim negari poteſt, plures Inſulas aut prouincias aduerſi huius mundi contrariorum ventorum, nauigantium propoſito obluctantium, poteſtate, quam perueſtigantium hominum induſtria detectas fuiſſe.

Plinius lib. 2. *c.*67. *Et lib.*6. *c.*22.

Nec tamen hic omnibus aſſertionibus vel nobis ipſis, vel curioſo lectori harum rerum ſatisfieri poſſe arbitramur. Quid enim reſpondebimus iis, qui ex nobis quærent, (vt vel maxime de hominibus huc compulſis, eorumque propagatione generis omnia largiamur) quanam ratione aut via bruta animalia, præterque hæc hominibus noxiæ beſtiæ, in quarum numero Leones, Vrſi, Tygres, Lupi, Vulpiumque ſagax genus: Inſuper tot auium varietate inter ſe certantium ſpecies in has terras peruenerint? Abſurdiſſimum enim foret credere, homines tam nociuas feras ad perniciem ac pauperiem ſuam nauibus impoſuiſſe, ſecumque eo deportaſſe.

Quo pacto animalia & feræ in hac terras deuenerint.

Nouam Creationem ſibi fingere; aut ſomniare, vniuerſale illud diluuium hoc terræ hemiſphærium non attigiſſe, (cuius tamen aliqua, licet obſcura notitia vel mentio apud Incolas Americæ in hunc vſque diem conſeruatur) ſacrarum litterarum autoritati aduerſatur, eoque nomine impium eſt.

Hinc puto firmiſſime concludi poſſe: quando nec animalium genus natatu nec volucrum natio volatu tam ſpacioſam Oceani vaſtitatem emetiri valuerunt; Nouum huncce orbem, quo de nobis perpetuus ſermo currit, ab altero illo atque oppoſito orbe non omnino abſciſſum, ac intercedente mari ſeparatum eſſe; ſed alicubi cum illo cohærere, vel vno ſaltim aut altero loco illi continuum eſſe, vel denique non admodum lato ac ſuperabili freto inde diſtare, per quod & hominibus & omne genus animantibus detur tranſitus.

Contra-

Contraria ſententia,& quæ hoc thema euertere poſſit, hactenus producta non eſt. Neque enim omnis huius continentis longitudo verſus *Polum Arcticum* ad hunc diem perueſtigata atque detecta eſt, Præterquam quod multi in hac ſententia perſiſtunt; *Prouinciam Floridam* longiſſimo ſpacio in Septentriones excurrere, immo vſque ad *Germanicum & Scythicum Mare* protendi: in quam rem teſtimonio afferunt nauim quandam, quæ ex illis partibus redierit, narraueritque *Terram de Baccalaos* vſque ad extremitates vltimæ *Europæ* porrigi. Neque ea terræ amplitudo quæ trans *promontorium Mendocinum* excurrit, ſatis dum luſtrata eſt atque cognita, cum tamen conſtet infinitis iugeribus eam longe lateque patere. Nec quiſquam hactenus fuit, qui gloriaretur, *Patagonum regionem*, & quæ vltra eam in *Polum Antarcticum* vergit, ſe comperiſſe quam late pateret. Planum igitur eſt, hoc dogma de vtriuſque mundi cohærentia ac continuitate, aut ſaltim interſtitio non ita ſpatioſo, nullis ſanis rationibus conuulſum fuiſſe hactenus; nec vllo idoneo argumento contrariam ſententiam adſertam; vnde concludimus tandem, Genus mortalium ex veteri orbe in hunc Nouum terreſtri itinere, aut maritimo non longo, ſenſim ac velut ſucceſſiue immigraſſe, ibique domicilia ſibi quæſiuiſſe, quibus repertis, ſubinde progrediendo vlterius, maius maiusque terræ ſpacium occupauiſſe, ſuique iuris feciſſe, donec ea ratione quicquid eſt inter Auſtrum & Aquilonem telluris, hominibus impletum in habitationem tot populorum ac nationum, quæ hodieque incredibili multitudine & varietate ibi cernuntur, conceſſerit. Qui opinioni adſtruendæ non abludet incolarum nauigandi ratio. non enim aliquo maiori genere nauium vtuntur, ſed ſuas tantum *Canoas*, *Peraguas & Balſas* (vtimur eorum vocabulis: tu rectius ſcalmos, lintres & lembos piſcatorios appellaueris) magno numero habent, quibus littora legunt raduntque; compertumque eſt illos nihil æque ac Hiſpanorum Maioris generis naues onerarias admiratos, primo contuitu petras aut immania ſaxa, quæ neſcio qua de cauſa in ipſo mari repente emerſerint, (quæ tum erat illorum ſimplicitas) arbitratos fuiſſe.

Nouum orbem alicubi cum veteri cohærere rationibus oſtenditur.

Nauigandi ratio Indorum.

Sunt & qui in *Platonis* ſententiam pedibus eunt, ſentiuntque, hos Indos ex Europa vel Africa, (perinde enim eſt) per *Atlanditem Inſulam*, cuius apud veteres mira frequensque extat mentio, in alias aliasq;, tandemque in magnam illam Continentem perueniſſe. Sed hoc figmentum nulla firmitate ſubnixum propria vanitate corruit: Cum Atlas Mons ſit extremæ Mauritaniæ, & inſulæ illæ Atlantides, qualescunque tandem ſint, aquis ſubmerſæ iaceant, nullibique compareant.

Denique, ne quid deſit dramati, prodierunt in hanc ſcenam alii, qui viam, per quam hi Populi in nouum hunc mundum ingreſſi ſunt, in Apocryphis *Eſdræ*, qui prophetæ nomine vſurpatur, ſe reperiſſe autumant: in cuius quarto libro ita ſcriptum inuenimus:

Libro 4. Eſdræ c.13.

39. *Et quoniam vidiſti eum colligentem ad ſe aliam multitudinem pacificam.*

40. *Hæ ſunt decem tribus, quæ captiuæ factæ ſunt de terra ſua in diebus Oſeæ regis, quem captiuum duxit Salmanaſar rex Aſſyriorum, & tranſtulit eos trans flumen, & translati ſunt in terram aliam.*

41. *Ipſi autem ſibi dederunt conſilium hoc, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiſcerentur in vlteriorem regionem, vbi nunquam inhabitauit genus humanum.*

42. *Vel ibi obſeruare legitima ſua, quæ non fuerant ſeruantes in regione ſua.*

43. *Per introitus autem anguſtos fluminis Euphraten introierunt.*

44. *Fecit enim eis tunc altiſſimus ſigna, & ſtatuit venas fluminis vſquequo tranſirent.*

45. *Per eam enim regionem erat via multa itineris anni vnius & dimidij, nam regio illa vocatur Arſareth.*

46. *Tunc inhabitauerunt ibi vſque in nouiſſima tempora.*

47. *Et nunc iterum cum cœperint venire, iterum Altiſſimus ſtatuet venas fluminis vt poſſint tranſire. Propter hæc vidiſti multitudinem cum pace.*

Hæc verba Eſdræ illius, in ſuum ſenſum detorta, conantur illi Indis noſtratibus, nouis, inquam, illis populis accommodare, his fere argumentis: A DEO gentes has eo deductas, vbi nulla ante id tempus humani cultus veſtigia: Terram eorum tot paraſangis à Terra Aſia diſtare, vt ſeſquiennale tempus requiratur conficiendo illi itineri: Incolas ipſos eſſe ingenio miti, pacis ſtudioſos, timidos & ignauos, ſuperſtitionibus deditos: vafra indole, fraudulentos, mendaces. Nec ipſum habitum Indorum veſtitumque à Iudæorum veſtiendi ratione admodum diſcrepare: Solere enim illos leui togula, & palliolo quadrato amiciri, pedibus ingredi vel nudis, vel rudibus vilique materia ſoleis adaptatis, quas corrigia non nobiliore talo alligatos vinciant: quo veſtitus genere & priſcos Hebræos vſos, videntur ſibi colligere poſſe ex hiſtoria *Samſonis*: qui non aliud veſtimenti genus, quam huiuſmodi tunicas & linteamina deſiderauerit.

Iudic. 14.

Sed, vt dicamus quod res eſt, hoc illorum εὕρηκα leuius eſt illo, quod pueri in faba ſe reperiſſe clamitant. Quid enim reſponſuri ſunt adhæc? Iudæi litterarum & ſcribendi vſum habuerunt; Indi non item. Illi ſunt toti in colligendo auro & argento, quærendis diuitiis, cumulandis bonis: hi nec flocci faciunt iſta omnia. Iudæi circumciſionem admittebant, vero legitimoque DEI cultu gaudebant: quarum rerum ne minimum quidem veſtigium eſt in omni Occidentali India. Nec profecto Indi noſtri in omnibus regionibus inueniuntur imbelles & timidi, ſagaces, acuti & fallaces; quanquam non negemus, eos ad inſtar omnium gentium qui porro ſunt à vera Dei cognitione, eſſe ſuperſtitionibus & Idololatriæ plus ſatis deditos. Quid quod plerique ex illis ſine omni amicimine penitus nudi, aut ſaltem verenda tecti incedunt? Quid, quod cæteri, qui leui genere veſtimenti vtuntur, ſimplicitate illa habitus non magis ad Iudæos accedunt quam ad alias multas gentes? Adde quod ſuperiora illa *Eſdræ* verba & ipſa tibicine opus habent, quo fulciantur, vel eo præcipue nomine, quod ſibi ipſis deprehenduntur contraria? Cur enim decem tribus Iſraeliticæ à colluuie gentium ſeceſſionem fecere? Nunquid, vt DEVM patrium ſecundum legislatoris præſcripta vero cultu, nec ſuperſtitionibus exterorum populorum inquinato venerari poſſent? Atqui miſeri hi & infelices in fœdas dæmonolatrias horrendosque idolorum cultus delapſi omnem penitus veri DEI colendi modum ignorant. De aperto Euphratis alueo, & an per hunc fluuium in Americam euntibus iter faciundum ſit; itemque, an Indo-Iudæis illis olim reuerſuris in ſedes patrias hoc ipſum iter remetiendum ſit: de his inquam conciliandis veritati Geographicæ ipſi viderint.

Refutatio opinionis de trãslatione decem tribuum in Occidentalem Indiam.

Sed hoc cum primis ridiculum eſt, quod Indorum populos Pacificos prædicant, quietisque cum primis ſtudioſos. Quis enim eſt qui ignoret, illos cruentiſſimis bellis perpetuaque hoſtilitate inuicem à multis retro ſeculis ſeſe inceſſere, odiisque plusquam feralibus diſſidere?

Vnde colligimus, *Eſdræ* illius *Apocrypticum Euphratem* non magis potuiſſe illos in Nouum orbem ex Veteri deducere, quam *Platonis* fabuloſum montem *Atlantem*; & marinis fluctibus obrutas deperditisque veſtigiis occultatas Inſulas *Atlantides*.

Sunt

Ipſi Indi originis ſuæ rationẽ ac primordia ignorant.

Sunt hæc omnia, fatemur, quæ hactenus in vnam atque alteram partem dicta fuere, ſatis obſcura ac incerta: multo tamen incertiora illa, quæ ipſi Indi Occidentales de primordiis ac originatione ſua quaſi ſomniantes, aut finxerunt, aut à fingentibus hauſerunt.

Licet enim de magno quodam Cataclyſmo, qui omnes illas terras damnoſa inundatione ſit populatus, narrare nouerint, doctique viri ex certis indiciis, monimentisque minime obſcuris colligant, ingens fuiſſe illud diluuium: Quia tamen omnis Indorum hiſtorica commemoratio non niſi ad quadringentos annos extenditur, non eſt credendum, illos de vniuerſali illa exundatione, quæ *Noachi* temporibus orbem habitabilem peſſundederit, ſed de alia quadam illuuie, quæ hos, vicinosque populos, non alios, nedum omnes grauiter afflixerit, ſermonem habere: quanquam fateantur, omnes omnino mortales tunc interiiſſe.

Fabulæ de origine gentis Peruanæ.

Seniores eorum hanc ſolent texere narrationem: *Dæmonium* quoddam cui *Viracocha* nomen fuerit, ex palude capaciſſima *Inticaca* prodiiſſe, cuius beneficio genus hominum in illis locis propagatum fuerit.

Habitaſſe vero illud in opido *Tignacaca*, quo in loco rudera & maceriæ miræ vetuſtatis, & ſtupendæ ſtructuræ adhuc loquuntur veterem loci maieſtatem & cultum. Inde illud mutato domicilio in eam deueniſſe regionem, vbi nunc *Cuſco*, montanarum vrbium Regina, muris domibusque ſuperbit, ibique numeroſam poſteritatem procreaſſe. Et vt amplius rideas, in illa palude oſtendunt Inſulam, in qua *Solem* ipſum fabricatum fuiſſe nugantur: & hæc eſt ratio, quod in illis locis tanta vis humani & pecuini cruoris effuſa fuit ab antiquis temporibus, quanta ſine horrore ne commemorari quidem poſſit.

Tertii adhuc ſuauius ineptiunt. E ſpelunca quadam profunda anguſti aditus proſiliiſſe ſex quoſdam homines, qui communi opera *Solem* velut incubando excluſerint: quo facto ſex illos poſtmodum excludendis hominibus operam dediſſe. Quo euentu loco nomen impoſitum, vt *Pacari-tembo* indigitetur. Percrebuitque hic rumor in illis populis, eos qui *Tembos* appellantur, eſſe omnium antiquiſſimos: ex illis enim ortus perhibetur *Manpagaca* Heros, qui ſtirps & velut radix fuerit omnium Regum Peruuianorum, quos Ingas ipſi appellitant. E gemina hac ſcaturigine proſilierunt nobiliſſimæ duæ familiæ, *Hanani de Cuſco, & Brincuſquæi.* Conſtans etiam eſt inter illos fama; *Ingas* illos Reges Peruanos, bello omnes huius noui Orbis incolas adortos, magnam eorum partem ſibi armis ſubieciſſe, non alio prætextu aut colore, quam quod dicerent, omnes mortales, quocunque nomine cenſerentur, è ſua gente & patria ortos, non aliis quam ipſis *Ingis* originem generis ſui debere, quibus inter primos verus ac legitimus DEI cultus ſit manifeſtatus: eoque titulo ac iure ſe niti in ipſis ſub imperium ſuum redigendis, quos autoribus & conditoribus ſuis Peruuianis parere æquum eſſet. Tale genus plauſtra fabularum ſtolidiſſimis abſurditatibus ſcatentium ipſi pro veris hiſtoriis narrare ſolent, quibus & chartam & lectorem onerare non videtur operæ precium.

Mangacapa auctor generis Ingarũ.

Expoſitis his, quibus nos Lectori aliquo modo ſatisfeciſſe arbitramur, vlterius nunc progrediamur, videamusque, quandoquidem potiſſima pars huius *Noui Orbis* ſub media mundi *Zona*, quam veteres, *Torridam vſtam*, eoque nomine *inhabitabilem* cenſuerunt; poſita eſt: quænam ſit illius partis ſiue *Zonæ* ratio ac natura: ſit ne talis qualem veteres deſcripſerunt, an vero ſecus habeat. Enimuero illorum ſententia non omnino abiicienda videtur, qui iudicant, tum demum rerum Indicarum conditionem, vt & Incolarum naturam ac indolem, terræque ingenium recte cognoſci poſſe, ſi, quæ

 ſit

ſit natura ac ratio Æquatoris vel medii circuli cœleſtis prius cognita ſit ac perſpecta: ab hac ſcilicet notitia ſuperiorem illam plene dependere. Nam omnes rerum Indicarum differentiæ, quibus à plerisque rebus antiqui Orbis diſcrepant, non alii cauſæ quam efficaciæ *Circuli Æquinoctialis* ſunt adſcribendæ. Quarum quidem rerum omnium veras cauſas ex veris & apodicticis concluſionibus deducere ſatius fuerit, quam ex Philoſophia veterum, qui quo pacto cæcutiuerint in hoc argumento planum faciemus. PRINCIPIO igitur iam ſatis conſtat terram incaleſcere vicinia ſolis, contra frigefieri, ſole recedente: quod ſatis elucet ex Æſtatis ac Hyemis, Diei ac Noctis viciſſitudine. Quibus ita habentibus ſe manifeſtum fit, ipſi naturæ rerum maxime congruum eſſe, vt quo amplius regio quædam à motu curſuque ſolis, qui inter vtrumque Tropicum, velut certas orbitas continetur, ſepoſita eſt, eo frigoribus magis obnoxia ſit. Experimentum huic rei præbent regna ac prouinciæ in Aquilonem proiectæ, quorum frigus vix eſt tolerabile. Vice verſa, quæ terræ *Zodiaco* viciniores ſunt, eo magis incaleſcunt: Nonnulli radiis ſolaribus aliam quoque feruoris cauſam aſſignant, celeritatem nempe motus cœli, quod rapidiſſimo æſtu, inter duos Tropicos aſſidue voluitur, motu longe concitatiori quam circa polos. Vnde colligimus totam illam mundi plagam, quæ inter duos Tropicos, adeoque ſub ipſo *Signifero* ſita eſt, ob aſſiduam Solis præſentiam & rectitudinem radiorum qui fere ſemper illi verticales, accedente inſuper concitatiſſimo & perpetuo motu, quo cœlum celerrima reuolutione rapitur, admodum percalefieri atque torreri. Quod non ſolum de calore & frigore, ſed & ſiccitate atque humiditate capiendum eſt. Nam veriſimile eſt viciniam ſolis exſiccare, abſentiam vero ſiue elongationem eiuſdem humores gignere. Cuius rei vel hoc documentum afferri poteſt: quod variantibus anni tempeſtatibus frigus fere cum humiditate, Calor contra cum ſiccitate ſit coniunctus. Sic plerumque noctes humidiores, vt Poeta ait:

Humida nox atram terris induxerat Vmbram.

Opinio Peripateticorum de Zonæ torridæ natura.

quia frigidiores: contra dies ſicciores, quia calidiores noctibus. Hyemale tempus vt plurimum frigidum eſt, & pluuiis frequens: nam Sol tunc longius à nobis abeſt: vt contra æſtas ſicca calidaque fere eſt, quia eo tempore Sol nobis propinquior eſt. Hæ ſunt rationes, quibus motus *Peripateticorum Magiſter*, & eum ſecuti plerique Philoſophi exiſtimauerunt: Partem hancce terræ ob incredibilem calorem ex Solis præſentia & verticalitate ortum, intolerabili æſtu ſemper vrgeri ac euxri, vnde neceſſario ſequatur, nec fontes irriguos, nec paſcua læta ibi inueniri poſſe, vnde habitationi humanæ, deficientibus omnibus vitæ commoditatibus plane ſit inepta.

Licet autem hæc in ſpeciem vera eſſe videantur, rerumque naturæ omnino congrua: Concluſiones tamen inde deductæ falſæ deprehenduntur ipſa experientia. Nam illa pars terræ, quæ mundi medium adeoque velut dorſum obtinet, vtcunque *Zona torrida, exuſta, inhabitabilis* vocitetur: Adeo tamen habitatoribns ſcatet, (quod ipſi coram oculis arbitrati ſumus,) vt mirari ſubeat veterum deliria. Quin illud magis etiam mireris, etſi negari nullo modo poteſt, totius illius immenſi terrarum ſpacii, quod Tropicis duobus includitur, faciem longe eſſe amœniſſimam, cum ſol longiſſime inde abeſt: vice verſa, nullo tempore totius anni pluribus imbribus, grandine & niue miſtis infeſtantur incolæ quam cum Solem quam proximum habent. Sic à *Regno Peruuiano*, quod omnium Indicorum eſt longe potentiſſimum & ampliſſimum, Sol longiſſime abeſt

Conſtitutio tempeſtatum in America ſub Zona torrida.

tunc

tunc,cum Europæis eſt proximus,menſe puta *Maio,Iunio,Iulio & Auguſto*, quibus menſibus circa *Tropicum Cancri* potiſſimum oberrat. Toto illo tempore in *Peruuia* adeoque toto illo tractu Noui noſtri orbis, Cœlum adeo ſudum & purum eſt, vt nemo ſatis mirari queat. Imbres impetuoſos,niuoſas & grandinoſas tempeſtates nemo tunc pertimeſcit,fluuiorum aluei decreſcentibus aquis nudantur, quidam fontes plane arent irriguis venis defecti. At vero cum Sol *Tropicum Capricorni* verſo itinere repetit,ibi demum videre eſt denſas niues,frequentes ac immanes pluuias,exundantibus larga aquarum copia fluminibus,ſtagnis atque riuis: quod fere accidit à principio Octobris menſis vſque in Decembrem medium: quo præcipue tempore non eſt modus imbrium, ningendi,pluendi,tonitruorum,grandinum nullus finis: amnes intumeſcunt, incolisque pauperiem faciunt. Sole vero à *Capricorni Circulo* reuertente, & radiis ſuis vertices noſtros feriente,dici non poteſt,quanto æſtu omnia flagrent, ab initio, puta,Ianuarii Menſis in medium vſque Martium. Et hæ viciſſitudines tempeſtatum ac Imperia variata meteororum,ita vniuerſum annum obtinent.

Quæ vero partes vltra æquatorem ſitæ ſunt, *Polumque Arcticum* intuentur, contraria dictis omnia experiuntur. Exemplum capere licet ab eo tractu, cuius *Panama Emporium* Caput eſt,adeoque vniuerſa *Noua Hiſpania*, cum Inſulis *Cuba*, *Iamaica* ſiue *Sancti Iohannis*. quæ prouinciæ omnes à principio Nouembris vſque in Aprilem menſem clementi ac ſudo Cœlo fruuntur,quando Sol in noſtro (intellige Capricorni) Tropico ab eorum verticibus longius abeſt. Contra vero immanibus ac continuis pluuiis,adeoque cataractis verius quam imbribus omnia perpluuntur ac madent, incipiente Menſe Iunio,currentibuſque intermediis vſque in finem Septembris,quando Solares radii, quorum tunc præcipuum dominium,oblique micant,& *Climata* propius feriunt.

Hinc videre eſt,in hac ampliſſima terræ parte,quæ ſub *exuſtæ Zonæ* ſiue *Torridæ* nomine damnata antiquis fuit,æſtum ac ſiccitatem geminari Sole recedente: viciſſim humores creſcere eodem Sole appropinquante.

Neque tamen hæc,quæ de parte Orbis Noui ſub *Zodiaco*, intraque geminas Solis orbitas,id eſt *Tropicos* comprehenſa,dicta fuere,extra illos *Tropicos* extendi à quoquam velim. Ibi enim contrario modo omnia fieri experietur, qui eas regiones ſcrutatus fuerit.

Nam ibi promiſcue dominantur imbres,frigora,æſtus,ſiccitas, prout in omnibus reliquis Orbis partibus. Nec hoc ſolum in *Europa* totoque Orbe antiquo, verum etiam in Nouo iſto,de quo loquimur. Docebit nos id Prouincia *Chile*,quæ trans *Æquatorem* ipſumque adeo *Tropicum Capricorni* ſita in *Gradibus Eleuationis Poli* cum veteri *Hiſpania* concordat; eoque in tempeſtatum ac meteororum varietate cum hac (puta Hiſpania) plane ac per omnia conuenit,excepto,quod hyemes alternatim æſtateſque hæc & illa habent. Nam *Hiſpania* ſpectat *Polum Arcticum*, *Chile* autem Antarcticum. Sole igitur ab illis regionibus longiuſcule diſcedente,creatur in his prouinciis,de *Chile* loquimur,hyems,cum pluuiis & frigore,capitque initium ab Aprili menſe vſque in Septembrem. Contra Sole reuertente,reuertitur vna cum calore ſiccitas,& quæ hanc ſequuntur effecta: quam eandem viciſſitudinem etiam in *Europa* videre eſt. Et hanc eſſe credimus cauſam,quod *Prouincia Chile* quo ad incolas,fruges ac terræ qualitates, Europæis eſt quam ſimilima. Igitur ex dictis cauſis euenit, vt Ver atque æſtas calore & ſiccitate, hyems vero frigore & humiditate in vtriſque regionibus ſibi reſpondeat. At vero in *Zona* Torrida multum ab ſeſe differunt. Nam æſtum plerumque impetuoſi imbres conſequuntur,cum frigus ſerenitatem aeris & cœli nitorem ſecum afferat.

Chilenſis prouincia Hiſpaniæ ſimilis.

Diuerſitas tempeſtatum in Europa & America.

In Europa niues ac pluuiæ cum frigore coniunctæ hyemem conſtituunt, contra æſtiuum tempus in calore & ſiccitate conſiſtit. Sed ſub Zodiaco interque Tropicos plane diuerſo modo comparatum eſt. Nam, vt confirmant incolæ, in *Montanis Peruuiæ* perpetuum quaſi Ver eſt ab *Aprili* menſe vſque in *Septembrem*, quo quidem tempore pluuiæ fere nullæ campos humectant, Cœlo propemodum ſemper ſudo ac aere ſereno. Reliquum quicquid eſt temporis ab *Septembri* in *Aprilem* menſem, illi *Hyemem* vocant, non alia magis de cauſa, quam quod illis menſibus frequentes imbres Cœlo præcipitentur.

Quod cum dicunt, confirmant ſuo quaſi calculo, in Montanis Peruuiæ regionibus adultam æſtatem eſſe, eo ipſo tempore cum *Hiſpani* neque æſtatem neque hyemem perfectam habent: & quoties Sol proximitate ſua eorum vertices recta radiis ſuis ferit, ipſiſſimam hyemem in procinctu eſſe autumant, idque propter præcipites imbres, vt cum Poeta loquamur,

noctemque hyememque ferentes.

quæ quidem eorum ſententia ridicula videri poſſit, etſi peruulgata maxime. Sicut enim Dies Noctesque præſentia vel abſentia Solis circumſcribuntur: ad eundem modum Æſtas hyemsque ſecundum Solarem reuolutionem eiusque proprietates æſtimantur. Sic tum demum dicendum eſt, nos veram habere hyemem, cum ſol longiſſime à nobis abeſt, vt vice verſa cum idem ille *Aſtrorum rex* nobis propior eſt, æſtatem reuera habemus, & vt rem compendio capiamus: Calor & frigus neceſſario conſequuntur Solis acceſſum vel receſſum. Siccitatis autem atque humiditatis non eſt perinde neceſſaria ſequela. Ex his dictis non eſt obſcurum colligere, (licet apud omnes communiter receptæ opinioni aduerſetur) Hyemales menſes in Noui hac Orbis parte mites & iucundos fluere, vt è contrario æſtiuos fere pluuiis vdos ac vaporibus infames, & quod magis mireris, hyemem tepidiorem eſſe vere, cum contra ver ſit frigidiuſculum.

Eadem ratione imperitum vulgus non abſimili errore diſcrimen quoddam ſtatuit inter hyemem regionis montoſæ *Peruuiæ* & campeſtris ac planæ. Eos nimirum, qui mari viciniores arualem & paſcuum agrum colunt, inferiores ratione ſitus, tunc ſuam habere hyemem, cum in Alpibus Ver eſt, menſe ſcilicet Aprili, Maio, Iunio, Iulio Auguſtoque: quia omnibus hiſce menſibus omnis Alpeſtris regio clariſſimis ſolis radiis attenuatur & perpurgatur, cum è contrario humiliores prouinciæ, & quæ ad Oceanum Auſtralem protenduntur, denſis exhalationibus & nebuloſis vaporibus fœde obſcurentur.

Sed vt de *Zona Torrida* inceptam telam ſuam ſermo noſter pertexat, certum eſt, partem terræ huic ſubiectam miti ac manſueto aere, ſed & viuorum fontium ac perennantium ſcaturiginum vbertate omnes alias longo poſt ſe relinquere interuallo: ſi excipias loca ſabuloſa aut deſerta, ſolisque vicinia exuſta, cuius generis & in omni orbe reliquo affatim eſt cernere. Præter enim cœleſtes aquas, quibus affluentiſſime irrigatur, (imbres loquor, niues, grandines, pruinas) innumeris humectatur aquis, quæ terræ debentur: fluuiis dico, fontibus, paludibus, riuis, lacubus. Et ne quis dubitet, magis mira addam: eſſe complures easque patentiſſimas huius Noui orbis regiones, quæ ob nimiam aquarum copiam habitari non poſſint.

Fluuii enim, quorum ibi largiſſimus prouentus pluuialibus aquis ſupra modum aucti, intra conſueti aluei ripas ſe non continent, verum perfractis clathris quaſi ſuis terram inuadunt populabundi, in ſtagnantis aquæ faciem omnia vertentes, non ſine graui incolarum detrimento, qua ſua exuberantia cauſantur multas paludes, tellure ebria

nimiis humoribus, nec ferente veſtigia hominum pecudumque, ſed continuo ſubſidente. Quam ob cauſam illi mortales, qui ripas ingentis fluuii *Paraguai* accolunt, cum animaduertunt patrium flumen intumeſcere, & iam eruptionem in agros minitari, præuiſam ruinam anteuertunt lintribus ſuis, quibus omni humo deſtituti pro domibus vtuntur, ignem perpetuum in illis nutrientes, & tribus continuis prope menſibus in illis victitantes. Cæterum ceſſantibus pluuiis, & fluuio antiquum ſuum meatum repetente, miſeri incolæ & ipſi deſerta nauigiorum illuuie terram ſuam adhuc madore ſqualentem & vliginoſam repetunt, priſtinæ vitæ reſtituti. *Paraguai fluvius ingens.*

Et vt de fluuiis huius noui orbis aliquid dicamus, quia in eo ſumus, affirmamus, flumen iſtud *Paraguai* tantæ eſſe præſtantiæ & magnitudinis, vt ſi vel *Nilum* ipſum, vel *Gangen* vel *Euphratem* denique cum illo conferas, nihil agas, cum nec ſinguli, nec coniuncti (audax, ſed verum verbum,) cum illo comparari queant.

Huic nihil debet *S. Magdalenæ* fluuius, qui inter *Sanctæ Marthæ* promontorium & portum *Nouæ Carthaginis* aquas ſuas in Oceani patris ſinum deponit. Iam de incredibili magnitudine fluuii *Amazonum* dicentibus quis adhibebit fidem? qui ob latitudinem, qua omnia fluenta longiſſime ſuperat, *Mare* quoddam verius quam fluuius appellari meretur. Ab Hiſpanis primo inuentus & ſub nominibus *Aureliana & Rio Marugnone* nauigatus fuit. Suſcipit hic magno numero aquas imbrium ex alpeſtri *Peruuiæ* parte præcipitatas, & fluuios alios diuerſi generis, qui plurimi ex omnibus regionum vicinarum partibus in illum confluunt, quibus exhauſtis longiſſime patentes campos Prouinciarum *Paytiti, Dorado* (ſiue deauratæ) & Amazonum curſu ſuo emetitur, donec tandem & ipſe è regione Inſularum, *Margaritæ*, & *Trinitatis* ab Oceano abſorbeatur. *Fluuius S. Magdalenæ.* *Fluuius Amazonum.*

Vbi ad exonerandas aquas ſuas & oſtia maris properat, tam latum ſpacium terræ occupat, vt plurimas, easque non paruæ magnitudinis Inſulas cauſetur. Quodque omnem fidem ſuperare videtur, tantæ latitudinis eſſe deprehenditur, vt qui in medio illius fluuij nauigant, velut in vaſto mari præter aquas nihil niſi ſolum cœlum intueantur.

Ecce, *benigne Lector*, huius generis vaſtitate, vbertate, perennitate, præſtantes fluuios alit veterum illa *Torrida & aduſta Zona*, quam Ariſtoteles cum omni priſcorum Philoſophorum natione velut aquis deſtitutam, &, *cum nil ſit melius Aqua* tanquam humanæ habitationi ineptam damnauit. *Zona torrida aquis abundat.*

Quid quod in *Superiore Peruuia* in media Regione *Collao* ingens ille lacus & velut mare quoddam, cui Inticaca nomen, oculis ſe ſubiicit, cuius tanta eſt capacitas, vt in circumferentia duo millia & quadringenta ſtadia complectatur: cuius longitudo nongentorum prope; latitudo vero ducentorum viginti eſt Stadiorum, quique *decem iuſtæ magnitudinis fluuios* ex ſeſe evomit, in diuerſas orbis partes curſum ſuum dirigentes. *Inticaca lacus.*

Vbi quinquaginta circiter miliaribus ab hoc ſtagno *Inticaca* diſceſſeris, offeret ſe tibi alius Lacus, multo tamen illo minor. *Paria* ab incolis vſurpatur. Sunt in vtroque horum lacuum quam plurimæ Inſulæ diuerſæ magnitudinis, quarum pars humanæ habitationi ſeruit, pars deſerta iacet incultaque. Vnde diſcemus puto, hanc terræ partem, ſub *Zodiaci* regione obliqua ſitam, non tantum non eſſe *Torridam*, *exuſtam*, ἄνυδρον, ſed aquarum copia & pratorum vbertate multis aliis potiorem. *Paria Lacus.*

Ratio-

Rationem autem, cur hæc Orbis pars *Æquinoctiali circulo* ſubiecta tot aquis fontibusque irrigua, tot pluuiis ac imbribus madida ſit, (quæ res veterum ſomnia valide eliminat de ſiccitate & æſtu intolerabili delirantium) aliam aſſignare vix poſſumus, quam quod Solis vires in illis partibus ſunt validiſſimæ, qui ex immenſo illo vndique circumiecto Oceano immanem vim vaporum atque humidarum exhalationum attrahit, attractamque continuo rarefacit inque pluuias conuertit. Crebreſcentibus porro imbribus fluuios & lacus intumeſcere, terrasque inundare, nemo eſt qui ambigat. Nec deſtituent nos argumenta, quibus euincamus ex ipſo illo intenſo æſtu naſci cauſas tot ac tam pertinacium pluuiarum quibus hæc *Zona torrida* perpetim eluitur. Inter principales demonſtrationes hæc collocatur, quæ in obſeruatione conſiſtit; quod videlicet eo ipſo anni tempore, quo Sol ſupra capita noſtra imminet, denſi imbres gignuntur; Viceque verſa, quod ſole nonnihil declinante, rarius pluat. Adeo Solis vis eſt efficax in progenerandis & continuandis pluuiis! Obſeruatum eſt & illud non ſine ſingulari attentione, in omni hac *Americæ* parte circa meridiem potiſſimum pluere, quo tempore diei Solis radii ſunt feruidiſſimi, cum matutino tempore & poſt exortum diei non habeant, quod ab imbribus illis impetuoſis ſibi metuant.

Quam rem Regni *Peruani* incolæ ſagaci conſilio in ſuum commodum ita vertere norunt, vt itinera ſua horis antemeridianis conficiant, nitanturque, vt circa meridiem in diuerſorio, ſubque tecto ſint.

Nec hoc eſt omittendum, cumulari atque creſcere vim imbrium, accreſcente *Luna*, vſque ad eius plenitudinem; vt ita non inepte quis dixerit, Annum, Menſem, & diem in id vnice conſpirare, vt irrefragabiliter demonſtrent, pluuiarum frequentiam & imbrium vehementiam intra *Tropicos* ex intenſo æſtu, beneficio luminum cœleſtium, progenerari.

Non erit abs re, puto, rem omnem exemplo ab artibus deſumpto dilucidiorem facere. Artis diſtillatoriæ hoc eſt ingenium, vt ex herbis aliave materia aquas ad vſum medicinæ eliciat. Ibi videmus, quo pacto feruidiſſimus ignis virtute ſua denſos vapores vbere copia ſurſum attrahat. quos caloris vi in ſublimi circumcinctos ac rarefactos in aquam reſoluit, quæ deinde collecta guttatim labitur ac ima petit.

Idem obſeruare licet in operationibus *Aurificum*. Quoties enim illi Aurum vel Argentum admirabili vi argenti viui purificant; Si ignis ſit imbecillior, quam pro requiſito, parum admodum exſudat humoris: Sin validior Vulcanus ingruat, multum aquæ prodit, atque adeo illa ipſa materies, quæ in fumos abit adhæreſcitque, paulatim mutatur reſoluiturque in aquam, inque ſtillas collecta, copioſior demum deorſum fluit.

Quanquam autem hæ res ſibi inuicem contradicere videantur, cum dicimus, Solem propter ſui ipſius viciniam in regione Torrida pluuias gignere, extra hanc autem non item; nulla tamen hic deprehendetur repugnantia, cum ſatis conſtet, multas operationes Naturales, diuerſo modo ac ratione, & ex diuerſis cauſis procreari. Sic madidum linteum non minus frigidus ventus quam feruidus ignis exſiccat; Lateres aut imbrices cocti, non minus frigore quam calore indurantur. Mediocris exercitatio corporis ſomnum conciliat homini: nimius motus, aut plane nullus eundem euertunt atque adimunt.

Monendus tamen eſt author, ne exiſtimet, in Zona torrida ſemper illas tempeſtatum quaſi ſtatas viciſſitudines, eodemque ordine neceſſario exoriri atque

atque dominari, omnino rem ſecus habere non poſſe. Sicut enim in plerisq; rebus Phyſicis, quæ ex cauſis naturalibus dependent, non requiritur tam tenax regula, vt perpetua & Mathematica ratione quæ fiunt ſemper ita fiant, ſed ea quæ ſæpius accidunt, & vt Græci aiunt, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, legis aut Maximæ nomen acquirunt: Eadem ratione cum dicitur illud terræ ſpacium quod Tropicis includitur, humidius eſſe, eoque tempore pluribus imbribus perplui, quo Sol illi eſt vicinior, id demum ita accipiendum eſt, vt intelligatur plerumque ita fieri, & maxima ex parte, ita, vt hinc tuto animaduerſiones & conſequentiæ deduci poſſint. Nec enim quiſquam ſanus aut harum regionum peritus negauerit, quod in hac ipſa media mundi plaga quaſdam partes ſol perpetua ſiccitate arefaciat, quodque incolæ, qui littus Regni Peruuiani, quod in Auſtrale mare porrigitur, habitant, non minus, quam Æthiopes in intima Africa omni prope pluuia deſtituantur, ſic tamen, vt conualles quaſdam & depreſſiora loca excipias, quæ beneficio fluuiorum ex montibus aquas ſuas derivantium, aliquo modo irrigantur. Præter hæc quicquid eſt, ſterilitate damnatur perpetua, quando rariſſimas fontium ſcaturigines ibi videre eſt, aut, ſi qua forte palus aut puteus occurrit, altiſſima profunditate deprimitur. Cur autem in his locis aut nullæ aut rariſſimæ pluuiæ deſcendant, huius rei cauſam inferius commodiore loco in medium afferemus, id tantum interea admonentes: Quicquid extra Naturæ leges aut præter illas fit, ne vnquam pro neceſſitate aut lege habeamus.

Et hæc quidem de Siccitate & Humiditate mediæ illius mundi regionis ſiue *Zonæ* quæ ſub Æquatore, inter duos Tropicos, Cancri puta & Capricorni, ſita eſt, dicta ſunto.

Videamus iam deinceps, quid de cæteris duabus qualitatibus, *Calore* inquam & *frigore* dicere habeamus. Cœterum ex iis quæ in conſiderationem venient, planum fiet, Æquatori ſubiectas terras humiditate quidem & calore abundare, verum calore tali, qui intra mediocritatis conſiſtat terminos, quæ cum dicimus, non dubium eſt, multis incredibilia dicere nos videri. Qui ne ſe rumpant admiratione, hoc inſuper audiant, multos vicinum hoc Mare nauigaſſe, qui pro eo, quod ſecundum Mathematicorum & Phyſicorum dogmata, quibus Sol in Arietis ſigno, id eſt in ipſa Æquinoctiali linea conſtitutus, (quod fit menſe Martio) plurimum feruere ac regiones Aequatori ſubditas potiſſimum vrere debet, plus ſatis frigoris inuenerunt, adeo vt Solis effectum, qui calor eſt, omnibus votis deſiderauerint: nec eſt, mecum veritate iudicante, vlla in toto hoc ſublunari mundo terræ pars, quæ temperamenti æquabilitate, aeris clementia, qualitatum ſuaui mixtura, aut dulcedine cum Aequinoctiali illa parte componenda ſit, quicquid ex quibuſcunque etiam cauſis alij contra garriant. Nec tamen hoc aſſerimus, apud omnes huius Zonæ incolas hoc æqualiter valere. Nam alicubi mirum eſt terrę ac elementorum temperamentum vt apud nos in *Peruuia*: alibi plus ſatis friget, vti apud *Potoſianos*: alibi nimium æſtuat, verbi gratia apud *Braſilienſes* & *Moluccarum Inſularum* habitatores: quæ diuerſitas preſſius conſiderata, haud ſcio, an non poſſit nos cogere aliam multoque diuerſam à Solis radiis quærere caloris aut frigoris cauſam: Cum manifeſtum ſit, eodem anni tempore, ſub eadem longitudine graduum cœleſtium diſpoſita loca quædam æſtu flagrare, quædam moderate calere, quædam denique vim frigoris vix ferre.

Caloris & frigoris ratio in America.

Sed age, videamus, vtrum rationes poſſimus aſſerere, propter quas Ordinarius ille & intenſus calor Solaris in regionibus quibuſdam mediæ Zonæ multo ſit remiſſior, quam in aliis. Prima igitur erit quam ſupra commemorauimus, pluuiarum copia & frequen-

Zona media non nimis feruida.

frequentia, quibus tota illa pars abundat. Eſt autem imbrium ea natura vt frigidiorem reddant aerem. nam & ipſa aquæ natura friget & frigefacit. Etſi autem ab extrinſecus accedente feruore calorem quandoque concipere ſolet: non eſt tamen vllum dubium, quin aquæ proprietas multum mitiget intolerabilem illum æſtum, quem ſolares radii puri & directi gignere potuerant.

Alteram hanc ſtatuimus cauſam: Quamuis Æquinoctialis illa plaga feruoribus ſolaribus quam maxime expoſita eſt, dies tamen, vel, vt ita dicamus, Soles multo ibi breuiores eſſe deprehenduntur. qua ratione fit, vt quamlibet ferueat Phœbus, quia tamen dies breuiores ſunt, adeo inflammare aerem non poteſt. Cum igitur in hac Æquatori ſubdita parte Dies æſtiui breuiores ſint, quam alibi, vbicunque tandem ſis: ſequitur Noctes quæ diem fere exæquant horis ſuis, quæque ſuopte ingenio humidæ ſunt & frigidæ, multum emolumenti afferre ad mitigandum flammeum illum ſolis æſtum, cum Regnum Dianæ, quo ad durationem temporis, non multum cedat fraterno Apollinis Imperio.

Tertiam cauſam tribuemus, quod vndique has partes alluit, magnum Mare: Cuius aquæ etſi ſalſugine ſua notiſſimæ ſunt, frigere tamen omnino deprehenduntur: nec eſt quod huic rei aliam, quam ex ipſius aquæ natura hauſtam adſtruamus cauſam. Notum enim eſt ex reuerberatione radiorum ſolarium multum accedere feruori aut æſtui. Iam aquæ, quia ſunt fluidæ, tenuiores, & pellucidæ non tam fortiter reuerberant, vel, ſi mauis, reflectunt radios incidentes, quam vlla terrea eoque nomine craſſior materia. Conſequens igitur eſt, viciniam maris multum infringere æſtuantem illam intemperiem.

Quod ſi quis obiiciat, ſolere etiam aquas concepto calore efferveſcere, quod in fluvialibus vndis crebro accidere ſolet: næ ille mihi non videtur conſiderare immenſam Oceani profunditatem, & quantum ad hanc per calefaciendam requiratur feruoris extori. Nam ſicut aquæ fontanæ intro fiunt frigidiores: ita quoque manifeſtis experimentis deprehendimus, aquas marinas refrigerandi vi pollere.

Quæ ſit vis aquarum marinarum.

His addi poteſt ſitus loci ſiue regionis, an ſit humilis & depreſſa, an plana & campeſtris, an vero montibus collibusque edita atque aſpera. Quotus quiſque enim eſt qui ignorat, ſummitates montium frigidiore perflari aere, quam confragoſas valles cauosque receſſus? Cuius rei cauſa non tantum in eo hæret, quod ſolis radii in locis concauis repercutiuntur validius, adeoque quaſi geminantur, duplicatis hac ratione feruoribus, ſed etiam, quod regio aeris omni dubio procul eo frigidior eſt, quo altius ab humilitate terræ attollitur. Argumento huic rei erunt prouinciæ *Collao*, & *Popaian*, quæ licet ſolis ſtricturis plane ſint expoſitæ, altiſſimisque vndique cingantur montibus, tamen frigoribus etiam ſunt obnoxiæ. Hoc idem reſpondebimus percontanti, cauſamque ſciſcitanti, eccur Regni *Peruuiani* partes planæ ac campeſtres, quæ littus maris reſpiciunt adeo caleant, cum contra montana illius regni ſupra modum frigeant: nempe quod hoc fiat ratione ſitus quo altera ab altera differt, Montanam regionem in edito, alteram in plano ac humili eſſe. Mediam autem aeris regionem admodum frigidæ conſtitutionis eſſe, ſatis euincunt cum apices aut ſummitates editorum montium, qui eo vſque capita ſua extollunt, ideoque perpetua niue & æterna glacie cooperiuntur, ac longe ſplendent: tum demonſtrationes phyſicæ, quod per calidam Antiperiſtaſin regionis igneæ, quæ eſt ſupra aeream, omnis frigiditas in medium compellatur.

Poſtremo inter cauſas temperatæ illius & æquabilis mixturæ numeramus etiam peculiares *ventos*, qui illas Indiæ Occidentalis partes perflant, de quibus in præſenti nihil diſputamus, totam illam doctrinam in commodiorem locum reſeruantes.

Sed

Sed iam vela contrahamus, poſtquam de proprietatibus Æquinoctialis Circuli, deque diuerſis eius qualitatibus, calore, frigiditate, ſiccitate, humiditate, pluuiis & nimbis, deque horum omnium mixtura & temperamento ſufficienter diximus: Placeat iam porro de harum regionum variis ventis, fluuiis aquisque communiter, regionibus ac prouinciis, vt & de Metallis, herbis, arboribus, animalibus ac feris aliquid diſſerere, non minus lectori gratum futurum quam illa ſuperiora.

De Natura ventorum in occidentali India.

Igitur vt de ventorum Natura (de his enim primum dicere propoſuimus) incipiat diſquiſitio noſtra, Regum omnium Sapientiſſimus *Salomon* merito magni facit hanc ſcientiam, qua ventorum Naturas vires ac proprietates quis aſſecutus, de illis commode diſſerere poteſt, cum frequenter ſibi ipſis aduerſentur, eoque vel ſolo nomine multum admirationis gignant, nec minus diligentiæ in perueſtigando requirant. Alius enim humores ac pluuias producit, alius ſiccitates: alius morborum fomites ſpargit, alius ſanitatis: Ille calore aerem, hic frigiditate imbuit: Eſt qui fertilitatem terræ, eſt qui ſterilitatem inducat: alius denique incrementum frugibus, alius perniciem affert: & vt narrandi compendium faciamus, ſexcentis modis inter ſe diſcrepant, vt ratione proprietatum, ita effectorum. Inuenias ventos qui velut Dominium exercent in ſubiectas regiones, quas continuo perflant, collegæ impatientes, nec aduerſarium Tyrannidis ſuæ vllo modo ferentes. Aliis in locis videas illos mire inter ſe digladiari, dubiisque pugnare euentibus, vt qui iam victor campum late longeque obtinet, mox ab antagoniſta victus cedere victori cogatur. Eſt cum contrarii venti, interque ſe pugnantes vno eodemque tempore, iiſdemq; in locis quaſi æmulari ſeſe videntur, ita tamen, vt ſe non pellant inuicem, ſed ſinguli ſuum curſum ſeparatim obtineant. Nonnunquam duo è diuerſis Æolii regni partibus erumpunt, contrario itinere graſſantes, ſic, vt vnus ſuperiorem aeris regionem, alter inferiorem ſui iuris faciat; quandoque videre eſt duos huiuſmodi Typhœos validam miſcere pugnam, interque ſe quaſi omni vi concurrere, ſuasque confundere vires, qui furor fere in miſerorum nauigantium perniciem deſinit. Quidam venti huius ſunt ingenij, vt procreationem animalium virtute ſua adiuuent, cum alii ſint qui perdant ac deſtruant. Eſt quidam ventus cuius ſingularis eſt effectus in procreandis inſectis, quo flante vidimus aliquando ingentem pulicum vim cum pluuiis deſcendere, ac operire campos. Alius ranarum & id genus quisquiliarum copiam infert regioni. Tam varias interque ſe repugnantes proprietates ventorum plerique tribuunt naturæ locorum, per quæ illi facto velut itinere perrumpunt; aſſeruntque illos haſce proprietates & qualitates ex locis quæ perflant acquirere, cuius generis ſunt, calor, frigus, humiditas, ſiccitas, ſanitas, peſtilentia, fertilitas, pernicies: quæ eorum opinio nonnunquam ſcopum ferit, ſæpius tamen longe ab eo aberrat. Nam, vt ſententiam noſtram exemplis roboremus, diuerſiſſimas operationes eorundem ventorum deprehendimus quandoque in locis non adeo magno interuallo ab inuicem diſſitis: in *Hiſpania* Eurus flans, æſtum & laſſitudinem tædiumque hominibus affert; contra in *Murcia* haud procul regno & vrbe *Granatenſi* frigidiuſculus eſt multum ſanitati mortalium conferens, per hortos enim amœniſſimos & prata irrigua, quæ fere frigore gaudent, ingreditur, vbi multum aſperitatis deperdit, ſiccamque ſuam naturam magna ex parte exuit. Paucis miliaribus hinc digreſſus, vbi in *Carthagenam* deueneris, eundem ſubſolanum experiere grauem mortalibus atque valetudini incommodantem. Quid quod Plinius alicubi narrat, Aquilones in *Africa* Terra pluuias, Auſtros vero ſerenitatem ac puritatem aeris procreare? Quanquam nec hoc perpetuo fit, nec pro maxima aut criterio habendum: cum fateri omnino debeamus, illam cœli regionem ſiue plagam, ex qua oriuntur

Differentiæ ventorum variæ.

venti, has illis indere vires atque proprietates. Et hinc fit, vt *Boreas*, qui etiam poetis Gelidus dicitur, quia ex remotiſſimis ab Sole regionibus progreditur, quales ſunt omnes aquilonares, neceſſario ſit naturæ frigidioris. Auſtri autem vel Noti ſunt ſuopte ingenio calidi, qui poſtquam calores & exhalationes ſecum trahunt, fieri non poteſt, quin in ſeſe & ipſi humidi ſint, & terram pluuiis frequentibus humectent: Cum contra Boreas ſit ſubtilis, tenuis, eoque nomine ſerenator, qui non ſinit vapores in denſitatem aliquam coire, vnde pluuiæ generari queant.

Ad eundem modum etiam de aliis ventis differere eſt; quod Aeolii illi fratres robur ac vires ſuas exerant pro modo ac natura illius plagæ Cœli vnde progrediuntur. Præter hæc autem omnia quæ in fauorem huius ſententiæ dicta ſunt, cum ipſi venti, tum eorum operationes cæleſtibus virtutibus, Soli dico, reuolutioni orbium, influentiæ ſuperiorum corporum, immo vero, quod omnium primum dictum oportuit, DEO ipſi, Creatori altiſſimo, Optimo, Maximo, accepta ferenda ſunt, vt ſupremo motori, quod Diuinarum litterarum infallibilis autoritas non vno loco diſerte adſtruit.

Venti immutant naturam ſub æquatore.

Cæterum hæc noui Orbis medietas, quæ ab *Æquatore* in *Polum Arcticum* vergit, nobilitate, multisque prærogatiuis, alteram medietatem, quæ huic oppoſita in *Antarcticum* protenditur, ſuperat, vti poſt planum faciemus: poſſitque quis exiſtimare, ventos, poſtquam lineam æquinoctialem exceſſere, multum immutare vires ac proprietates ſuas: Sed ſi quis rem diligentius penſitauerit, ſecus habere deprehendet. De *Borea* quidem facile ipſis largiemur, illum in his oris neque tam gelidum neque tam ſubtilem flare, vt alibi locorum: præterquam quod in multis tractibus circa Regnum *Peruanum* venti Aquilonares ſunt hominibus moleſti & inſalubres. In campeſtribus & plano ſolo, totoque adeo tractu littorali, qui vltra quingenta milliaria extenditur, Auſter ſalubritatis, frigiditatis, amœnitatis nomine commendatur: Sed & (quod mirere) claram ſudamque aeris conſtitutionem adfert, quando aut nunquam aut rariſſime ibi pluit, quod in Europa ob contrarios effectus fidem vix merebitur.

Sed, dicet aliquis, quæ iam de littorali Peruuiæ tractu & campeſtri regione attuliſti, adeo nullam regulam conſtituunt, nullamque inferunt neceſſitatem, vt potius dicenda ſint inter miracula naturæ computanda, quæ à Maximis excipi nullisque legibus ſubiici amant. His reſpondemus, negari tamen non poſſe, Aquilonem in vltra æquinoctiali parte non iiſdem pollere proprietatibus & effectis, quibus Auſter in cis-æquinoctiali hac, licet vterque à ſuo Polo prodire videatur, & in latus aduerſum ſiue oppoſitum flare pertendant. Neque enim frequens apud illos eſt, Aquilonem calorem & pluuias adferre, quemadmodum apud nos facit Auſter; immo multo vſitatius eſt etiam ibi auſtrum imbres ciere, quod facile intelligemus ex mutatione tempeſtatum, quæ in Montanis *Peruuiæ*, itemque in Prouincia *Chile* & regno *Congo*, quæ ſunt trans Æquatorem accidere ſolent. Adde quod extra omne dubium conſtituitur, loca ventis peruia, quæque magno impetu perflantur, vt & loca Carceris Aeolii, vnde ipſi proficiſcuntur, tot varietates effectuum & operationum diuerſitates ipſis ventis imprimere, quod plusquam in ſexcentis locis obſeruare pronum eſt. Ipſi tamen venti validiores ſunt in illis terræ partibus, quibus ortum & natales ſuos debent, quam circa æquinoctialem lineam, ciue in hoc, ſiue in altero illo latere.

Cæteri duo venti *Cardinales*, *Eurum* intellige & *Zephyrum*, nequaquam tot differentiis ſunt notabiles, neq; tot obſeruationes in peculiaribus cõmunibuſq; proprietatibus ſuis gignunt,

gignunt, quot reliqui duo, de quibus prolixe diſputauimus: vnum tamen hoc dignum eſt quod attendas, *Eurum* in his oris moleſtum, iniucundum, bonæque valetudini incommodum: contra *Zephyrum* ſalubrem & refectioni ægrorum corporum aptum iudicari. Ex aduerſo per vniuerſam Zonam torridam ſubſolanus ſalubris & amœnus prædicatur. De fauonio neque communiter neque ſigillatim multa dici poſſunt, cum in illa mundi parte, quæ medium totius vniuerſi obtinet; nunquam flare deprehendatur: aut ſi quando ſpirat, inter res rariſſime accidentes id referatur. In omni enim licet immane magno ſpacio, quod vtriusque Tropici limitibus includitur vnus vt plurimum isque velut ſtatus aut ordinarius ventus dominatur, qui à nautis Briſa vocatur. quam rem ego inter res maxime admirabiles, quas vſquam Natura Mater operatur, referendam exiſtimo, dignamque omnibus modis, de quibus pluſcula verba faciamus.

Via quam mare nauigantes inſiſtunt, multum differt à via terreſtri. Qui enim pedibus iter faciunt itinere terreſtri, eamdem ſemitam legunt releguntque, eſtque eadem via quæ ad locum ducit reducitque. *De via ſiue tractu nauigantium in Indiam.*

At vero mare magnum nauigantes diuerſum experiuntur, cum haud temere eadem via redeant, qua abiuerunt: Quæ res primis vtriusque Indiæ inuentoribus plurimum laboris ac moleſtiæ creauit, vt ſcilicet vitatis breuibus, ſcopulis latentibus, Syrtibusque tutam inuenirent ſemitam, per quam eundo ac redeundo naues ſuas dirigerent, donec ipſa experientia magiſtra didicerunt, longe aliam rationem eſſe nauigandi *Oceani*, quam eſt *Maris Mediterranei*, quando in *Italiam* vel *Ægyptum* aut *Syriam* iter eſt: quo in itinere tam in exitu quam reditu vnum idemque punctum ſiue terminum obſeruatione cognitum ſibi propoſuerunt, quem tenerent: id tantum iis deerat vt ſecundos ventos expectarent, quorum beneficio implerent vela, qui quidem venti pro varietate tempeſtatum anni & ipſi variabant. quibus omnino conquieſcentibus, demiſſis velis, remigio gerebatur res. Ita triremibus ſuis ibant redibantque. At magnus ille Oceanus Pater non tam facile in ordinem redigitur. *Ratio nauigādi mare mediterraneum.*

Neque enim tantam in illo experiuntur ventorum varietatem, ſed certis quibusdam in locis vnus idemq; ventus perpetim ſpirat; certique ſunt nautæ, ventum qui flat, ſua capere vel incrementa vel decrementa. Poſtemo hoc quoque claſſibus accidit, vt dum à portu patrio proficiſcuntur, ſecundis vtantur ventis, qui iiſdem reuertentibus hoſtiliter ſunt contrarii. Emenſis enim alterutrum Tropicorum, poſtquam *Torridam Zonam* attigerunt, vſuuenit, vt nouos experiantur ventos qui in lato Oceano dominantur. Oriuntur illi ab Oriente ſole, æternoque ibi vigent ſpiramine & quaſi perpetuum regnum poſſident, vixque vlli alii vento tantum indulgent precario, vt ad leuem ſenſum nauigantium ſpiret, cæterum de imperio ſuo cum illo nihil communicant.

Duas hic res obſeruatione digniſſimas, adeoque miraculo ſimiles cernere eſt. Prior quod in ea mundi Zona, quæ multo maxima eſt & ampliſſima quinque illarum, in quas vniuerſus Globus terreſtris diuiditur, Euri dominantur, *Briſæ* nautis dicti, & quod Zephyri, vt & Auſtri, (quos iidem *Vendaualos* vocant) nullo anni tempore ſuos flatus ibi exercere poſſunt. Alterum portento ſimile eſt, quod *Briſæ ſiue* venti illi ab Oriente flantes nunquam deficiant, quocunque tandem anni tempore: & quo propius accedas ad Lineam æquinoctialem, eo frequentiores eos deprehendes, non obſtante ſententia vulgi opinantis perpetuum ibi eſſe debere velut iuſtitium atque malaciam: quando illa terræ pars calori ſolis maxime eſt obnoxia. Sed fallunt & falluntur. Raras enim

ibi locorum dant venti inducias,& Briſæ ſiue Euri plus frigoris inferunt;& ob ſæuitiam plus creant periculi. Et hæc eſt cauſa,quod longe promtior eſt & expeditior nauigatio, ex Hiſpania in Occidentalem Indiam,proficiſcentibus , quam ex Indiis Hiſpaniam repetentibus.

Conſectarium iam erat de omnibus ventis,tam cardinalibus quam collateralibus ex diſciplina Mathematicorum ac Phyſicorum , & ad illuſtrandam pyxidem nauticam, orationi noſtræ frena laxare;quia autem hæc eruditio proprie ad nautas ſpectat , & apud alios auctores,qui hęc ex profeſſo tractanda ſibi ſumſerunt,largiter omnia ſunt enucleata : Contenti erimus,in Theatro miraculorum Pneumaticorum aliquantum temporis terere,& animos ſtupendis ventorum in nouo iſto Orbe effectis paſcere, quo quidē ſpectaculo,haud ſcio,an vllum ſit,quod nos tam luculenta manu in ipſa Naturæ penetralia deducere poſſit.Nam ecce,inuenias ventos,qui naturam & colorem aquæ marinæ penitus mutant,vt obſcuro aliquo virore tinctæ appareant. alii contra eaſdem tam claras ac nitidas reddunt quam ſpeculum vitreum eſt. Sunt qui curas & atræ bilis impetiginem à mente humana abſtergant : ſunt qui cor triſtitia imbuant & tantum non ſuffocent. Quod illi cū primis diligenter obſeruāt,qui bombyces cōficiendo ſerico ſtudioſe alunt. Hin- flante inimico Auſtro , aut Vendaualis obtinentib. imperiū, omnes feneſtras & aditus cū cura obturant:Spirante autē vento cōtrario ſublatis omnib. operculis & reſeratis feneſtris eum læti admittunt,ipſa experientiæ magiſtra edocti , vermium illud genus flante vento illo noxio atque maligno interire penitus ; Contrario vero ſpirante refici, & augeri,& copioſo vellere beare nutricios. Cuius rei experimentum ; non eſt quod homo ex vilibus inſectis petat,cum ex ſuo ipſius corpore idipſum habere poſſit ; ſi non nimis ſit ſui ipſius incurioſus. Ventorum enim varietas alterationem humorum in humanis corporibus manifeſte gignit,idque cum primis in teneribus ac delicatioribus obiectis. Quo enim illa corpora ſunt rariora & ſubtiliora,eo magis recipiunt alterationes ab exterioribus qualitatibus,inprimis ventis impreſſas. Ipſæ diuinæ literæ quæ omni exceptione ſunt maiores,hoc exprimunt,dum ventis ab effectu ſingularia nomina imponunt: Illum *Inflammatorem & ſiccatorem* vocant : alium ventum *amœni roris & refrigerij* indigetant,& alios aliis vocabulis.

Mira ventorum in nouo orbe effecta.

Venti bombycibus exitioſi.

Quid autem,quæſo,cauſæ eſt,cur miremur effecta & operationes varias ventorum in corporibus hominum,brutorum,vt & in vegetabilibus , herbis ac fruticibus ? cum conſtet,ab eorum vi ne duriſſimum quidem omniū metallorum immune eſſe. Vidimus enim in hoc noſtro nouo orbe Clathrorum (ſiue mauis) cancellorum ferreorum perticas ſatis validas ventorum vi ad eum modum corroſas atque exeſas,vt non fuerit difficile cōprehendentibus ea ferramēta digitis atterere atq; confricare,haud ſane aliter, quam ſi leues ſtipulæ forent aut putria ſtramenta.

Venti ferrum exedentes.

Admirandis hiſce ventorum operationibus omnino accenſenda eſt infirmitas illa, quæ primum mare ingreſſos nauſeabundos facit , & miris modis torquet. Peruulgata quidem hæc res eſt,& plus ſatis nota,neminem tamen lædit periculoſius. Ignari huius mali,lethali morbo ſe correptos ſibi perſuadent,ex mera inſcitia & nouitate: Ventriculū enim indeſinenter infeſtat,& illius villos penetrat,donec illa ægritudo durat,nec nauſeandi aut vomendi vllus finis. Oritur hæc intemperies potiſſimū ex inſueto aere,ventisq; marinis nō ante hauſtis: Etſi non negandū,inconcinnū motū ſalientis carinę,& inde natas concuſſiones multū ad rem facere , vt nec odor ſentinæ & ſordiū illuuies hinc excludi debet. Huic malo admodū importuno qui ſalubri cōſilio obuiā ire cupiūt, tēpeſtiuo inuēto nares & aures,quantū fieri pōt, odoratis peſſariolis obthurāt,corpore veſtimētis in

De nauſea nauigantium.

primis

primis circa ſtomachi ſedem apprime munito. Aeris enim, vel ventorum potius tanta eſt ſubtilitas & vis, vt ad ipſa vitalia vſque viſcera penetrent. Plus admirationis habet quod alicubi ea eſt ventorum teneritudo & ſubtilitas vt etiam ſine ſenſu prope vllo corpus hominis permeent, ipſamque dulciſſimam rerum vitam eripiant; quod *Hiſpani* illi, qui inter primos Indiæ regiones peragrauere ſuo magno malo experti ſunt. Cum enim ex *Regno Peruuiano* in Prouinciam *Chilen* terreſtri itinere per edita montium & depreſſa vallium proficiſcerentur, campeſtrem regionem & ventis vndique perflatilem multorum miliarium tranſeuntes, multos è comitatu ſuo perdidere, aliis è veſtigio mortuis, aliis paralyſi correptis, aliis aliis malis ægritudinibus affectis. Cuius tam repentini exitii hæc erat cauſſa: quod ventus perexiguus miti afflatu &, vt videbatur, amico ſpiramine adeo ipſa corpora penetrabat, vt nondum plene percepta vi mali, linquente animo mortui conciderent. Atrocia narrabo, ſed veriſſima: Fuit cum iter facientibus illac digiti manuum & pedum fœda putredine capti defluerent, quæ labes *Didacum Almagrum* eiusque milites præcipue afflixit atque internecioni dedit. Peritiores exiſtimant Auram hanc aliquid exquiſiti frigoris intra ſe occulte continere, cuius non ferendo gelu radicalis & vitalis hominis calor extinguatur. *Ventorum in quibuſdam locis malignitas.*

Hic idem ventus, quia natura ſua ſupra modum ſiccus eſt, fit, vt cadauera quæ illo afflantur non computreſcant. Omnis enim putrefactio ex calore & humore coadunato oritur. Reſtat vnum ventorum genus, quorum impetum in ſubterraneis cauernis percipimus, & à quibus *terræ motus* oriuntur. Sed de hoc loco commodiore aliquid dicere iuuabit. Iam porro, ad pertexendum fili noſtri ordinem de AQVIS dicamus.

Iam primum igitur Magnum illud mare *Oceani* nomine dudum cognitum non ſolum Indiam, ſed omnes omnino terras atque regiones ambit. Quicquid enim eſt vſpiam terrarum, ſiue Inſularum nomine, ſiue continentis cenſeatur, non ab alio quam Oceano eiusq; partibus interfluentibus ab ſe inuicem diſcriminatur. Quod quidem de Nouo hoc orbe, de quo nobis vnice ſermo eſt capi debet: in quo nondum vllum *Mare Mediterraneum*, qualia in veteris Mundi partibus, *Europa, Aſia, Africa* obuia ſunt, eſt detectum, in quæ maria quidam velut magni canales aut aquæductus immittuntur, qui deinceps peculiaria maria conſtituunt, quæ & ipſa poſtmodum ab iis terræ partibus, quæ alluunt aut cingunt, nomina ſortiuntur. At omnes hi ſinus, vel maria mediterranea tandem vniuntur atque cohærent cum Magno illo *Oceano* in *Freto Gaditano*, (hodie *Gibraltar* loco nomen eſt) vbi à veteribus *Columnæ Herculis* intra *Calpen & Abilan* montes collocantur. *Erithræum* autem mare ſiue *Rubrum* ab omnib. mediterraneis ſe paratum eſt deſinitque in *Oceanum Indicum*. Mare *Hyrcanum* ſiue *Caſpium* priuati iuris velut eſt, cum nullo enim alio miſcetur. In omni autem *India Occidentali* nullum aliud inuenis mare præter *Oceanum*, qui bifariam diuiſus eſt. Alter à nautarum natione *Mar del Zur*, alter, *Mar del Nort* appellatur. Quicquid eſt regionum aut prouinciarum Indicarum, quod verſus *Europam & Africam* obuertitur, *Aquilonari Oceano* ſiue *Mari del Nort* alluitur. Per has terras tranſierunt ij quibus *Oceanus Auſtralis* (ſiue *Mare del Zur*) primo detectus eſt, qui littora regionum terrarumque oppoſitarum lambit, qui cum porro ac vlterius progrediendo Æquatorem Circulum tranſiiſſent, *Polum Arcticum* non amplius viderunt, ſed illius loco aduerſum punctum *Poli Antarctici*, ſtellasque illum ſignantes repererunt. Et hæc eſt ratio (quod hactenus multi mirati fuerunt) quod illud mare, quod partes ab Europa auerſas alluit, *Oceanus Auſtralis* vocitetur, quanquam magna illius pars verſus Aquilonem porrigatur, alluatque regiones ac prouincias longiſſimi tractus, qualis eſt *Hiſpania Noua, Nicaragua, Guatimala* atque *Parama*. Duæque illæ prægrandes abyſſi exiguo

De natura Aquarum noui Orbis.

Mar del Zur & Mar del Nort.

 iſthmo,

iſthmo, nec niſi ſex aut ſeptem milliaria in latitudine continente ab ſe inuicem ſeparantur. Nec aduerſatur huic calculo, quo ab Emporio *Panama* vſque ad vrbem *Nombre de Dios* (Nomen DEI) decem & octo miliaria numerantur: cum viarum curuitates & interiectorum montium anfractuoſi calles, multumque impedimenti viatoribus gignentes mæandri, hanc temporis moram gignant.

De perfodiendo iſthmo noui orbis.

Nonnulli auſi fuerunt conſilium audax in medium afferre, perfodiendum iſthmum illum, quem non niſi ſeptem milliaria latum ſupra diximus: quo molimine pateſieret vtrique Oceano aditus & facultas cum altero ſe coniungendi: quæ res, quod non diffitemur, multum emolumenti allatura eſſet negociantibus, aperta nauigatione in Regnum Peruanum compendioſiſſima. Certum enim eſt plus ſumtuum facere mercatores in transferendis mercimoniis ſuis per octodecim illa iſthmi milliaria, quam in mille trecenta milliaria impendunt, quæ marino itinere conficiuntur.

Sed qui rerum naturam exquiſitius ponderant, reſpondent: hac ratione terram certiſſima inundatione peſſundandam, cum oculis rem arbitrantibus planum ſit, alterum mare altero multo eſſe altius: vnde colligere pronum, quantum ex irruptione vaſtitatis illius aqueæ, ſiquidem perfoſſis repagulis & obiicibus quos natura parens interpoſuit, via patefiat furioſo illi Elemento, ſit damni pertimeſcendum. Sed largiamur ſane, nihil periculi inde imminere, longe tamen rem fore difficilimam exiſtimamus, nec hominum manibus perficiendam illam perfoſſionem: Cum montes interiecti tantæ ſint magnitudinis, frequentiæ, duritiei, vt ſubruere atque complanare eos non ſit humanarum virium, nec errauerit, qui dixerit, Conditorem Optimum Maximum certo conſilio interſtitium hoc tam grandibus ſaxoſiſque rupibus ac montium immani pondere roboraſſe, vt aſſilientis vtrimque Oceani furori ac violentiæ firmiter obſiſtere poſſit.

Dignum autem cumprimis conſideratione eſt famoſiſſimum illud totque naufragiis infame *Fretum Magellanicum*, cuius naturam iam deinceps inueſtigare ordo exigebat: Quia autem in ſuperioribus nauigationibus aliquibus, quarum hiſtoriam in hoc ſcripto perſecuti ſumus, illius ratio ſatis explicata eſt, amplioris narrationis atque diſquiſitionis compendium faciemus, paucis illud miraculum attigiſſe contenti.

Igitur Fretum hoc (ſiue ſtrictum aut ſtratam cum vulgo vocare mauis) ad quinquageſimum ſecundum gradum Eleuationis Poli Antarctici ſitum, in longitudine ſua miliaria continet nonaginta vel centum. Latitudo eius diſpar. vbi anguſtiſſimum eſt, ad vnius milliaris ſpacium coarctatur.

Deſcriptio Freti Magellanici.

Profunditas multis in locis tanta, vt omnem perueſtigantium conatum eludat. Alibi ad decimam octauam, alibi ad decimam quintam orgyiam offert ſe fundus. Centum illa milliaria, quæ in longitudinem patet hoc fretum, manifeſtum diſcrimen patiuntur. Clariſſimis enim indiciis patet triginta milliaria mare auſtrale ſibi vendicare, ſinus enim & littora ſatis aperte id demonſtrant. Quæ reſtant ſeptuaginta milliaria, Oceanus Aquilonaris ſibi adſerit, quod itidem ad oculum patet ex littore ac ſinubus. Totum illud ſpacium triginta milliarium, per quod ingreditur *Mar del Zur* ſiue Oceanus Meridionalis editiſſimæ rupes, æterna niue ac glacie in ſummitatibus coopertæ vtraque ex parte prætexunt, quarum altitudo tanta eſt, vt nullo interſtitio diſpeſci, ſed continuo quaſi pariete cohærere appareant, quæ cauſa eſt, quod Fretum hocce Magellanicum, ab nauigantibus mare Auſtrale, tam difficulter inueniatur. Mare, quod per hoc ſpacium ingreditur, immenſæ eſt profunditatis, adeo vt anchora iaci nulla poſſit pleriſq; in locis.

Quæ

Quæ incommoditas compenſatur beneficio littorum, quæ omnibus fere locis recipiunt naues, ut in ipſa terra anchora figi, rudentesque ligari queant. Septuaginta autem illa milliaria, in quibus Septentrionalis dominatur Oceanus fundo non carent. ab vtraque parte campi lâte patentes occurrunt, nec deſunt riui fluuiique diuerſæ magnitudinis, qui amæno adſpectu ab vtroque littore in hoc *Fretum* aquas ſuas præcipitant. Terra ex vtraque parte plurimis altiſſimisque arboribus, multum à noſtris differentibus præcingitur, quarum ligna miræ ſunt fragrantiæ. In medio ipſius *Freti* ſiue *Stricti* ſparguntur inſulæ complures.

Freti Magellanici accolæ quales.

Indi, qui latus Auſtrale habitant, numero ſunt pauci, ſtatura corporis humili, natura malitioſi. Cæteri autem qui latus Aquilonare obtinent, ſunt proceri & animo intrepido, compertumque eſt, illos nautas noſtrates aliquando nomine *Ieſu* ſalutaſſe. Iaculatores ſunt peritiſſimi: veſtitus eorum pelles ferarum, quarum ibi ingens copia. modus veſtiendi ſimplex, conſertum ſpinis tegmen, villis exterius verſis. Hyeme dominante nauigari fretum hoc non poteſt, quod triſti euentu docuerunt nonnullæ naues, vi tempeſtatum, & procellarum impetu colliſæ ac fractæ. A parte Meridionali vna ſolum nauis ad hanc diem tranſiſſe fretum hoc comperta eſt, aiuntque terræ illius, quæ in Auſtrum porrigitur, finem hactenus inueniri haud potuiſſe, variantque multum ſententiis, qui de hac ſermocinantur; aliis Inſulam eam affirmantibus, à cuius tergo duo illa maria, Aquilonare & Auſtrale (*del Nort & del Zur*) coeant, vnianturque: aliis neſcio quo experimento aſſerentibus, porrigi partem hancin Orientem longo tractu, vſque in illas regiones, quæ *Promontorio Bonæ Spei*, quod extremitatem Africæ obtinet ex aduerſo oppoſitæ ſint. Sed nihil certi hic ſtatui dicique poteſt, cum nulli mortalium, quod nos quidem ſciamus, littus illud omne per nauigatum ſit, aut alia ratione innotuerit. Non defuerunt, vt eſt ſciendi auidum &

Erronea opinio de freti Magellanici parte Auſtrali.

Audax Iapeti genus

qui æmulati induſtriam *Ferdinandi Magellani*, qui fretum hoc, in partibus meridionalibus primus detexit, & ipſi aliud ſtrictum verſus Aquilonem quærerent. qui vtrum inuenerint quod quæſiuere, certo non conſtat. Sane Anguſtia quædam ſiue fretum *Terræ Floridæ* tantæ perhibetur longitudinis, vt finis eius hactenus deprehendi non potuerit.

De æſtu & reciprocatione Maris.

Cæterum inter omnia miracula Naturæ, quorum ingens hic Oceanus largam ſuppeditat ſegetem, vix quidquam plus admirationis habet *Incremento & decremento* Maris, non ſolum eo nomine, quia res peregrina atque ignota eſt, ſed multo magis qui diuerſa maria in diuerſiſſimis littoribus hunc patiuntur affectum. Ipſa quidem maria mediterranea multum in hoc genere variant. quorundam *Fluxus ac Refluxus* admodum eſt notabilis, quandoque poſt menſtruum ſpacium, aliquando citius, aliquando tardius. Mare quod Hiſpaniæ immugit, ſingulis diebus affluit ac refluit: præter quam quotidianam *reciprocationem* binos æſtus menſtruos percipiunt: Silente nempe, ac Orbem ſuum implente Luna, qui præcipue *æſtus* appellantur.

Refluxus maris prope Panamam.

Quæ maria quotidianas reciprocationes ſentiunt, non item menſtruas, de his nihil dicere habent. Quæ quidem iam notabilis differentia in diuerſis Occidentalis Indiæ partibus non ſine admiratione animaduertitur. Inuenias littora à quibus vndæ ſingulis diebus bis ad duo milliaria refluunt, æſtu vero accedente, longius etiam inde recedunt, quod nos ad Oppidum Panama obſeruauimus. Contra videbis terras, quæ & ipſæ quidem fluxum & refluxum maris ſentiunt, qui tamen adeo eſt exiguus, vt deprehendi illa reciprocatio vix poſſit. Peruulgatiſſimum eſt, Oceanum quotidianum

& menſtruum ſuum habere Fluxum & refluxum: vt ſingulis diebus bis accedat, & recedat mare, detritis tamen ab vnoquoque die naturali, (qui horis viginti quatuor conſtat) tribus vnius horæ quadrantibus, ſecundum motum Lunæ naturalem. Hinc fit, vt reciprocatio hæc nunquam eamdem ſeruet acceſſus, aut receſſus ſui horam poſtero die, quam obſeruauerat antecedente.

Cauſæ reciprocationis maris.

De cauſis huius Fluxus & Refluxus diuerſimode ſentiunt rerum Phyſicarum indagatores. Quidam exiſtimant hanc reciprocationem eſſe talem commotionem, qua marinæ aquæ de loco ſuo moueantur, qua fiat, vt in vna parte aquæ velut confluant & exundent, in altera deficiant ac ſubſidant. Alii contra ſentiunt, vniuerſum mare ſimul ac ſemel moueri, ſiue incrementa ſua capiat ſiue decrementa, vtentes ſimili ab olla vel lebete, in quo feruens aqua bulliendo ſimul attollitur ac ſuperfluit, omnem lebetis capacitatem vndique tranſgreſſa, viciſſimque remittente feruore ſimul deſcendit. Et hæc poſterior ſententia plus fidei mereri videtur quam prior; cum experientia magiſtra animaduerſum ſit, huius rei documenta capi poſſe in Freti Magellanici anguſtiis, vbi clariſſime videre eſt vtriusq; Oceani, Auſtralis & Septentrionalis vndas ſimul creſcere & affluere, & illo ſuo incremento ſibi inuicem obuiare, ſtatoque ſuo tempore ſimul vtraſque minui ac refluere, in ſuum vnamquamque mare. Nec hoc obſcurum eſſe poteſt; cum hic fluxus & refluxus aquarum non inter raro contingentia referri poſſit; quippe qui ſingulis diebus accidat ac oculis vſurpari poſſit. Quo etiam referendum eſt, quod obuiatio, & velut (ſit venia verbo,) arietatio fluctuum deprehendatur ſeptuaginta milliaribus à Mari *del Nort* ſiue Aquilonari, & triginta à mari *del Zur* ſiue meridionali. Ex quibus omnibus facile colligitur Æſtum hunc ſiue reciprocationem maris aut (ſi mauis) Oceani, non eſſe Motum localem, ſed alterationem atque ebullitionem, qua fiat, vt certiſſimo omnes aquæ marinæ eodem tempore creſcant atque exundent eodemque ſubſidant, velut aqua in tripode aut lebete feruore bulliens.

Non eſſet vllius mortalis ingenii tantum acumen, aut vllius experientiæ vis tanta, quæ hanc rem comprehendere aut aſſequi poſſit, niſi in ſæpius nominato freto id deprehenſum foret, vbi vtriusque Oceani aquæ intra anguſtias illas motu contrario in ſeſe inuicem feruntur. Neque enim de littore hoc in illud ſiue aduerſum proſpiciendo animaduerti hæc res poteſt, cum humani oculi acies vel obtutus tam late penetrare non queat: neque quisquam tam celeri curſu quicquid ſpacii interiacet emetiri valeat, antequam vſitatum tempus expiret, quod quidem per breue eſt: neque enim vltra ſex ſtatas horas durare ſolet hæc reciprocatio.

Satis ſuperque, puto, diſputatum nobis eſt de ratione ac viribus ventorum, deque natura Oceani, vt & eius fluxu ac refluxu, quæque ſit cauſa illius reciprocationis: iam porro ad Halieutica nobis deueniendum eſt, piſciumque natura, qui numeroſi magnæ illius abyſſi coloni ſunt, quantum vſus exigit, conſideranda.

De piſcibus Oceani Indici vel Americani.

Continet igitur alitque Oceanus Pater piſcium innumeras nationes, quorum formas, naturas, proprietates nemo ſatis explicauerit præter eum, qui illos cõdidit, DEVM. Multi parum differunt ab iis qui Maria *Europæ* incolunt in quorum genere facile principes ſunt *Eſox* atque *Sturio*, qui deſertis vndis marinis fluuiales aſcendendo quærunt: nec non *Los Dorados* (deauratos tu Latine dixeris) *Sardinæ*, aliique plures. Maior tamen eſt eorum copia qui Europæis populis ignoti plane ſunt, interque eos *Cabrillæ*, Truttis non multum abſimiles, vt & illis piſcibus, quibus *Bobis* in Hiſpania nomen eſt, qui & ipſi

è mari

è mari in fluuios peregrinantur. Præter hos & *Beſuges* Percarum genus in *Chile*, notabili latitudine. Inuenias & *Attunas* in Littoribus Regni Peruani, ſed exiguo numero, de quibus aiunt, illos ſolere quandoque ad fretum vſque Magellanicum excurrere, coeundi cum comparibus deſiderio. Sed & hic larga differentia ab illis quos *Hiſpania* nouit. Inſulæ quædam Magni Oceani, inter quas *Cuba, Hiſpaniola, Pureta, Ricca, Iamaica* peculiare nec parum admirationis habens Piſcium genus oſtendunt. Incolæ *Manatos* vel *Manattos* indigitant. Eſtque hæc adeo peregrini generis ac inuſitatæ ſpeciei bellua, vt dubitare iure poſſis, vtrum ſine errore piſcem appellare poſſis. Eſt enim animal, quod viuiparis accenſetur, catulos viuos ac perfectos procreans, quos & pabulo ac lacte nutrit, paſciturque ipſa *Manata* gramine ac herbis, quibus carpendis mare egreditur, cum cæteroquin ſub aquis viuat. quæ res facit vt à culinariæ rei præfectis in piſcium cenſum referatur. Color ac ſapor carnis illius eſt qualis vitulinæ. Huius Piſcis (liceat enim & nobis ita vocare) in partes diſſecti oſſa prima facie nihil differre dicas ab oſſibus bouinis. *Manatus piſcis miræ naturæ.*

Mira hæc bellua, fateor: ſed nec minus ſtuporis gignit *Tiburonum* ſiue *Haiarum* genus. Eſtque in recenti memoria, captum quemdam prægrandem; qui intra ſuum caput Lanii cultrum non exiguum, cum vnco ferreo mediocris magnitudinis, necnon partem cranii taurini, adhærente adhuc firmiter illius lateris cornu habuerit. *Tiburones ſiue Haiæ.*

Hos *Tiburones* ſiue *Haias* continuo aſſectantur, velut magnates Paraſiti, minutum genus, quos *Romeros* vocitant: quos grandiores illi abigere ab ſe nullo pacto queunt. Solent enim minores hi ſtudioſe ſublegere fragmenta ac micas, quas *Haiæ*, ingluuiei deditum genus, vel negligunt vel abiiciunt, vnde aſſeclæ illi ſe paſcunt.

Iam *Volaticos* tibi narrabo piſces, poſtquam ſuperius in *Manatis* terreſtres expoſui. *Baladores* communi nomine dicuntur, noruntque volare aliquantum, verſanturque vt plurimum in ea parte Oceani, quæ intra duos Tropicos continetur. Hos inimico odio perſequuntur *Dorados* (Auratæ) quæ illos, poſtquam natando hoſtem effugere non valent, ad volatum confugere cogunt. De *Lagartis* & *Caymanis* multa habentur apud ſcriptores Hiſtoriæ Occidentalis Indiæ: ſuntque ipſiſſimi *Crocodili*, de quibus apud Plinium aliosque frequens mentio. Hos tantum in locis torridis ac perpetuo ſoli ſubiectis cernere eſt. *Caymaini* illi de quibus ſupra, ſunt audaces & proterui, inuaduntque non ſolum homines, ſed & feras, easque in eſcam petunt. Sed nec à Tygribus abſtinent, quos magno ſuo malo venantur. fere enim ab iis vincuntur. *Piſces volatiles.*

Sed & Indi, qui *Terram Floridam* incolunt prægrandia Cete bello aggrediuntur, funibus ac laqueis ea capientes, quæ res eo plus admirationis habet, quod vel vnum aliquem nudum ac imbellem Indum inſidentem huiusmodi portento videre eſt, quod vel mediocri monti vaſtitate vix ceſſerit, aut quod non minus iucunditatis habet vnum aliquem humuncionem tam immanis magnitudinis Cetos fune velut remulco poſt ſe trahere captiuum.

Huius autem venationis hæc fere ratio eſt. Scalmum aut lembum piſcatorium remis agunt vſque ad ipſam belluam. inde celeri ſaltu ſe coniicit piſcator audax in ceruicem eius, inequitans velut illi, & temporis opportunitatem captans. qua animaduerſa, palum ligneum ſiue ſtipitem acuminatum in alterutrum è foraminibus capitis (quæ nos nares appellamus, quia per illa velut reſpirationis organa aerem attrahit, aquamq; preſterum modo eiaculatur) immittit, eumque ſtipitem malleo ligneo fortiter ferit, inque ipſum caput tranſadigit. Inde portentum doloris vi quaſi inſania percitum miros *Memorabilis ratio apud Indos capiendi grandia cete.*

edit

edit geſtus, corpusque inter fluctus hinc inde iactat, aquas ad inſtar montium ſurſum impellens: quandoque ingenti ſtrepitu ad ima ſe demittit, mox ſaltu ſumma petit, ignarum conſilii, deſtitutum ope. Indus interea velut ſeſſor equi ſui tergum pertinaciter premit, certus victoriæ, donec captata occaſione parem perticam acuminatam etiam alteri foramini ingerat, qua valide percuſſa & transacta, geminato dolore omnis reſpirandi facultas ingenti belluæ adimitur. Quo facto lembum ſuum repetit piſcator ſtrenuus, quem hactenus tergo Ceti cohærentem aſſidue poſt ſe traxit. quo conſcenſo remo ſuo illum aliorſum impellit, fune quo Cetus alligatum eſt, quantum fieri poteſt laxato. Bellua, donec ſatis aquæ ſupereſt, furit & tumultuatur, intereaque ſenſim ad littus attrahitur; Sed vbi ad breuia peruenit, ob magnitudinem ponderis & vaſtitatem



corporis immobilis hæret, nec horſum nec vorſum ſe promouere potis. Capta præda è veſtigio Indorum multitudo ingens confluit, ſuamque ſibi quisque partem depoſcit. Inde vnanimi conſenſu fuſtim interimunt hoſtem, Carnesque eius in partes diſſectas amice inter ſe diuidunt, quas exſiccatas in puluerem terunt, farinam non contemnendam inde conficientes. Hinc panis coquitur, qui longo tempore ob ſiccitatem à putredine aliisque corruptionibus immunis conſeruatur.

Nouum

Nouum hunc Orbem mediterranea maria non habere, ſuperius nos dicere meminimus, quibus etſi careant incolæ, non tamen habent, cur Naturam incuſent. Creator enim horum defectum & abſentiam largiter compenſauit multis ſtagnantib. aquis, quarum locuples copia in mediterraneis Indiæ huius, quarum ſtagnantium aquarum quædam tantæ ſunt magnitudinis, vt non iniuria Lacus aut maria appellare poſſis. Huius rei fidem faciet omnium Lacuum Regni *Peruani* ampliſſimus, cui nomen *Titicaca*: Cuius & in ſuperioribus, vbi de primis harum terrarum incolis eorumque Aboriginibus ſermo nobis fuit, eſt facta mentio. Huius Lacus aquæ minus habent ſalſuginis aut amaritiei, quam marinæ, nec tamen potui aptæ ſunt, cum nimium ſint turbidæ, craſſique limi multum vehant. Suppeditat hic Lacus præter cætera cum primis duo piſcium genera, quorum ibi prouentus longe vberrimus. Vnum eſt eorum, quos *Suches* Barbari vocitant, corpore non admodum lato, carne haud ſalubri, ſaporis tamen non abiiciendi, quæ ſola res facit, vt à piſcatoribus appetantur. *De ſtagnis & lacubus America.* *Piſces in Lacu Titicaca.*

Alteri generi nomen *Bogas* indidere, qui & minores & ſpinoſiores, obque id tædioſi: Cæterum ſalubritate commendabiles. Auium quæ in aquis potiſſimum viuunt, maior copia in hoc lacu, quam quæ aut credi aut enumerari poſſit, cuius generis ſunt anates, mergi, & fulicæ. Procreat hic Lacus *Titicaca* ex ſeſe alium minorem nomine *Parias*, (minorem dico, magnitudinis tamen & ipſum admirandæ:) in cuius littoribus ſiue ripis paſcuntur numeroſi greges qui è porcorum genere ſunt, etſi in nonnullis à vulgaribus diſcrepantes, noſtri Hiſpano-Indi *Procunnos* vocant. Exreſcunt hi atque ſaginantur eſu herbæ *Totoræ*, cuius vber prouentus in crepidinibus illius lacus, ſaginationi pecudum mire conueniens. Sunt in eodem Regno montes, quibus *Arequipa* nomen eſt; intra hos montes plurimi lacus aquæque ſtagnantes inueniuntur, qui eo plus admirationis habent, quod lacus illi nullos intra ſeſe recipiant fluuios, multos vero ex ſuis quaſi viſceribus emittant: quibus ita habentibus nunquam tamen animaduerſum eſt, eorum aquas vel tantillum imminutas fuiſſe, cum omni totius anni tempeſtate ſibi ſemper ſint ſimiles, nec vlla patiantur incrementa aut decrementa. Facit hæc res, vt exiſtimemus, aquas eorum è latentibus in fundo ſcaturiginibus proſilire, quanquam & pluuiæ in montanis illis frequentes, & liqueſcentis niuis alluuies multum ad rem facere videri poſſint. Horum lacuum in editiſſimis quoque montium tantus eſt numerus, vt in tota montana illa ac alpibus Peruanis ſubiecta regione vix ullum inuenias maiorum gentium flumen, quod hiſce lacubus originem ſuam non acceptam ferat. Ipſæ aquæ ſtagnantes ſunt pellucidæ ac illimes, piſcium paucorum nutrices, qui tamen & ipſi, præterquam quod rari, parui admodum ſunt propter gelu, quod perpetim in illis montibus dominatur. *Parias Lacus.* *Arequipa Mons.* *Lacus Peruani Regni.*

Inter Naturæ admiranda computare poſſis, quod lacus in his partibus inueniuntur, quorum aquæ notabiliter ſunt calidæ. Vallis eſt ſatis nota, cui *Tarapay* nomen eſt. in cuius extremitate, haut procul à *Potoſi*, loco argēti fodinis iā olim mire celebri Lacus eſt, cuius ripa exactiſſimæ rotunditatis non aliter in orbē coit, quam ſi circino dimenſa foret eius conuexitas. Quanquam autem ipſum terræ ingenium, vnde hæc aqua proſilit ad frigiditatem potiſſimum inclinet, ipſæ aquæ tamen non ſolum calidæ, ſed & vltra patientiam humanorum corporum feruentes ſunt.

Si à crepidine ac littoribus non longius diſcedas, balneo aptos ac mediocriter calentes deprehendes hos latices. Ingreſſum profundiuſcule feruor iam non tolerabilis conti-

continuo pedem referre coget. In interioribus ac ipſo Lacus vmbilico aqua ad viginti pedum latitudinem haut aliter bullit, quam humor quivis in lebete aheneo feruere ad ignem ac bullire ſolet. Et hic eſt ſcaturigo lacus.

Lacus aquarũ calidarum admirabilis

Quamquam autem huius fontis atque ſcaturiginis venæ multum aquæ euomant, nemo tamen vnquam vidit, eum hoc nomine creſcere aut pleniorem fieri eius ambitum, vt non errare videatur qui dicat, habere eum ſubterraneos cæcosque meatus, per quos tantum aquarum deponat, quantum ebullitione illa accedat. Sed nec animaduerſum vnquam eſt illum decreſcere aut imminui.

In *Hiſpania Noua* (quæ olim fuit Regnum Mexicanum) iuxta vrbem *Mexicum* Lacus eſt omnium ſcriptorum præconio decantatiſſimus, qui duplicium aquarum prouentu gloriatur (cuius ingenii etiam in *Germania* iuxta *Seburgum* in *Comitatu Mansfeldico* nouimus) quarum illæ quidem ſalſum ſaporem præferunt: hæ vero dulces ſunt, ac potabiles, propter fluuios, qui lacum ingredientes aquas ſuas ibi deponunt. Vbi aquam ingreſſus fueris penitius, in inſula quadam rupes ſic ſatis lata ſeſe offeret, in qua ſunt Thermæ cum extructis domiciliis, aquarum calidarum fontibus abundantes, quæ non tantum in vſum balneantium illic ſaliunt, verum etiam potui exhibitæ ſanitati mire conducunt. Porro in ipſa lacus medietate occurrunt arua humana cultura ſubacta, recipiendis ac proferendis omne genus ſeminibus. Huic Lacui incumbit magnifica ac glorioſa vrbs *Mexicum* multum tamen diuerſitatis habens à priſca vrbis facie, cum adhuc Indorum eſſet dominii. Nam Hiſpani poſtliminio ingreſſi vdum & vliginoſum oppidi ſolum ingeſtâ vndique humo ac ſabulo deterſerunt, firmiusque reddiderunt; excluſa aquarum mole præter canales ac fluuiolos quoſdam, quos in hunc ſeruauerunt vſum, vt per horum ductum lintribus ac ſcalmis in vrbem comportari poſſint frumenta, ligna, olera, omne genus frugum, materies ædificiis excitandis, & quicquid eſt huiuſmodi, quorum frequens eſt in oppidis vſus. Piſcium prouentus in his lacubus per eſt exiguus, qui fere ex aliis locis venales eo comportantur. In Regione *Mechoacan* copioſa cum primis eſt piſcatio, vnde & ipſa prouincia Indorum idiomate nomen inuenit. De reliquis lacubus ac ſtagnis huius noſtri noui Orbis rectius ſuperſedebit narratio noſtra dicere, cum & eorum innumera multitudo, & varietas, & admiranda conſtitutio captum calami noſtri ſuperet. Plurimi autem reperiuntur inter vtrumque *Tropicum* ſub *Zona Torrida*, pluresque longe, quam in vlla totius huius vniuerſi parte. Et hactenus quidem lacubus aquisque ſtagnantibus inhæſimus: tempus eſt, vt his velut ignauis deſertis ad perennitates fontium, & æternitates fluminum, & amœnitates riuulorum, velut ad viuaciorem materiam nos conferamus.

Mexicum vrbs præcipua & eius facies.

Mechoacan piſcibus abundans.

De fontium & riuorum quorundam natura.

IGITVR quod veteres de antiquo orbe, noſtroque huic oppoſito prodiderunt, abundare illum fontibus, riuis, fluuiolis terra ſcaturientibus, inter quos eſſent nonnulli miræ naturæ, efficaciæ ac proprietatis: idipſum & nos de Occidentali hac India vere affirmare poſſumus. In regno *Peruano Guanaca-velica* pagus eſt ſatis frequens habitatoribus, ob viciniam fodinarum, è quibus argenti viui magna vis eruitur. Fons ibi quidam ſcaturit aquis calidis: quæ poſtquam longius ab origine ſua progrediuntur è veſtigio lapideſcunt. Et ex hoc non alio lapidum genere extructas videas pleraſque illius pagi domos. Cedit hic lapis omni ferramento, paruoque labore ad fabricas aptatur, velut materies lignea, nec tamen eo minus iſt durabilis. Sed nec ponderoſus admodum eſt.

Aqua lapideſcens in Peruuia.

Non effugiet mortem, quicquid ex hoc fonte calidas aquas biberit, cum ſtatim hauſta vnda in ipſo ventriculo in lapidem concreſcat, certæque neci deſtinabitur, ſiue

ſiue ſit homo ſiue ſequius animal : quod in equis quibuſdam ita ſe habere compertum eſt.

In angulo quodam Inſulæ, quæ *D. Helenæ* conſecrata eſt, ſalit fons quidam Alphalto ſeu bitumine fœcundus, (cuius & in ſacris literis mentio) qui magno nauigantium bono ibi ſcaturit.

In Thermis Peruanis, quæ ab *Inga*, id eſt rege eorum nomen inuenerunt, Canalem deprehendes ſiue venam, vnde aquæ calidiſſimo feruore bullientes proſiliunt. haud procul inde aliæ erumpunt niuatam frigiditate ſuperantes. Miſcentur hæ pro arbitrio lauantium ad habile balneantibus temperamentum: eſtque cumprimis memorabile videre in tam arcta vicinia adeo diuerſarum qualitatum fontes emergere: quanquam huius generis innumeros etiam alibi ſit inuenire. In Prouincia *Las Charcas* dicta inuenies aquas calentes, quibus immittere manus quidem poſſis, non tamen diutius immerſas tenere, quam vt litteras Alphabeti ex ordine bis recites. Haut procul vrbe *Cuſco*, quæ caput Regni Peruani cluent, ſalitæ aquæ ſcaturiunt, quæ dum promanant à fonte ſuo in ſalem ſciti ſaporis ac candoris conuertuntur. *Aquæ in ſalem conuerſæ.* Regni *Peruani* non ignobilis quædam eſt Prouincia, *Guaiaquil* dicta, quæ parum abeſt, quin ſub ipſa Linea æquinoctiali ſita ſit. Huius inquam Prouinciæ fluuii aquam ſalubrem vehere creduntur, curandæ cumprimis lui venereæ (ſiue tu morbum Gallicum dicere mauis) eiusque generis impetiginibus. Nec latet hoc vicinos, qui longinquis ex oris eo proficiſcuntur recuperandæ valetudinis ergo. Cauſam huius tam ſalutaris effectus adſcribunt peritiores radici Indicæ *Sarſaparillæ*, cuius vberrimus eſt prouentus in tota illa Prouincia, nouimus autem & nos naturam illius radicis, & quantum ad fædam illam ſcabiem tollendam poſſit polleatue.

Sunt in his oris præalti montes, *Bilcanotas* vocant Barbari, perpetua niue ſummitates cooperti, quorum alicubi facies eſt tam atra, vt carbonibus procul viſis nil cedat. *Bilcanotæ Montes niuoſi.* Ex his montibus prodeunt duo riuuli, è diuerſis originibus progreſſi: qui vbi aliquantum viæ emenſi ſunt, iam validiores facti fluuiolos profitentur. Confecto poſt hæc pluſculo itinere duo flumina iuſtæ magnitudinis euadunt, quorum alterum per prouinciam locupletem *Collao* labitur in lacum *Titicacani* (de quo ſupra) à quo abſorbetur. Alterum illud, poſtquam per montes *D'Andes* dictos perrupit, quos & *Tucay* vocant, aliis ſe coniungit Fluminibus, quæ omnia communi conſilio Oceanum aquilonarem petunt à quo exhauriuntur.

In *Hiſpania Noua* atramenti ſcriptorii compendium facere poſſis. nam ibi offendes aquas atramentum plane referentes, præterquam quod pluſculum in Ceruleum colorem vergunt. *Aqua atrata.* Cui nihil cedit alia aqua in Regno Peruano, ſanguineo colore ipſum cruorem mentiens, impoſito ab hoc euentu nomine ipſi fluuio, vt *Rubrum flumen* appelletur.

Cæterum haud ſcio, an in tota hac occidentali India, ne dicam in vniuerſo hoc mundo vllus fluuius comparari poſſit, cum *Rio Maragnone* ſiue *Amazonum*, quo de ſupra quoque mentio facta. *De fluuio Amazonum.* Hiſpani aliique populi in hunc orbem delati nauigiis flumen illud vſurpauerunt, intenti perveſtigandis nouis ac incognitis regionibus, quarum & nonnullas huius fluenti ductu atque beneficio detexerunt, inter quas primum locum obtinet *El Dorado* (ſiue Decaurata) quæ & alio nomine *Payititi* nuncupatur. *Regio deaurata.* Habet ingens hic fluuius Cataractas ſuas, ab accolis *Pongo* dictas, vbi coarctatus inter duas rupes immani præcipitio delabitur in

ſubiectam altæ profunditatis vallem, quæ tam præceps ruina metuendos gyros ac vortices excitat, nauigantibus plane exitio futuros, ni ſedulo caueant. fuere tamen nonnulli vitæ ac periculorum contemptores,

Quibus robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſere ſuam præcipiti ratem.

qui inquam omnia hæc pericula ſuperauerunt, excæcati deſiderio cognoſcendi, tot præconiis celebrem terram DEAVRATAM. Huius tam celebris fluuij oſtium ad centum fere milliaria in longitudinem porrigitur, vbi aquas ſuas in Oceanum præcipitat, quod prope ſub ipſo Æquatore fit, aut certe non procul ab illo circulo. de latitudine oſtii illius fluuii diuerſimode referunt, quibusdam in ſeptuaginta milliaria extendentibus, quę quidem narratio fidem ſuperare videtur. hac quippe ratione Mediterranei maris latitudinem excederet, quod nemo facile crediderit. alii igitur multum numero huic detrahunt, ad viginti quinque aut triginta plurimum milliaria contrahentes,



Rio de la plata ſiue fluuius argenteus.

Amazonum huic fluuio, ſiue *Rio Maragnone* proximus eſt celebritate nominis & magnitudine, qui Hiſpanis *Rio de la Plata* Latinis Argenteus fluuius dictus. Indi *Paraguat* nominant. Deſcendit hic ex Montanis Regni Peruuiani, labiturque in Mare *del Nort* ſiue Aquilonare circiter trigeſimum ſeptimum Gradum Eleuationis Poli Antarctici. Incrementum ſuis menſibus maius capit ipſo Nilo, cum illarum regionum campos per tres integros

integros menſes inundet, faciem terræ inſtagnantis aquæ aut maris ſimilitudinem complanans, decurſoque trimeſtri ſpacio in priſtinum ſuum alueum rediens.

Præter hos maiorum gentium illuſtriora flumina, etiam minores fluuii hinc inde occurrunt, ab Europæis non multum differentes, inter quos primo loco commemorandi veniunt Fluuius *S. Magdalenæ, S. Marthæ, Rio grande* (fluuius magnus Latinis) *Aluaradi* fluuius in Hiſpania Noua, aliique complures. Quos omnes, (de minoribus ſermo eſt) Barbarorum ingenioſitas admodum commode traiicere nouit. Alicubi duabus arborum truncis in terram altum depactis, & ex vtraque ripa ſibi oppoſitis funes valide alligant, de quibus Corbis ſufficientis capacitatis dependet, quem ingreditur traiecturus fluuium, ſua ſe ope in aduerſam ripam deportans. Nonnullis in locis è iuncis aut arundinibus faſces ligant, quibus leuitate ſua innatantibus inſidens Barbarus, receptoq; pone ſe eo quem transportaturus eſt, ligno latiuſculo aut aſſeris fragmine pro remo vtens, fluuium traiicit, quod hic Charon portitor toties repetit, quoties vſus eſt. *Indorum traiiciendi fluuios modus.*

Alibi Pontones fabricant è cucurbitarum, quas tractus ille Indiæ Occidentalis cum primis magnas ac ventricoſas gignit, tunicis aut corticibus, quibus ſolerter admodum compactis non ſolum homines traiiciendi cupidos, ſed etiam mercimonia ac onera omnis generis imponunt, inque aduerſam ripam transportant. Aliis in locis nudis aſſeribus ad hoc officium vtuntur. Eſt & aliud mirum genus transferendi viatores de ripa in ripam. Barbarus aliquis peregrinum humeris attollit, ſublatum in fluuium defert, erectus, donec vadoſus eſt. Occurrente gurgite aliquo nando peruadit, inde rurſus ambulat, donec ſarcinam in ſicco deponat.

Nec eſt, quod inſeſſor huic ſuo veredario diffidat: nec enim vnquam fallit ars ſua eum, à teneris huic negociationi adſuetum. Quanquam horum traiiciendi modorum vſus in præſens parcior, multis hinc inde extructis pontibus à Gubernatoribus prouinciarum, quibus ripæ fluuiorum coniunguntur.

Poſtquam Oceani eiusque Fluxus & Refluxus, vt & marium ſingularium, ſinuum, lacuum, aquarum ſtagnantium, ſalientium, Thermarum, fluuiorum, fontium, naturas atque ingenia luſtrantes, ſatis diu in Neptuni regno immorati fuimus, iuuat aliquando velut feſſos nando ac nauigando, in terram eſcendere, illiusque Elementi, quantum licet, ſecreta rimari, certiori ac minus lubrico veſtigio incedentes.

IGITVR TERRÆ nouæ, quam Indiam Occidentalem cum vulgo appellamus, naturam ac proprietates cogniturí, in tria genera plenioris intellectus ergo partiemur. In humum planam ac depreſſam: altam editamque: & quæ inter vtramque medium obtinet, optima haud dubie præ reliquis. Terram igitur humilem ac depreſſam eam vocamus, quæ longiſſimo tractu littoribus prætexitur per vniuerſam hanc Indiam. Aer ibi fere humidus, nec minus impenſe calens, ac ſole aſſo torridus, eaque de cauſa inſalubris, nec tam frequentes ibi coloni noſtro æuo, etſi non eſt diſſimulandū, ſuperioribus temporibus per multis ac magnis pagis villisque cultas fuiſſe oras illas. Qui enim in littorali illo tractu nati eductique illam auram cum lacte materno hauſerant, ſatis commode ibi habitabant, aſſuefacti illi intemperiei. Victus illis atque alimonia ex piſcatione & agricultura. Cæterum deſtituti pluuiis, damnoſam ariditatem ſoli, deductis ex fluuiis foſſis, ac deriuatis aquis ſolabantur. In hac plana, humili ac littorali parte terræ, multæ ſunt ſolitudines æterna arena ſepultæ, nec patientes culturæ, excludente humanas habitationes ſabulo. Sed & paludibus alicubi fœda ac vligine perpetua damnata, ſtagnanti- *Diuiſio Terræ Americanæ.* *1. Humilis ac depreſſa in littore.*

bus illic deriuatis aquis, nec viam in mare emergendi inuenientibus, occluſo arenarum male exitu, quod & aliis in regionibus non eſt infrequens. Colonorum numerus ex cauſis diuerſis adeo in his littoralibus tractibus eſt imminutus, vt ne trigeſimam quidem horum partem ſupereſſe credant, quibus frequentia priſtina nota eſt. Maxima pars hominum, qui maritimas haſce oras accolunt, ex nauigationibus in Hiſpaniam veterem, quæſtum faciunt, cui rei omnis eorum felicitas innititur, aliis parandæ alimoniæ mediis nullis ibi apparentibus.

Alterum Terræ genus in alto atque edito collocauimus. Sicca hæc pars eſt vt plurimum ac frigida, quale fere montium ſolet eſſe ingenium. Eſtque hæc non tam amænitate aut fertilitate commendabilis, quam ſalubritate aeris: quæ res magnam incolorum multitudinem huic parti conciliauit.

Abundat inſuper pratis irriguis, vnde magna vis pecoris ibi in paſcuis cernitur, & populo præcipuus victus ſuppetit è re pecuaria: cum magna pecoris copia mare verſus agatur, ibique diuendatur, in vſum nauigantium. Nec minus cauſantur hanc colonorum frequentiam fructuoſiſſimæ auri & argenti fodinæ, cum hæc duo, aurum & argentum dico, omnibus rebus aliis longe lateque dominentur, quæ metalli fames quotannis magnum hominum numerum, in ſubterraneis cryptis pereuntium, aut aſſiduo labore attritorum è medio tollit.

Tertium genus medium.

Medium inter duo hæc terræ genera ſublime ſcilicet ad depreſſum obtinet pars ſoli præ cæteris duabus habitationi commoda & valetudini: quæ licet aliquo modo edita ſit, humilior tamen eſt montoſa, editiorque humili illa ac littorali. Hinc fit, vt nec tam humida ac feruida intemperie, qua maritimæ regiones infeſtetur: nec rurſum montanis frigoribus ac ſiccitati perinde ſit obnoxia.

Ferax eſt hoc ſoli genus tritici, hordei, & frumenti Indici, (ipſi *Mayz* vocant) quæ in editioribus locis ægre proueniunt: Producitque multas diuerſiſſimi generis fruges vbertim, arbores varias, pabulum, animalia, volucres: eſtque aër harum regionum ſalubritate & amænitate expetenda. Breuiter vt hæc contrahamus: Potiſſima pars vniuerſæ huius Indiæ Occidentalis, quæ quidem incolitur, gratiſſimo ac perpetuo prope virore vbique ridet, abundat paſcuis, riuis ac arboribus, quæ res quantum Ariſtotelis omniumque cum eo ſentientium opinionibus aduerſetur, clarius eſt, quam vt vlla explicatione egeat.

Patitur tamen hæc regula quaſdam exceptiones. *Peruanum* enim regnum longe aliter comparatum eſt quam ſupradictæ prouinciæ. Cæterum hic monendus eſt Lector, vt errori caueat. quoties enim *Peruuiam* dicimus, non totam illam Americæ ſiue Noui Orbis partem intelligimus, quæ ab iſthmo inter *Panamam* & *Nomen DEI* emporia in Auſtrum vſque ad fretum Magellanicum vaſtiſſimis terrarum ſpaciis protenditur, (quo pacto ab nonnullis Geographis capi hoc nomen *Peru* non ignoramus) continetque intra ſeſe vtramque *Braſiliam*, prouinciam *Chilen* & regnum *Granatenſe*: quorum nullum in noſtra *Peruuia* proprie dicta comprehenditur: Sed nos hoc nomine capimus ſolam illam regionem, quæ in mare Auſtrale obuertitur, capto initio à Regno *Quitenſi*: quæ pars directe lineæ æquinoctiali ſubiacet, porrigiturque in longitudinem vſque ad alterutrum Tropicorum: quod quidem ſpacium circiter ſexcenta milliaria complectitur, ſi in longum metiaris, in latitudine vero quidquid ſoli inter littus & Montes, *D'Andes* dictos interiacet, ſui iuris facit, quod quidem breuius quinquaginta milliaribus

Limites & magnitudo Regni Peruani.

non

non eſſe creditur. Hoc igitur Regnum, quod iam ſuis limitibus circumſcriptum, ſuisque ſpaciis definitum, nos proprie *Peruuiam* dicimus, certis quibuſdam naturæ ſuæ proprietatibus ab omnibus cæteris Indicarum prouinciarum regnis differre animaduertitur. Nos primam differentiam in eo ſtatuimus, quod omnia littora in mare auſtrale proiecta vno eodemque vento perpetim gaudeant, qui cæteroquin ſub *Zona Torrida* flare non ſolet, (quæ contrarios potius ventos experitur) eſtque is Auſter vel Euro-auſter. qui etſi vbique fere infamis eſt eo nomine, quod dolores capitis, grauedinem membrorum, tædiumque inuehat, ac bonæ valetudini contrarietur; vt & præter hæc violentia ac impetu noxius eſt: nihil tamen horum gignit ille in noſtro hoc regno Peruano, ſed contrariis plane qualitatibus imbutus, amico ac leni ſpiramine mortalibus iucundus, hominumque ſanitati conducibilis ab omnibus expetitur. Et vt verbo rem dicamus, vni huic acceptum ferendum eſt, quod littoralis tractus huius Regni tam frequenter ac populoſe habitatur.

Alterum memoria dignum eſt, quod in hoc littorali tractu nunquam pluit, ningit, grandinat aut tonat cœlum, quod eo plus admirationis habet quo viciniora littori ſunt loca, in quibus imbres frequentiſſimi ac denſæ niues ſolum cooperiunt.

Tertium quod iure mireris, eſt, quamuis vtraque montium iuxta ſe ordine collocatorum ſeries ſub eodem ſint gradu altitudinis Poli, multumque inter ſe ſint ſimiles: altera tamen ſit arboribus ſpiſſe conſita, gaudeat tempeſtiuis pluuiis, & æſtu perpetuo ferueat: altera contrario plane modo ſe habente, quippe quæ arboribus deſtituta, damnata frigore, inculta maneat. Quod vt melius intelligas, ita habeto lector.

Omne regnum Peruanum in tres partes ſecundum longitudinem diuidatur: quæ partes anguſtiores inſtar corrigiarum longarum habeant: nempe in terram humilem ac planam, in editam ac cliuoſam, ac in *D'Andes*. Terra humilis ac plana eſt iuxta littus maris. Cliuoſa ac aſpera, eſt vndique monticulis ac vallibus inter colles protenſis inæqualis & tuberoſa. *D'Andes* ſunt vaſtiſſimi montes inſtar Alpium cœlo capita alta ferentes. *Diuiſio regni Peruani.*

Montoſa & alpeſtris hæc pars continet in latitudine ſua milliaria circiter decem, non plura. Reliquæ duæ latiores ſunt, ad milliaria viginti conficientes. Longitudo harum quaſi ſectionum excurrit ab Aquilone in Auſtrum. Latitudo ab Euro in Fauonium. In terra plana atque humili nunquam pluit, quia ex illa littorali humo nulli vapores craſſi adſcendunt, quorum ſufficiens materia imbres gignere poſſet, ſed leues tantum ac ſubtiles exhalationes, quæ cum denſantur vel maxime, non tamen in pluuias, ſed nebulas coeunt, quæ deinde ventorum vi abreptæ in Montes deferuntur. Quæ res facit, vt incolarum domus aut nullis omnino tectis coopertæ ſint, ſed leuibus ſtramentis operta contignatione, impoſitaque non ſane craſſa humo contenti ſunt, cum nebulæ illæ exſurgentes non tantum habeant virium, vt humiditate ſua penetrare poſſint altius.

In Andium vicinaque regione omnes prope anni partes perpetuis imbribus madent, quanquam ibi aer multoties terſior eſt ac alibi. Cliuoſa autem & frequentibus collibus aſpera regio, quæ medio loco inter depreſſam ac littoralem, & Alpeſtrem ſita eſt, pluuiis iugiter humectatur à menſe Septembri, vſque in Aprilem: cæteris menſibus, quibus Sol longiſſime ab illis abeſt, terſo aere ac ſudo cœlo lætantur, contra Sole vicino

nimbis infeſtantur coloni: quæ res aliquid abſurditatis ac contrarietatis inuoluere videtur. Sed non ita eſt: vti in ſuperioribus late demonſtrauimus.

Peruuiæ animalia peculiaria. In his montibus ac vallibus innumeri greges paſcuntur Ibicum, damarum, caprearum, è quo genere etiam eæ ſunt, quas Barbari *Vicunnas* appellant: nec non quos *Guanacos* & *Pacos* nominant, quanquam hi poſteriores lana, vnguli s omnique corporis habitudine oues præ ſe ferunt, miniſterio vero baiulandi tergo onera quæcunque impoſita, equorum aut aſinorum vicem ſubeunt. *Oues dorſiferæ.* Eſt in illis partibus etiam ingens perdicum ac lagopodum copia. In Alpibus Andium Simii & Cercopitheci magno numero inueniuntur, ſpectatæ agilitatis & formæ, vt & Pſittaci picti coloribus pennas. Quin & *Coca* herba ibi prouenit, apud Indos maximi æſtimata, quæ ob vires medicas cæteraſquevirtutes magno precio venditur.

Tranſeunti tibi in alteram partem Regionis *Collao* occurrent valles miræ fœcunditatis, perpetuo Sole percalentes, quas illi *Charcas* vocant. Imminent his conuallibus montes deſerti ac informes, vixque ſine horrore ſpectandi, è quorum viſceribus tantum precioſi metalli effoditur, vt largiſſimis diuitiis dominos ſuos mactent, nec temere vllæ ærifodinæ in toto orbe habitabili his anteferri poſſint.

Comparatio Nouæ Hiſpaniæ cum Peruano regno. Hic non eſt diſſimulandum: ſi de frugibus & pecuario quæſtu certamen inſtituatur, *Nouam Hiſpaniam* cæteris prouinciis omnibus prærepturam palmam. Sed ſi de vino quæſtio ſit, *Peruanum* regnum ſine dubio vincet, cuius in his terris & multitudo & præſtantia mire commendatur. Sunt enim ibi conualles quædam, Solis radiis ſubiectæ ac feruentes, quibus botri ad ſummam maturitatem excoquuntur. Et ne priuati ſucco exareſcant penitus, iuxta vineas foſſæ depreſſæ ſunt recipiendis aquis, vnde irrigari vites queant.

At vero in *Hiſpania Noua* vix vnquam ad laudabilem maturitatem uvæ peruenire ſolent, cum Iulio & Auguſto menſibus nullus ibi pluuiarum & nimborum ſit modus. Huic prouinciæ qui vicinas Inſulas colunt populi, rem potiſſimum faciunt è Saccharo excocto, atque tergoribus bubulis, vertuntque inſuper in quæſtum ſuum Cannas medicatas, & fiſtulas Caſiæ odoratæ, vt & Gingiberis radices, quibus omnibus abundant.

Sed & ligni quoddam genus ſplendoris notabilis, tam ad ædificia quam ad tornum apti inde inde effertur, quemadmodum etiam *Guaiacum lignum*, quod Europæi ſanandæ montagræ & ſcabiei Neapolitanæ accommodum habent, his Inſulis debetur. *Lignum Guaiacum vbi proueniat.* Omnes hæ, quarum ingens numerus in illo *Archipelago* ſpargitur, ſummam amœnitatem præ ſe ferunt, oculoſque mire delectant. Nullo enim anni tempore viridem veſtem ſuam alio colore mutant, frondeſcentibus arboribus, graminante ſolo, vt vix vllus ibi ſit ſenſus hyemis. quæ quidem naturæ luxuria humido calori & calidæ humiditati, à vicina Zona Torrida prouenienti accepta ferenda eſt. Licet autem harum Inſularum tanta ſit pulcritudo, quanta animo concipi poteſt maxima, rari s tamen cultoribus habitantur, cuius infrequentiæ cauſa perhibetur ſiluarum denſitas, paludoſi & vliginoſi ſoli inſtabilitas.

Nobis autem veram cauſam indagantibus credibilius videtur, priſcos colonos crudelitate & immanitate Hiſpanorum, qui vi & armis has Inſulas ſui iuris fecerunt, ad tam exiguum numerum redactos, vt à quotidianis cædibus pauci ſuperſtites ſint, & ipſi victores ad ſeruitia iam captiuis Mauris & Æthiopibus vti cogantur. In his inſulis tanta eſt glebæ pinguedo ac vbertas vt frumentum Europæum, Vinum & oliuas proferre non

poſſit,

poſſit, moriente ſegete ob nimiam herbæ ac foliorum luxuriem, ſuffocantem ſperatæ meſſis ac vindemiæ conatum.

Quod ſi quæ regio eſt inter omnes Vniuerſæ Indiæ Occidentalis prouincias, quæ cum *Hiſpania* aut aliis nonnullis Europæ regnis ob ſimilitudinem componi poteſt, profecto ea non alia magis eſt quam *Chile*, quæ aliquid peculiare ac diuerſum à reliquis prouinciis obtinet. Protenditur hæc verſus *Zonam torridam* in longitudinem vſque ad *Tropicum Capricorni*. Temperatus eſt hic aer ac frigidiuſculus, Solum bonarum rerum ferax; frumenti, vini, pabuli prouentus locuples, pecudum omnis generis abundantia. Clima cœli ſalubre, medium obtinens inter frigus noxium & calorem intenſum. Variant hic æſtates & hyemes legitimo ac naturali modo. Reperitur & alicubi purum & à ſcoriis deterſum aurum. Hæc prouincia cum tanta bonitate ſit prædita, bellis tamen crebris ac hoſtilibus incurſionibus vaſtata, & habitatoribus (vt aliæ multæ, quæ ante Hiſpanorum irruptionem inſtar formicarum, multitudine incolarum feruebant) deſolata ac viduata, vix paucułas miſerorum reliquias alit. *Chile prouincia Hiſpaniæ ſimilis.*

De India autem Occidentali cum loquimur, quæ apud pleroſque Americæ nomine capitur, ſciendum eſt: etſi termini eius plerique noti ſatis ſint, poſtquam diuerſis nauigationibus non ſolum ſeptentrionalis eius pars multo maxima vltra *Floridam* ac *Virginiam* in Aquilones vergens, ſed & meridionalis vſque ad Fretum magellanicum circum littora diligenter luſtrata eſt. Permulta tamen reſtare, quæ vel auariſſimorum latronum indagationem hactenus effugerint: qualis eſt ingens illa capacitas, qua quicquid eſt terrarum inter *Regnum Peruanum* & *Braſiliam*, continetur & adhuc occultatur. Non defuerunt tamen, qui & in hac abſtruſa materia ſuis cogitationibus vel deliriis potius induſerunt. Alii enim dicunt totum illud ſpacium paludibus & ſtagnantibus aquis abundare, quarum copia ſolum vliginoſum ac veſtigii impatiens, humanam induſtriã admittere hactenus noluerit. Qui diuerſum ab his ſentiunt illuſtriſſima regna ampliſſimasq; prouincias ibi collocant, nõ diſſimulatis nominibus, cuiusmodi ſunt *Paytiti*, *Dorado*, *Cæſares* aliæque, aſſerentes inſuper, res memorabiles complures, nec ſine ſtupore ſpectandas ibi cognitas eſſe. Ad ſummam rei vt veniamus dici pro certo non poteſt, quantum terrarum in India Occidentali hominibus cultum ſit, aut incultum, cum interiora illa, longiſſimisque ſpaciis à littoribus maris diſſita, ob cauſas cuique aſſequi faciles, pernoſci hactenus non potuerint, cum exteriora illa & velut fimbria ac prætexturæ quædam regionum in noſtrorum hominum notitiam vix peruenerint, cuius generis ſunt *Peruuia*, *Braſilia*, & quæ deinceps illo tractu ſequuntur, vbi latiſſima illa continens ſenſim acuminatur verſus Magellanicum Fretum, capto initio à prægrandi illo fluuio, cuius ſupra natura aliquo modo tacta, *Rio della Plata*, aut ſi mauis, fluuio Argenteo, pertextoque longinquo itinere verſus *Tucumam*, vnde littus lacinioſo tractu variisque ſinubus impedito verſus Prouincias celeberrimas, *Chilen* & *Charcas* proficiſcitur. *Indiæ Occidentalis pars multo maxima nondum cognita.*

Illud quidem ſine dubio magnum, nulloque pacto negandum, Orientem atque Occidentem noſtro tempore ſibi mutuo occurrere, toto illo vniuerſi globo circulari iamdudum nauigatione velut circulo incluſo: verum non ideo dicendum eſt, omnes Noui Orbis regiones ac prouincias præſertim interiores luſtratas cognitasque noſtris hominibus eſſe.

Quin nec illud quidem ſatis doceri poteſt, vbi regnorum ac prouinciarum, quæ noſtro parent imperio, fines recte conſtituendi ſint, aut quid porro, poſtquam illos tranſiliuimus terrarum ſequatur.

Cæterum,cum in hoc verſamur themate luſtrati orbis , non eſt tacenda laus Sereniſſimorum Regum *Luſitaniæ* & *Caſtiliæ*,quorum iuſſu,ſumptibus,auſpiciis emiſſæ claſſes quamuis diuerſiſſima inſtitiſſent itinera,nihil tamen ad ſuam diligentiá ſibi fecerunt reliqui , donec tandem curſu obuio in eodem propemodum loco ſibi fierent obuiam, qua quidem re æterna nomini eorum eſt acquiſita gloria. Quod autem de diuerſa itinerum ratione dictum eſt,ſic habet : Luſitanorum claſſes,verſus Auſtrum & deinceps Orientem intento curſu,circum nauigata Africa,Orientales Indias,immanique numero ſparſas in illo Oceano Inſulas adeunt,quibus luſtratis ipſam *Chinam* oppoſitasque Inſulas *Iaponicas* inuiſunt.

Diuerſæ nauigationes Luſitanorū & Caſtulonenſium.

At vero Claſſiarii Caſtulonenſium diuerſum inſiſtentes , in Occidentem obuerſis proris,ſuperato vtroque Indiæ Occidentalis Oceano,beneficio vel Iſthmi inter *Nombre de Dios* & *Panama*,vel *Freti Magellanici* , ad vſque *Philippinas* quarum caput eſt *Manilla* penetrant,qua ratione & ipſi quoque Occidentem Orienti coniungunt.

Manillæ caput Philippinarum Inſularum.

Multum autē ad rem faciet,ſi notaueris,Oppidum hoc *Manillam* non niſi octoginta aut centum milliaribus abeſſe ab Inſula *Macaon* quæ iuris eſt Luſitanorum. Quod quidem vtriuſque loci interſtitium , cum non ſit adeo magnum,mirandum tamen valde eſt,in numerandis ſeptimanæ diebus alterius incolas ab alteris,vnius diei ratione ac calculo diſſidere,quod ita planius erit : Macaonitis celebrantibus diem Dominicum , Manillienſem Saturni diem minime feſtum agitant. Quod quidem principium vtriſque populis obſeruantibus,euenit,vt omnibus ac ſingulis hebdomadis *Machaonitæ* cum iis qui *Chinam inhabitant*,die vno *Manillienſes* Hiſpanosq; porro omnes illic negociantes anticipent : contra qui *Philippinas* Inſulas incolunt,vno ſemper die ſint poſteriores.

Iactura diei vnius, quæ nauigantibus contingit.

Huius rei vt documenta proferamus,notum eſt,eos qui ab Occidentalibus regnis Orientem petunt,ſubinde nouam ſibi lucem fœnerari,cum ipſis Sol maturius quotidie fere oriatur,in cuius occurſum nauigatio tendat : Qui autem ab Oriente occaſum petunt,fieri non poteſt,quin ſemper aliquam diei ſuæ iacturam faciant , cum conſtet, ipſis ſolem omnibus prope diebus tardius exoriri , vt quem fugiant , & à quo ſubinde longius recedant. quanquam hoc,quicquid eſt iacturæ,ſol occidens pari red hoſtimento ſarcit. Hac ratione atque computo in Orientem aut Occidentem nauigantibus ordinarie dies tardius aut celerius albicant.

Sed pergamus,ſi placet, in exemplis. Cum dies in Hiſpania ad vmbilicum decurrit,apud Peruuianos demum illuceſcit; Cumque viciſſim apud Hiſpanos ſolis equi clarum diei iubar naribus efflant,vt poeta ait,iam in Peruano Regno Phoebus fulget toto niti diſſimus orbe.

Eſtque vix vllum documentum quod hanc rem dilucidius explicet quam Eclipſeon Solis ac Lunæ ratio. Luſitanorum Naucleri viam ſuam tenuerunt ab Occidente Sole in orientem : contra Hiſpani nauigauerunt ab Euro in Fauonium. Hi duo populi,cum ſibi obuiarent,quod circa Philippinas inſulas & Machaonis factum eſt , illis iacturam duodecim horarum facientibus,his cōtra tantundem temporis lucrantibus,factum eſt, vt cum illorum detrimentum & horum accretio , eodem tempore fieret , neceſſario viginti quatuor horis,id eſt integro die naturali ab inuicem diſſiderent. Vnde facile coniicitur , cum illi , (Machaonitas dico & Chinenſes) tertium Maii menſis diē numerant, alteros, (Manillienſes & Hiſpanos dico) diem quartum illius diei numerare. Eadem ratio eſt in obſeruatione ſolemnium feſtorum. Illis enim Paraſceven ſolemnitatis Paſchalis celebrantibus,hi ipſum Paſchatos feſtum agitant: quod & de cæteris augureris licet.

Et vt rem verbo comprehendamus, Meridianorum differentia variat calculum dierum, & prout nauigantibus iter eſt in Ortum vel Occaſum, ita quoque mutantur Meridiani, ſed ſenſim, & prope ſine ſenſu hoc fit, cum nautæ dies inde ab exitu ſuo ab ortu ſolis non minus computent, ac ſi domi intra ſuum meridianum manſiſſent. Vnde ſaniſſimis rationibus conficitur, illos, qui curſu velivolo totum terrarum Orbem circumnauigauerunt, neceſſario (pro ratione itineris ſui,) vnum diem naturalem vel in lucro, vel detrimento calculi habere.

Nunc ad alia naturæ opera, non minus admirationis habentia eſt deueniendum. Igitur in nouo iſthoc Orbe non minori numero inuenies ac in veteri montes ignem euomentes, (quos cum & alii ante nos non exigui ingenii viri *Vulcanos* appellauerint, nobis quoque integrum erit, ſaluo doctiorum iudicio, hoc nomine impoſterum vti) ac ſubterraneos ſpecus, fomite ac ſulfurea materia prægnantes, quarum copia ſuccenſa *Arequipa Mons ignivomus.*

exhalat opaca Mephitim,

Cuius generis eſt mons per omnem Occidentalem Indiam decantatus, nomine Arequipa, cuius vertex immenſo ſpacio in altum attollitur, inferiora ſale abundant. Bidui integri iter aſcenſuro in ſummitatem eius conficiendum eſt: tanta eſt montis altitudo. Quanquam nec in apice illius talis ignis deprehendatur, qui eum hoc nomine clarum faciat: niſi hoc velis eo trahere, quod Barbari, antequam ad Chriſtum conuerterentur ab Idolomania ſua ſacrificia ſua ibi peregerint, factis ignibus & ſuffitu in honorē dæmonum. Apud Pagum *de los Angelos* Mons itidem alius eſt altitudinis, cuius vix modus aut ratio iniri queat, cuius baſis aut pes in circumferentia triginta milliaria complecti perhibetur.

Hic mons cætera quietus eſt, præterquam quod certis temporibus fumum emittit opacum, qui primum rectiſſima proceritate altum petit, poſt confecto velut ſpacio dilatando ſe ingentis criſtæ plumeæ in modum conglobatur, mox in denſam nubem conuerſus minatur neſcio quid mali. Fumum huncce proruentem magna vis cinerum comitatur, quanquam hactenus ignis aperte ex illo prodiens conſpectus non fuerit.

Nec minus formidandum eſt, ſiquidem ignes in viſceribus tantæ molis concluſi, inuento ſufficienti pabulo vires acquirant, erupturos aliquando largo incendio, omneque quicquid eſt in vicinia terrarum, crudelem in modum depopulaturos: quæ quidem iactura eo futura eſt grauior, quo magis ſalubritate aeris, amœnitate, fertilitate Soli, ac paſcuorum vbertate, omnes totius regni prouincias hæc poſt ſe relinquit.

Nec veriti ſunt nonnulli Hiſpani, tales aliquot *Mulciberi caminos* luſtrare propius, qui & ſulphuratos lapides inde ſuſtulerunt, pulueri pyrio peraccommodatos.

Hos tamen Vulcanos, de quibus diximus, omnibus modis ſuperat Ætna Guatimalenſis, mons adeo editus vt vt in aduerſo mari Auſtrali, (quod *Mar del Zur* dici ſæpe notauimus) conſpiciatur. hic mons non tantum altitudine gloriam ac celebritatem illis præripit, ſed & ignium frequenter emicantium violentia ac impetu. Aperuerunt hi ſibi viam, ſuamque cumprimis oſtendere ſæuitiam A. D. XXIII. Menſis Decembris Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo Octogeſimo ſexto. Vomuit tum Vulcanus ignes perpetuos ſex menſibus continuis, magno fragore & turbine piceo, cuius fauillæ ac fumus prædenſus in cineres partim, partim in lapides ac tophos, vbi humum attigere, degenerauerunt. Omnemque fidem ſuperat, quantum huius *De Montibus ignivomis Guatimalæ.*

ſemiuſtæ

ſemiuſtæ materiæ ac cinerum, hæc vis ignis eructauerit, cum tamen ſuperioribus annis nihil præter fumum ac fauillas, pauculis ignibus ceu fulguribus intermiſtis, inde prodire viſum fuerit.

Eſt & alius Vulcanus ad *Ciuitatem Regum* (de los Reyes vulgo dicunt) qui inſtar Veſuuii illius Pliniani tantam cinerum molem ex orificio ſuo euomit, vt ad milliaria aliquot cinerei velut imbres cadere videantur, quorum denſitas tanta eſt, vt inducta quaſi diei nube, ſublatoque ſolis lumine cæcutiant ambulantes, nec quo vadant ſcire poſſint.

De cauſis ignium ſubterraneorum,

Vna res multos in ſtuporem rapuit; Vndenam tanta materiæ vſtilis vis, tantaque nutrimenti abundantia, vt per tot ſecula montes illi Vulcanii fumum, fauillas, ignem late ſplendentem, cineres, tophos, lapideſque ſine fine euomuerint? Quarum rerum cauſam nos non tam facile inueſtigari poſſe arbitramur: nec adeo promte quorumuis opinionibus accedendum: quas cum ponderamus, illorum potiſſimum accedimus ſententiæ, qui ſtatuunt; ſicut in ſubterraneis locis quædam ſunt, quorum id eſt ingenium, vt humores attractos ac collectos in aquas vertant, vnde fontibus æternum ſcaturientibus perpetua materies: ita quorundam locorum virtute ac ingenita proprietate fieri, vt exhalationes calidas & ſiccas, quarum ibi larga ſeges, attrahant, inque ignes conuertant, qui poſtmodum cineres aut cognatum aliquod excrementum tanta copia euomant.

Hanc ſuam illi ſententiam certis quibuſdam argumentis fulciunt; quod fumus ille nõ omnibus diebus, ſed certis quibuſdam temporib. euolet: quod nec ſemper erumpente fumo ignes ſimul fulgeât, ſed aliquãdo perobſcure, aliquãdo nulli omnino, vnde planũ fiat hanc alterationem ob materiæ defectum accidere, vt pro ratione nunc fumus ſolus, nunc cum ſcintillis ac ignibus miſtus prorumpat. Exemplo à fontibus ducto ſententiam ſuam roborare nituntur. Quos aiunt hyeme exundare, æſtate vero prope deſtitui aquis; nunc fluere cum murmure, nunc cum ſilentio manare. Ad eumdem plane modum Vulcanos iſtos ſiue (ſi hoc magis placet) *Veſuuios Americanos* interdum multum eiaculari ignium, interdum velut deſtitutos fomite conquieſcere.

De terræ motibus in Indiis, eorumque cauſſis.

Fuerunt nonnulli, qui opinati ſunt, vi horum ſubterraneorum ignium terræ motus in his Indiis Occidentalibus generari: quorum ſententiæ, vtrum accedendum ſit, videndum erit deinceps. Sane hoc cumprimis conſiderandum eſt; quia in multis aliis terris ac prouinciis terra tremit, in quibus *Vulcani* ſiue ignivomi montes nulli ſunt omnino, hanc motus terræ cauſam adſtrui vix poſſe. Contra non videtur eſſe negandum, multa hic euenire ſimilia.

Cum enim ſit veriſimile, exhalationes calidas, quæ in interioribus terræ partibus cum generantur tum nutriuntur, vnicam ac præcipuam cauſam exiſtere, vnde velut ex materia oriantur ignes illi, qui in montibus igniuomis concepti tandem in lucem erumpunt, quibus & alia quędam materies craſſior iuncta, parilis incendii capax, ſubſtantias illas, quæ fere eiuſmodi montium incendia comitantur, valide eiaculatur: ita quoque non eſt abſurdum dicere, denſos illos vapores ſubter terram collectos, poſtquam euadendi locum non inueniunt, tellurem ipſam valide concutere, idque ea violentia ac robore, vt tota tremat, in horreatque.

Documentum cape, ſi lubet à puluere pyrio ſiue tormentario. Videbis illius vim eſſe tantam, vt correpto igne, ſubter altam licet humum defoſſus, ſaxa ac moles prægrandes miro fragore in aerem libret inque ſublime ferat diſiiciatque.

Porro

Porro experientia cognitum eſt, nulla loca terræ tremoribus magis eſſe obnoxia, nec vlla ſæpius concuti, quam quæ littoribus maris proxima ſunt, aut fluuiis illuſtrioribus vicina. Nec in noſtro hoc ſaltim Orbe, ſed & veteri illo plane compertum eſt, vt quo quis locus ſit à mari vel fluuiis remotior, eo minus periculi ab hoc tam noxio accidente (de terræ motu loquimur) ei ſit pertimeſcendum. Contra patet, littora, portus, promontoria, breuia, potiſſimum hac calamitate affligi. *Terræmotui quæ loca magis obnoxia.*

Cuius quidem rei vtrum luculentius dari exemplum poſſit eo, quod in regno *Peruuiano* animaduertimus, dubitamus. A prouincia *Chile* vſque ad *Quitenſem*, quod quidem ſpacium circiter quingenta milliaria in longum porrigitur, res eſt perfrequens, vt terræ motus præcedens ſubſequentem excipiat: nec tamen ad eundem omnes furunt modum, quibusdam diutius & violentius imperantibus, quibuſdam mitioribus.

Fuit in littoribus Prouinciæ *Chile*, cum validus terræ tremor ac prope inuſitatus ſupra omnem hominum memoriam ſæuiret, euerſis montibus nonnullis, quorum ruina obſtructis alueis ac meatibus fluminum, cum negaretur exitus aquis, regurgitare illæ coactæ primum in lacus abierunt, nec intra hoc limites ſeſe continentes, totas regiones inundatione peſſundederunt, euerſiſque oppidis à fundamento atq; villis myriadem hominum ſuffocauerunt. Nec hactenus ſtetit furoris huius modus. Ipſe Oceanus pater velut antiquo loco motus, limites ſuos longe lateque transgreſſus, in terram aquis ſuis laxauit habenas, quibuscum raptæ naues terris inuectæ, amiſſa redeundi facultate, & ipſæ his trementis terræ iniuriis ludibrium debuerunt. Quo profecto ſpectaculo, an vllum fœdius aut miſerabilius dari poſſit, dubitamus. *Terræ motus ingens in Chile.*

Sed vt ad præſentem materiem de Terræ Motibus, vnde digreſſi ſumus longiuſcule, reuertamur, non videmur nobis commodiorem rationem adſtruere poſſe, cur loca maritima & à littoribus non nimis remota præ cæteris terræ tremoribus infeſtentur, quam vapores ſiue exhalationes calidas, cum eiuſmodi humoribus coniunctas, quę poſtquam incluſæ & velut coarctatæ, inflammatione accedente, liberum euadendi meatum quærunt; quo non inuento crepant rumpunturque, ac rumpunt omnia quæ illis obſiſtunt, tanta violentia quæ captum hominis longe ſuperat,

Obſeruauerunt diligentiores nonnulli, fere fieri ſolere, vt longinquam ſiccitatem largis pluuiis excipientibus haud dubii tremores terræ ſubſequantur: quæ obſeruatio cum noſtra ſententia, quam paulo ante adſtruximus, pulcre conſentit; vt & illa, qua annotatum eſt, in locis vliginoſis ac paludoſis vix vllum terræ motum animaduerſum fuiſſe.

Cum autem conſideranti res naturales, inprimis vero ſtructuram totius huius Vniuerſi multa, imo infinita admirationem ac ſtuporem incutere poſſint; tamen vix ſcio, an vlla res admirabilior ſit, egregia illa & non ſatis cogitanda copula ac conſociatione, qua duo iſta vaſta Elementa, Terram loquor atque Mare in vnum ſe globum colligant atque coadunentur: qui tamen complexus arctiſſimus plusquam mille modis perficitur. Inuenias loca, in quibus mare terram vicinam perpetuis aſſultibus impellit, ac velut hoſtile caſtrum aggreditur, oppugnatque. *Quo pacto ex Mari & Terra vnus globus euadat.*

Alibi contra marinæ vndæ vicinum littus veluti lambunt ac amplexantur, neſcio quam amicitiam præ ſe ferentes. Alicubi Oceanus magno ſpacio terram ingreditur, flexuoſos ſinus conſtituens, terræque vim velut experimento tentans; contra alibi terra mater promiſſis in ipſum mare promontoriis & Capitibus ſuis (ita vocant,) velut mucrone quodam aut cuſpide Oceani viſcera rimatur. Eſt cum ſibi cedunt inuicem

hæc

hæc Elementa, ac velut compacto rem agunt. Iterum videas, vbi concurrunt hæc ipſa, immanem profunditatem conſtitui ac velut hiatum, adeo, vt ad ſeptuageſimam vel o-ctogeſimam orgyiam demiſſus funiculus, fundum tamen non inueniat. Adde, quod in illa tam vaſta abyſſo, (Oceanum dico) duæ rupes è duriſſimo marmore ad inſtar edi-tiſſimarum turrium, quales Pharos vetuſtas habuit, ſe alte efferant, vbi non herba nec gramen, nec frutex aut tale aliquid viſitur, tantum ſcrupas & ſilices ſaxaque videre eſt.

Ad quam formam autem inter res creatas hic nouus Orbis velut in plano iacens commodiſſime referri poſſit, temerarium eſt dicere, immo impoſſibile, cum eius fines ac ambitus ignoti nobis ſint. Neque enim in hunc vſque diem littora Americæ à no-ſtris vndiquaque luſtrata ſunt. Nec nos moramur illos, qui CORDI quam ſimilli-mam eius terræ eſſe formam exteriorem arbitrantur.

Diſquiſitio compoſitarum rerum in America. HACTENVS deſcriptioni Elementorum, quæ corpora ſunt ſimplicia, diutiuſcu-le immorati, porro ad compoſitorum diſquiſitionem nos accingamus. Quæ compo-ſita etſi quam plurimis differentiis ab ſe inuicem diſcrepent, nec vnius ſint generis, nos tamen omiſſis cæteris, de tribus præcipue agemus: nempe I. De Metallis, II. De Radici-bus, III. De Animalibus.

Metallorum cum herbis comparatio. Igitur primum de metallis dicere poſſumus, illa habere inſtar radicum in terræ vi-ſceribus occultatarum, quibus (radicibus) propter longe lateque emiſſos velut ramos atque ſurculos ſunt quam ſimilima. Sicut enim arbores atque frutices terra naſcentes ramos ſuos circum ſtirpem ſuam expandunt: ita quoque Metalla ſuas venas maiores ac minores circum ſe ſpargunt, vnde recte concludi poteſt metalla ac mineralia omnino creſcere, virere, florere, eoque nomine inter vegetabilia eſſe referenda: quod tamen non ita intelligi volumus quod intra ſeſe vitam vegetabilem habeant inſtar herbarum aut fruticum, cuius vi protrudantur velut gemmæ, folia aut ſurculi ac ſtolones arborum: ſed quod intra ipſam terram creſcant, atque virtute ac influentia Solis & cæterorum Plane-tarum fœcundentur, augmententurque. Sicut igitur Metallum eſt Planta quædam intra terræ viſcera deliteſcens: ita quoque talis planta eſt quoddam quaſi Animal loco ſuo veluti matrici firmiter affixum, vitam trahens ex alimentis appropriatis, quæ ipſi à natura communicantur. Vnde pulchram hanc deducere poſſis gradationem: Inculta & ſterilis terra prebet alimentum metallis: Terræ vero pars fœcunda ac fertilis cedit in nutrimentum plantarum. Plantis aluntur animalia omnis generis.

Rurſus ipſis animalibus atque plantis iuxta nutriuntur homines. Et hac ratione ſemper viliores ac imperfectiores naturæ ſeruiunt ſuſtentationi nobiliorum ac perfe-ctiorum: & omnia, quæ defectus ſuos patiuntur, cedunt ac ſubſunt perfectioribus. Vn-de cuiuis colligere facile eſt, Aurum, Argentum, cæteraque metalla, quæ miſeri homi-nes maximi facientes in ſummo precio locant, auaritiæ nebula oculos illis perſtringen-te atque faſcinante, nequaquam eſſe præcipuum finem aut vera illa bona, ad quæ mor-tales omnibus votis ac ſuſpiriis anhelare debent: cum tot gradibus perfectionis ho-mine ſint inferiora: ipſo homine nobiliorem ac perfectiorem ſe non agnoſcen-te præter CREATOREM omnium, cui & ſoli tanquam plaſtæ ac opifici ſuo ſubii-citur.

Cur metalla aliis rebus in mundo præfe-rantur. Sed vt de metallis cæptus noſter continuetur ſermo, notum eſt, nihil in genere hu-mano vſitatius eſſe Pecunia, quam Peripateticorum Princeps METRON omnium rerum exiſtimat. Quanquam enim hæc in rerum natura vnicum quippiam ac ſim-plex ſit, vſu tamen, effectu, valore ac precio vbique eſt. Nam pecuniam ſiue nummos

habens,

habens, habet cibos, veſtes, domum, currus, equos, iumenta, & quicquid homini opus eſt.

Quisquis habet nummos ſecura nauigât vnda.

Vt Græci non abſque ratione dicant, Χρήματα χρήματα ἀνὴρ, & χρήματα τὰ πάντα. Cur autem metalla potiſſimum à mortalibus priſcis electa atque ſignata ſint, quorum cum mercimoniis permutatione res omnes emi compararique poſſint, cauſa videtur nobis eſſe eorum durities ac perpetuitas, cum omnes aliæ res, cuiuscunque claſſis ſint, celerius quam illa cariem ac ſitum patiantur, citiusque conſumantur. Sunt autem & alii metallorum vſus, in medicina, in defenſione corporum, in ornamentis, in inſtrumentis, in fabrica, quos non eſt in promtu omnes explicare, neque vero nobis animus eſt ea perſequi, cum ſint notiora, nec huius proprie diſquiſitionis.

Porro in Metallorum genere ſupremum locum ac velut regnum quoddam obtinuerunt ſemper, non tantum in veteri olimque cognito Orbe, ſed etiam in hoc Nouo, Flauum illud & Album, *Aurum & Argentum.* Cuius Noui Orbis incolæ vtroque hoc non tam in emendo aut vendendo quam in exornandis Templis ac Palatiis ſuis, & ad conficienda monilia in vſum Regum ſuorum & nobilium, vſi fuerunt, vt & ad vaſa: licet in *Terra Florida* quidam populi adeo Barbari reperti fuerint, vt nec argenti nec auri notitiam vllam habuerint, ſed vtrumque etiam oblatum inter res inutiles nec dignas legi reputarint, felices quidem eo nomine, ſed ſine exemplo. Quis enim eſt hoc noſtro æuo tam integer vitæ & à cupiditatibus immunis? plures inuenias etiam inter Barbaros, qui vtrumque metallum in precio habent atque honore, cui quærendo atq; cuſtodiendo omnem curam ac diligentiam impendunt.

Cum autem noſter hic Nouus Orbis innumeras contineat prouincias ac Regna, nullum tamen eſt quod metallorum copia, bonitate, varietate cum *Peruano Regno* in certamen venire queat: quod Auro, Argento, Argento viuo in tantum abundat, vt ſingulis prope diebus nouæ ærifodinæ, nouæque venæ metallicæ aperiantur: quin etiam ſi naturam ac ingenium ſoli rimari velimus, non eſt dubitandum, latentis metalli, & quod hactenus auaras ſcrutantiũ manus effugit, modum longe eſſe maiorem eo, quod in noſtram notitiam peruenit: cum ea ſit terræ facies, vt quaſi metallis conſita ac farcta videatur, nec eſt vllus in toto hoc vniuerſo locus, qui cum regno Peruano hoc nomine conferri poſſit. *Peruanum regnum auro abundantiſſimum.*

Si quis iam rationem requirat, cur Occidentalis Indiæ pleræque prouinciæ adeo abundent venis metallicis, aliam illi rei cauſam aſſignare non poſſumus, quam nudam voluntatem Creatoris, qui pro ſuo arbitrio diuerſis terris diuerſa dona impertit, nec facti ſui rationem vlli reddere tenetur. Quanquam ſi Philoſophorum more de hac re loqui velimus, accedendum nobis erit ad *Philonis* ſententiam ſcribentis: Aurum, Argentum, cæteraque pleraque metalla naturali ordine oriri atque generari potiſſimum, non in regionibus excultis aut fertilitate commendatis, ſed aſperis locis, incultis, adſpectu horridis ac deſertis. Et ſane ſi loca conſideremus noſtræ Indiæ, ex quibus potiſſima metallorum materies hactenus eruta fuit, non alia deprehendemus, quam deformia viſu, montibus altiſſimis ac rupibus inacceſſis aſperata, vbi nec amœnitas cœli nec ſoli vlla, neque aëris temperies accommoda. Quæ quidem India etſi metallorum omne genus fæta eſt ac prægnans, contemtis tamen cæteris, inquies mortalium auaritia præcipue venatur aurum, argentum, & argentum mobile ſiue viuum, quod & hydrargyrion. quorum delectum nos quoque ſequemur, deque tribus his ſolum diſputabimus. *lib. 5. de Geneſi mundi.*

R Igitur

De Auro. Obrizum Plinii,lib.33. cap.3.

Igitur aurum omnium metallorum pulcherrimum, maximeque expetendum, cæteris regio more dominatur. Plinius *Obrizum* vocat cũ ait, illud nec vſu deteri poſſe, nec æuo minui, nec rubigine exedi, nec carie conſumi. Hoc metallum etſi natura firmum eſt ac durabile, malleũ tamẽ patitur, quo procudi poteſt atq; diduci, inq; varias formas inflecti. Huius eximia virtus ac potentia hominib. plus ſatis nota effecit, vt omnib. rebus, quæcunq; in toto hoc mundo in precio ſunt, dominetur & imperitet. Cæterũ difficile eſt ad fidẽ dicere, difficilius autẽ perſcribere, quantã huius flaui metalli vim ac molem Hiſpani primi, qui deuictis Regibus *Ingis* regnũ *Peruanum* occupauerunt, inde fuerint conſecuti, quantisque theſauris abyſſum auaritiæ ſuæ expleuerint. Etenim *Ingæ* ſiue reges Peruani omnium Orbis terræ principum longe ditiſſimi adeo auro circumfluebant, vt non ſolum vaſis omnibus vſi fuerint aureis, ſed etiam, quod mireris, integra ſcamna ſua, menſas, lecticas, vt & ſtatuas ex ſolido auro habuerint. Cuius quidem tanti theſauri etſi bona pars in Hiſpanorum harpagatas manus peruenerit, multo tamen maior defoſſa à barbaris adhuc latet, inuidia erga Iberos accenſis, quos videbant ſatiari non poſſe, & à quibus omnia dira perpeſſi fuerant.

Reges Peruani auro abundauere.

Eſt autem in illis locis, vt & vicinis, triplex eruendi ac fundendi huius metalli modus.

Nam primo Grana auri reperiuntur ſolida, inter puluerem ac ſilices terræque ſcrupos, quod quidem aurum eſt puriſſimum, nullo alio metalli genere inquinatum, ideoque neque funditur igne, neque liquefactum à ſcoriis ſeparatur, eſtque teſtata experientia, quandoque eiuſmodi micas prægrandes, ad aliquot librarum pondus accedentes, fuiſſe repertas.

At illud aurum, quod in lapidibus deliteſcit, eſt vena auri, quæ è petris ac rupibus originem trahit. In Aurifodinis quæ ſunt ad *Curcumam* in Salinarum præfectura lapides mediocris quantitatis inueniuntur, qui venis aureis vndiq; collucent, alii adeo ſunt diuites ac precioſi, vt eorum vna medietas ſaxea altera aurea exiſtimetur. Hoc modo aurum reperitur etiam in paludibus ac ſpecubus ſubterraneis, quod tamen vt fundatur ac defæcetur, multum requirit laboris ac induſtriæ.

Plurimum tamen auri colligitur ac funditur ex Ramentis aureis, id eſt ſabulo aut puluere aureo, quem ſecum fluuii vehunt, aut ſuper quas arenas aquæ continuæ decurrerunt, cuiuſmodi fluuiorum auriferorum permultos in his regionibus numerare poſſumus.

Aurum præſtantiſſimum vbi.

Præſtantiſſimum vero aurum primæque bonitatis in regione *Carauaya* quæ eſt Regni *Peruani* prouincia, itemque in *Valdiuia* parte prouinciæ *Chiles* inuenitur, minimum enim admiſti ligamenti vel alligæ vt loquatur in ſeſe continet. Inuenitur & auri quoddam genus, quod mixtum eſt ex parte argento atque ære Cyprio. Auri autem ramenta, quæ in arenis, ac ſabulo reperiuntur, frequentibus lotionibus perpurgantur ac colliguntur, nam ſine intermiſſione abluitur quod repertum eſt, tantiſper donec amoto omni puluere ac ſabulo, ſubſidente ob pondus auro in ima fundi, terſum fulgeat atque ſuo ſibi colore natiuo emicet.

Eſt & alia ac diuerſa ab hac purgandi auri ratio, quæ hydrargyrio perficitur, aut aqua forti ſiue corro ſiua. Aluminis enim, vnde hæc aqua miſcetur, id eſt ingenium, eaque vis, vt ab auro ſeparet quicquid ad rem non facit.

Igitur aurum tot modis perpurgatum ac defæcatum, beneficio Vulcani funditur in Orbes aut maſſulas, transmittiturque in *Hiſpaniam*, vbi deductis in vſum priuatorum quatuor Marcis, quinta quæque Marca ex antiquo conuento cedit fiſco Regio.

De Argento diſquiſitio.

Ab Auro ad Argentum nobis deueniendum eſt, quod ſecundum locum inter omnia metalla ſibi vindicat, tum præſtantiæ ſuæ, tum durabilitatis nomine, quibus virtutibus cœtera metalla omnia anteit. nam & ignium vis conſumtrix huic minimum adimit, & ipſum mallei, Cœlique patiens in formas varias cudi ac cælari poteſt. Colore qui mire candidus eſt, & ſonitu, (nam clarius & acutius multo tinnit) ipſum aurum vincit: aiuntque reperiri loca vbi maius ſit argento precium, maior honor quam auro. Nobis autem rem conſiderantibus veriſimile videtur, plus auri quam argenti procreare Indicum noſtrum ſolum.

Etſi enim argentifodinis multis non deſtituimur, nulla tamen adeo celebris eſt, quæ cum montibus *Potoſi* (ſic eſt loco nomen) vel ſeſe ipſa conferre audeat. Quorum montium cum tanta ſit nominis claritas, tanta in progenerando argento felicitas, non abs re videbitur, ſi eorum ſitum, naturam ac ingenium explicemus.

De argentifodinis famoſiſſimis, in montibus Potoſi.

Igitur Montes illi in *Peruuia*, quibus *Potoſi* nomen eſt, ſiti ſunt in Regione *Charcas* dicta ſub ipſo Tropico Capricorni in extrema prope linea Zonæ torridæ. Nunc æquum erat, ſiquidem altitudinem eleuationis poli conſideres, qui ibi viginti duobus aut circiter gradibus attollitur ab Æquinoctiali linea: æquum, dico, erat, quicquid ibi ſitum eſt terrarum, moderato calore tepere: Sed fallit hic calculus. Venti enim tam frigidum ibi ſpirant, perque menſes quatuor, *Maium* inquam, *Iunium*, *Iulium*, *Auguſtum* tanto furore graſſantur, vt gelu aduſto ſolo, omnis fruticibus atque herbis ſoboleſcendi vis adimatur, terra perpetuo frigore damnata, quæ ob id incommodum ne habitationi quidem humanæ foret habilis, niſi argenti ſacra fames, & ſitis extima habendi nonnullos in illa loca pellexiſſet, qui iam magno numero illic habitant, extructo vico ſatis frequenti ac populoſo.

Potoſi montis facies qualis.

Ipſa facies præcipui montis procul intuentibus apparet obſcura rubedine tincta, forma non iniucunda ſpectatu, quippe quæ tentorium vaſtæ magnitudinis in ſummo acuminatum, aut maſſam Sacchari in apicem faſtigiatam (ſi magna licet componere paruis) referat.

Mons ipſe ob rectitudinem præcipitia minatur adſcendentibus, vt non ſine labore & moleſtia ad ſumma enitaris, vbi in apicem definit, pyramidali facie. Cæterum pedis latitudo ad milliare vnum extenditur. à vertice montis huius vſque ad baſin eius numerantur mille, ſexcentæ viginti quatuor Orgyiæ ſiue perticæ Septempedales. Circa imum huius mundis attollit ſe alius multo minor, in plano velut perfoſſus, ad cuius radicem Hiſpani vicum ſatis amplum moliti ſunt, cuius circumferentia ad duo milliaria continere creditur.

Et haud ſcio, an vllo totius Regni Peruani loco maior ſit hominum affluentia, maior negociatio, vberior mercatura quam in hoc ipſo.

Incredibilis vis argenti è montibus Potoſi eruta.

Quam diues autem etiam vltra omnem hominum fidem ſit hic prouentus argenteus, aliqua iniri ratio poteſt ex libris, in quos quinta Regi debita pars relata eſt. *Licentiato* enim *Polo* præſide prouinciæ, qui multis annis poſt detectas has argentifodinas illic rebus præfuit, factum eſt, vt ſingulis Saturni diebus, centum & quinquaginta millia, detractis quintis pro Regio Fiſco, in rationes referrentur, qui numerus tamen multoties auctus vſq; ad ducenta millia excreuit. Cuius tam vaſti numeri reditus ad regem ſpectantes, quotannis paulo minus quã millionẽ vnũ cum dimidio conficiũt, ſic, vt ab anno milleſimo quingẽteſimo quadrageſimo quinto, quo primũ Theſauri Potoſiani in lucẽ protracti fuerũt, vſq; ad annũ milleſimũ quingẽteſimũ octogeſimũ quintũ (cui ſpacio nõ

plures quadraginta annis intercedunt) *tres Milliones* in fiſcum relati fuerint, vbi tamen non eſt diſſimulandum, mala ſæpius fide actum (quales fere ſunt rationum præfecti) nec tam præciſe, vti conueniebat, defalcatas fuiſſe quintas, quin imo vix ex tertia parte reſpondiſſe ſorti. Cum enim alia multa tum illa inprimis ſilentio oppreſſa ſunt, quæ inter Hiſpanos ac Indos negociantes, velut ambulatorie reciprocabantur.

Fuit autem hæc præcipua ac notabilis argentifodinarum Potoſianarum felicitas, quod etiamſi terram ſubiectam ad ducentas perticas perfoderent, nunquam tamen aqua in viſceribus montium regurgitans, quod in omnibus fere eiuſmodi perfoſſionibus frequens ac vſitatum eſt, moleſtiam vllam foſſoribus creauerit, quæ ſola cauſa extitit, vt fodinæ prædiuites, à Porco nomen ſortitæ, deſertæ iaceant.

Habet autem hic mons venas præcipuæ magnitudinis & affluentiæ quatuor quæ à centro profectæ paulum in orientale latus conuertuntur: poſt in aquilonem & auſtrum diuaricato curſu contendunt, velut de induſtria vtrumque polum petentes. Latitudo earum vbi maxima ſex pedum Geometricorum: vbi anguſtiſſima, vnius ſpithamæ. ab his velut fontibus deriuantur in diuerſas partes aliæ venæ argenteæ, diuerſæ magnitudinis, haut ſecus ac rami ab arboris ſtirpe. Vnaquæque vena peculiaribus foſſis inquiritur, ceditq; diuerſis poſſeſſoribus, à quibus fere nomina ſua ſortiũtur fodinæ. Maxima harum octoginta *Vacas*, id eſt perticas Hiſpanicas continet. qui minimum poſſidet, quatuor obtinet. Non ſunt autem omnes æquali profunditate, cum nonnullæ in vigeſimam quartam, aliæ in ſeptuageſimam, rurſum aliæ in centeſimam ſeptuageſimam, quæ denique vſque in ducenteſimam orgyiam deprimantur. Huic difficultati aliquid remedii excogitauerunt Hiſpani noſtri inuentis (vt ipſi vocant) *Sacabonibus*, qui ſunt cuniculi circa radicem montis à latere acti, qui tranſuerſo meatu pertingunt vſque ad ipſas argenti venas. habent tamen & hæc compendia ſuas quoque incommoditates, cum per viarum diſpendia eo pertingendum ſit, vbi ipſa radix ſiue ſtirps mineralis proprie latet.

Sacabones Hiſpanorum quid.

Eſt autem incredibilis altitudo primum à ſummitate montis vſque ad *Sacabonem*, ſiue cuniculum tranſuerſum, deinde ab hoc meatu ad vſque profunda illa Ditis latibula, ſuperatque centum triginta quinque perticas: hæc altitudo eſt emetienda iis qui indeſinenter deſcendunt aſcenduntque.

Miſeria damnatorum in metallum.

Patet hinc quantum laboris ac ſudoris miſeri mortales huic vni rei impendant, vt argentum, cuius ſiti inextinguibili torquentur, è terræ penetralibus in lucem proruant: adde quod eorum miſeria non mediocriter augetur per denſas tenebras, quibus perpetim inuoluti, fodiendo nituntur & deſudant, ignari quam cœli partem Sol teneat, cuius præſtantiſſimæ lampadis adſpectu priuati, nox an dies apud ſuperos ſit, cum ipſis dis manibus iuxta ignorant. quid quod aerem caliginoſum reciprocantes, vapores terreos gelida intemperie mixtos hauriunt magno valetudinis periculo, quod inde patet, quod qui recens in hoc metallum damnati quaſi ſunt, non aliter ſtomachi malo affecti nauſeent, quam qui primum mare nauigant. Ipſi foſſores, infelicitati natum genus, in ſolamen perpetuarum miſeriarum, labores inter ſe partiuntur ſecundum horas, quibuſdam diurnas, aliis nocturnas horas foſſioni impendentibus. Effoſſa autem materies tantæ eſt duritei, vt malleis prægrandibus ferreis, contuſa confractaque, ita demum humeris certorum baiulorum impoſita efferatur, qui ſuſcepto onere per ſcalas magno conatu id aſportant.

Scalæ è Corio.

Scalæ autem illæ non ſunt è ligneis longurionibus confectæ, ſed ex prægrandibus funibus, è corio bubulo contortuplicatis (vt Plautino vtamur verbo) inque rectum

valide

valide extentis, iisque tribus ordinibus velut textæ, quorum interualla perticis capite tenus inſertis occupantur, quorum beneficio funes ſiue lora illa diſtinentur, vt graduum vſum adſcendentibus & deſcendentibus præbeant, qua ratione fit vt duobus graduum conſtitutis ordinibus duo ſimul adſcendere aut deſcendere queant commode, neutro alterum impediente.



Longitudo autem vnius cuiusque ſcalæ coriaceæ decem perticarum ſeptempedalium eſt, vbi deſinente vna altera incipit, interueniente ſcamno ligneo, in orbem fabricato ad inſtar perizomatis, quod interponendæ quieti deſtinatum eſt. non enim niſi per multas huiuſmodi ſcalas adſcenſus miſeris patet. Singulis hominibus binarum *Arrobarum* (certum genus eſt ponderis) onus imponitur, quod ſacco collectum, dorſoque impoſitum, nodo ſubter pectus faſciam conſtringente, ita baiulant.

Sic terni quaternique ſeſe ſubſequentes ordine adſcendunt, primo velut duce itineris prælucente facem. lychnum enim pollici ſiniſtræ manus firmiter alligatum præfert cum nullo alio lumine ipſis frui liceat. Aſcenſores hi vtraque manu ſcalarum lora tenaciter apprehendunt: ad vitandum immenſæ altitudinis præcipitium, quod profecto ſine horrore ne cogitari quidem poteſt, cum ſæpenumero centum quinquaginta perticæ ſcandendo emetiendæ ſint. Hinc recte ſcripſiſſe *Plinium* intelligimus, dum periculi ac laboris plenam hanc mortalium ſtoliditatem execratur: *Plinius in proœmio lib. 33.*

Perſequimur omnes terræ fibras, viuimusque ſuper excauatam, mirantes dehiſcere aliquando aut intremiſcere illam, ceu vero non hoc etiam indignatione ſacræ parentis exprimi poſſit. Imus in viſcera eius, & in ſede Manium opes quærimus; tanquam parum benigna fertilique, quaqua calcatur. Inter hæc minimum remediorum gratia ſcrutamur. Quoto enim cuique fodiendi cauſa Medicina eſt? Quanquam & hæc ſumma ſui parte tribuit, vt minime parca facilisque in omnibus quæ proſunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atque demerſit, illa quæ non naſcuntur: vt repente mens ad inane euolans reputet, quæ deinde futura ſit finis, ſeculis omnibus exhauriendi eam, quo uſque penetret auaritia. Quam innocens, quam beata imo vero & delicata eſſet vita, ſi nihil aliud, quam ſupra terras concupiſceret, breuiterque, niſi quod ſecum eſt? Eruitur aurum & chryſocalla iuxta, vt precioſior videatur nomen ex auro cuſtodiens. Parum enim erat, vnam inueniſſe peſtem, niſi in precio eſſet auri etiam ſanies. Quærebat argentum auaritia: boni conſuluit interim inueniſſe Minium, rubentisque terræ excogitauit vſum: Heu prodigioſa ingenia, quot modis auximus precia rerum! Et paulo poſt. *Nec hoc fuit ſatis, turba gemmarum potamus, & Smaragdis teximus calices: ac temulentiæ cauſſa tenere Indiam iuuat: & aurum iam acceſſio eſt.* Videmus quo pacto Plinius inſanis hominum foſſionibus, furorem mortalium, qui circa gemmas, ſubnectat: cuius nos filum ductumque ſecuti, de gemmis quæ apud Occidentales noſtros Indos reperiuntur, aliquid dicemus.

De Gemmis America.

Nec enim in diſtributione *Gemmarum* Natura parens hunc noſtrum Orbem neglexit. In Regnis enim nonnullis, puta *Granata Noua*, *Peruuia*, *Porto vecio* aliisque prouinciis, in ipſis ſubterraneis cryptis inter cryſtallos ac lapides metalli feros inueniuntur iucundiſſimi viroris Smaragdi. Et fuit huic lapillo priſcis temporibus ſuus honos ſuumque precium, adeo vt in tertio ordine gemmarum, nempe poſt Adamantem ac Margaritas collocaretur. Cum autem raritas omnes res commendet, vt ille apud Petronium ait:

Quicquid quæritur optimum videtur,

ita factum eſt, ut ob multitudinem noſtro æuo multum de precio dedritum fuerit & Smaragdis & ipſis Margaritis. Quanquam Smaragdorum in his locis tam felix eſt prouentus, vt ad auellanæ nucis, vel quod fidem prope ſuperat, iuglandis magnitudinem acceſſerint, nec idem omnibus color, quibuſdam virorem cum albore confundentibus aliis etiam candidis, pluribus tamen Chryſopraſi æmulantibus mixtam flauo viriditatē. De Regibus Mexicanis perhibent, eos in maximo olim Smaragdos habuiſſe precio, adeo vt in Præcipuæ exiſtimationis Templo illius regni integrę columnæ è Smaragdis coadunatis inuentæ fuerint (ſi fides eſſe debet conſtanti famæ.) qui populi etiam Idolorum ſuorum facies, ſed & ſuos ipſorum vultus impreſſis his lapillis barbarico ornandi ritu ſignauerunt.

Exod. 29. 39.

Conſtat & Smaragdo ſua laus in Diuinis litteris, quæ nomen hoc inter præſtantiſſimas gemmas referunt, quæ ornatui ſummi Sacerdotis Hebræi populi inſeruiuerint, cuius & Sanctus Iohannes Theologus meminit, inter lapides cæleſtis ac nouæ Hieroſolymæ ædificandæ deſtinatos referens. Anno reparatæ Salutis milleſimo octogeſimo ſeptimo relatæ ſunt duæ Arcæ ex India hac in Hiſpaniam plenæ Smaragdis, quarum vnaquæque ponderis fuit duarum *Arrobarum*, ſicut ij retulerunt nobis, qui nauigationi illi interfuerunt ipſi.

De Margaritarum felici prouentu in America.

Expeditis Smaragdis ad *Margaritas* deueniendum nobis eſt, quibus permultæ Noui Orbis inſulæ nobilitantur, vberrima tamen earum captura eſt in littore Oceani Auſtralis prope Panamam, ciuitatem ac Emporium, in inſulis quæ ob hanc cauſam Margaritiferæ dictæ ſunt. Præcipuus autem honos ac exiſtimatio illis quę prope fluuium, cui

à facibus

à facibus nomen impoſitum (de la Hacha enim noſtri vocant) ſalo extrahuntur, cum ob magnitudinem earum, tum ob pręſtantiam, quib. earum precia in immenſum aucta fuere, adeo vt interdum vnus talis vnio aliquot Ducatorum millibus æſtimatus fuerit. Vrinatores, qui illas piſcantur multis laboribus ac periculis ſe fatigant. nam ad perticarum ſex, octo, duodecimq; altitudinem profundo ſe immergunt, quęrentes in fundo oſtrea, quorum in conchis margaritæ latitant, hærentq; aliquando ſcopulis ſubter aquas ſepultis tam tenaciter, vt auelli vix queant. Auget moleſtiam piſcatoris, quod aqua ibi frigidior eſt, quam alibi, corporisq; tepori minus amica. Grauiſſimum autem omnium videtur mora ſubter aquas trahenda, quę nōnunquam ad horæ quadrantem, quandoq; ad ſemihoram extenditur. Ipſe porro vrinator, vt ab reſpiratione abſtinere valeat diutius, parcus admodum eſt, cibiq; pauciſſimi, quem non niſi fere ſiccum aut aridū ſumit, abſtinentq; venere & omnib. ſuperfluitatibus, ne corpus effarciant. Temperantiam enim vitæ ac caſtitatem Margaritarum natura exigit. Extrahuntur autem multis in locis incredibili abundantia, vt ſatis docent nos nauigationes Hiſpanorum anno Salutis milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo peractę, quibus tanta margaritarum vis eſt in Hiſpaniam aduecta, vt Regi ceſſerint pręter Marcas octodecim, arculę inſuper tres vnionib. plenę: priuatorum vero commodis milleducentę ſexaginta quatuor Marcæ, cum ollis non contemnendæ capacitatis ſeptem ad ſummum plenis, quæ omnia ibi ad lancem appenſa atq; ponderata ſunt. Si quis hæc talia priſcis narraſſet, quorum æuo mira vnionum parſimonia, annon pueriles nænias & fabulas Mileſias recitare creditus fuiſſet?

Vnionum ingens copia in nouo orbe.

Iam tandem tempus eſt enauigatis aquis, luſtratisque terræ viſceribus ac theſauris abditis, ſuperficiem Magnæ matris indagare, plantarumq; naturam ac herbarum, leguminum porro ac frugum indolem conſiderationi ſubiicere: qua quidem in re hunc ſeruabimus ordinē, vti primo loco dicamus de iis plantis herbisq;, quas Indiæ noſtræ quaſi quodam priuilegio peculiariter indultas ſibi vendicant, alibi non prouenientes: deinde illas quoque videbimus, quas cum Europæis communes habent.

Igitur plantæ omnes, cæteraq; terra naſcentia, cum ſatis conſtet in vſum atq; alimoniam hominis condita eſſe, panis autem inter nutrientia facile primū locum obtineat: de hoc (pane inquam) primum agendum eſſe videtur, qualē Indi noſtri conficiant, qui quidem pro ratione ac diuerſitate locorum regionumq; plurimum variare deprehendetur. Quicunq; ergo nauigationes in nouum hunc Orbē feliciter ſuſceptas deſcripſere, omnes fere mentionem faciunt frumenti Indici, quod Barbari *Mayz* vocant, alibi vero ſiligo ſiue triticum Turcicum aut Indicum vocitatur. Et ſicut in Europa ſiligo triticumq; in frequentiſſimo vſu eſt omnibus fere populis, ita in orbe nouo frumenti illud genus, quod *Mayz* adpellatur, cōmuniter vſurpatum fuit coquendo pani in omnib. pene terræ firmæ atq; continentis partibus: nec aliud nouit *Hiſpania noua* antiquitus, non aliud *Peruuia*, *Regnum nouum*, *Guatimala*, totaq; prouincia *Chilenſis*. Iſtud autem de Inſulis dici nequaquam poteſt. Qui enim *Cubam Hiſpaniolam*, *Iamaicam*, *Dominicam*, *Sanctiq; Iohannis inſulam* incolunt, vſum huius frumēti Indici, quod *Mayz* dicitur, penitus ignorant, nec quiſquam inter illos eſt, qui ab vltima memoria repetere poſſit, inſulanos pane inde confecto fuiſſe vſos, accedente præſenti documento, quo deprehenditur eos *Iucam* ſuam ac *Cacauim* (vti ipſi vocant) eſitare ſolere. Cedit autem nonnihil *Mayzum* illud Indicum tritico, tum ratione virium, tum facultatis nutritiuæ: grana profert maiora & duriora, gignitque craſſum & copioſum ſanguinem: omnesque quotquot ventrem hoc pane nimis ſaburrant, cum huic cibo non adſueuerint, tumores, ſcabiem, abſceſſusque patiuntur. pro caule aut culmo arundinem habet ſatis validam, ſpicam gignit

Mayz frequētiſſimum frumentum Indicum.

De frumentis Indicis.

craſſiuſculis granis denſe conſitam ea copia, vt ad ſeptingenta numerata fuerint. Non ſeritur hoc granum, ſed foramine in terram depreſſo, iniectum obruitur. Eſtque duum generum: vnum enim per omnia maius eſt ac rudius, alterum tenuius, ſed aridius quoque, quod barbari *Moroche* ſolent appellare. Folia arundinis luxuriantia gratiſſimum præbent equis pabulum: exſiccata quoque vim fœni aut ſtramentorum paleæque præſtant.

Exhibetur in his locis etiam hoc frumenti genus pecudibus, ſed certa cum cautione. potum prius agunt, poſt pabulum obiiciunt: quem ordinem niſi obſeruant, paſto prius pecore quam aquato, non effugiunt iumenta noxiam tuſſim totiusque corporis tumores. Sed eadem vis quoque tritico eſt.

Frumentum hoc Indiæ populis variis modis in cibum vertitur. Magna pars aqua fontana elixum comedunt: alii panes inde coquunt, lagana ac placentas conficientes. Qui ſunt cum re lautiore, toſto eo vtuntur, ſic potiſſimum valetudini conducere exiſtimantes, quod renes iuuet, vrinam cieat, ſuperetque ſapore ſuo toſta piſa aliaque legumina. Quin & potum inde excoquunt, quo prope vnico frequentiſſime vtuntur, eſtque Zythus ille triticeus tantarum virium, vt non minus turbet cerebri facultates inducta ebrietate, quam verus ille ac naturalis Bacchus. Hanc autem cereuiſiam ſuam ita fabricant. Grana mayzi ſui aqua macerant tantiſper, donec emiſſis filamentis quibuſdam germinare incipiant, inde ſublata peculiari quadam ratione torrent coquuntque, hinc emergit liquor potabilis tantæ efficaciæ, vt auidius ſe eo proluentes non tam ebrios quam inſanos furioſosque faciat, humique proſtratos omni rationis vſu ſpoliet. *Mayzum* hoc donec intra glumam ſuam deliteſcit, antequam ſe prodat ſpica, delicati eſt ſcitique ſaporis, id non ignorantibus Indis Hiſpanisque, qui vel toſtum ſuper carbones, vel lacte coctum auide manducare ſolent, alueolis granorum capacibus, ob pinguedinem ſuam occultam, olei aut butyri vicem ſupplentibus.

Potus Auſtralium Indorum.

Panis Cacaui.

In aliis Indiæ noſtræ locis panis loco vtuntur eo quod ipſi *Cacaui* vocant, conficiturque hoc modo. eſt illis præcipuæ magnitudinis radix, *Yuca* dicta, quam orbiculatim conſcindunt teruntque: inde ſuccum ſtudioſe exprimunt, qui præſentiſſimi veneni vim habet, abiiciuntque. quod reſtat tenuem placentam aut ſimile aliquid repræſentat. Cæterum ipſa hæc maſſa ſaporem nullum habet, quanquam boni ſit nutrimenti, valetudinique apprime conducat. Eſitare volentes, niſi prius aqua aut iuſculento aliquo liquore macerent fruſtra erunt, durior enim eſt, aſperiorque, quam vt manducari queat. qui lacte aut mulſo macerare conantur, ludunt operam; nec enim hæc ita penetrant, ſicut in panem triticeum ſolent.

Hic panis ſiue *Cacaui* longiſſimæ durationis eſt, nec facile putredinem aut mucum contrahit, eaque de cauſa nauibus imponitur, vt panis nautici, quem *Biſcoctum* appellamus vicem ſuppleat, importaturq; nauigiis velut genus quoddam mercimonii in multas Inſulas, *Cubam* dico, *Sanctum Dominicum*, *Portum diuitem*, *Iamaicam*, aliasque complures, cum illæ *Mayzum* aut aliud frumenti genus non proferant; quod non fit negligentia colonorum, ſed arui contumacia. nam ſeritur quidem atque plantatur, verum prouentus non reſpondet induſtriæ, cum grana proiecta in ſementem non ſimul erumpant atque germinent, ſed vnum celerius, alterum tardius in herbam exeat, & ſic ob inæqualem ariſtarum maturitatem meſſem ſperatam fallat.

Inſulæ frumenti non feraces.

Qui montana *Peruani* regni colunt, quique prouinciam *Collao* habitant, cum aer illarum regionum nihil mediocre aut temperatum ſpiret, ſed vel nimia ſiccitate, vel frigiditate ſementem lædat, non proueniente *Mayzo*, nec radice *Yuca*, vnde panis coquatur;

defectum

defectum huius alimenti ſupplent alia radice, quam ipſi *Papam* vocant, quæ forma & magnitudine ſua ollam fictilem refert, paucaque folia ab ſummitate emittit. Hanc radicem humo euulſam, ad ſolis radios ſiccant, poſt in fragmenta comminuunt, vnde aliquid veſci, quod ipſi *Chunno* voce barbara vocant, emoliuntur. Hoc, quicquid eſt edulii, in longinquas oras à mercatoribus deuehitur, inde quæſtum facientibus, potiſſimumque illis diuendunt qui argentifodinas Potoſianas accolunt. Eaſdem radices *Papas* virides ac nuper vulſas aqua coquunt, elixasque vel aſſas comedunt. quanquam & alia harum Paparum ſit ſpecies, quæ in locis calidioribus plantata poſtmodum non incelebre edulii genus, quod ipſi ſuo ore *Locro* vocant, ſuppeditare ſolet. *Papa radix loco frumenti*

In Philippinis Inſulis, inque potentiſſimo ac patentiſſimo *Chinæ* regno Oryza in panem vertitur: in Peruuiæ partibus atque regione *Acua* potum inde coquunt, cereuiſiæ Europeæ perſimilem.

Sunt & aliarum radicum, quæ in cibum veniunt apud Occidentales Indos multa genera, quorum quædam attigiſſe ſufficiat, Barbaricis, id eſt, ſuis expreſſa nominibus, cum meliora non ſuppetant, cuiuſmodi illi dicunt *Occas*, *Ianocas*, *Camotas*, *Batates*, *Xiquimas*, *Cocuchos*, *Caui-Totoras*, *Manios* aliasque horridioris ſoni: è quibus radicibus nonnullæ in Europam translatæ, ibique plantatæ ſunt, cumprimis *Batates* quæ ob ſaporis gratiam illic expetuntur. Viciſſim multæ plantæ, fruges ac radices ex Europæ partibus in hanc Indiam delatæ, terræque gremio commiſſæ, ob cœli clementiam ac ſoli benignitatem vberius prouenere, quam in originali ſuo ſolo. *Radices ab Indis in cibum ſumtæ.*

Contra vſu compertum eſt, res ab Indiis in Europam translatas tarde ac maligne ſoboleſcere, raroque fructus optatos proferre. Raparum, Raphanorum, Naporum tanta fuit in hac plaga luxuries, vt occupatis aruis ſua ſponte in triuiis creſcant, tanta copia, vt in illis eradicandis non parum ſit colonis laborandum.

Inter minores præcipui ſaporis ac dulcedinis numeratur primo loco radicula *Cocucho* quæ inter cupedias refertur ac artificioſe conditur. Sunt radices quæ corpus æſtu infirmum refrigerant, qualis eſt *Xiquima*, cuius eſu flagrante Sirio lenire ſitim ſolent, præcipue meſſis tempore.

Nutrimenti autem bonitate & copia nulla eſt omnium radicum Indicarum, quæ cum iis certare poſſit, quas barbari *Papias & Occas* nominant. Inter Europeas vero, quæ in nouo Orbe plantatæ ibi prolificauerunt, primæ æſtimationis apud Indos eſt *Allium*, cui ob eam cauſam tantum tribuunt, quod calefaciat ventriculum eorum, crudis ſubinde cibis ac digeſtionis difficilis ſeſe infercientium.

Ab radicibus ad arbuſta ac frutices deueniendum eſt: nec minor in hoc genere admiratio ac copia, quam in radiceo. De nominibus eorum non eſt nobis magnopere laborandum, cum ipſi Hiſpani plerisque ſuo arbitrio nomina impoſuerint, appellatione ab Europeis deducta, ob ſimilitudinem aliquam quam hæ cum illis habere creditæ ſunt, in qua tamen ſimilitudine multo maxima diſſimilitudo fere deprehenditur, nec ſpecie externa, nec qualitatibus, nec viribus congruentibus. Nam nuces pineæ, quæ apud Indos reperiuntur magnitudine ſua & facie exteriori Hiſpanicis quidem non ſunt abſimiles, ſed intrinſecus magna apparet diſcrepantia. Indicæ enim non diſtinguuntur membranis ſuis interſecantibus, ſed continuum velut pomum exhibent, carne ſolida, & quod manducari totum queat. *Mala Pinea.*

Cortices ac putamina vbi detraxeris, miram exhalabit hic fructus fragrantiam. Vis eius præcipua, vt acuat appetitum ciborum, languentemque ſtomachum excitet. Sapor illi dulcis & calore palatum imbuens. Sumere volentes, in orbes tenues ſecant, aquaq; ac ſale

ac ſale aliquantulum macerant. Creſcunt hæc poma in arundineo calamo è multis foliis proſiliente, ad inſtar Liliorum, quibus & altitudine fere reſpondent. Fructus in ſummitate eminet, creſcitque hoc genus potiſſimum in locis pinguibus, calore & humiditate prædominante.

Cucumis. Sic *Cucumis* Indicus, qualis in *Peruuia* gignitur multum differt ab Hiſpanienſi. nec enim ille viridi colore tingitur, vt iſte, verum pallido aut ſubflauo: neque aculeis horret aut rugis plicatur ſed glaber vndique ac rotunditatis exactæ. quin & plus ſapit ille, poſtquam maturuit, quam hiſpanicus. Creſcit hic fructus vt qui maxime in ſolo temperato, amatque ſine intermiſſione rigari, ſuperatque ſuauitate guſtus mala pinea, abundat ſucco frigidiuſculo, adiuuat concoctionem ventriculi, quem & nimis æſtuantem mediocriter refrigerat.

Frutilla. Inter hæc genera referatur & *Frutilla*, bacca verius quam pomum, nec enim in arbore creſcit, ſed in herba, quæ longo tractu humi extenditur. Sapor accedit ad ceraſorum maturorum gratiam, forma morum pingeret, niſi maior eſſet. Prouenit hoc pomum veſculum ſua ſponte, naturæ liberalitate, hinc inde in campis oberrans. nec tamen recuſat culturam, cum non minus ac aliæ herbæ plantetur ac propagetur ab viuiradice.

Pruna. Pruna autem, quæ nos dicimus, etiam apud Indos fructus ſunt arborei, nec multum ab Hiſpanienſibus differunt. differunt autem inter ſe magnitudine, ſapore, multisque aliis modis. quæ in prouincia *Nicaragua* proveniunt grati ſunt ruboris, vincuntque ſuauitate ceraſa noſtratia, amica valetudini, proiectum edendi amorem inſtaurant, ventriculo bene faciunt, ob quas cauſſas fere morbo calido laborantibus miniſtrantur.

Inter olera ac legumina occurrunt *Friſoles* atque *Palares*, quæ noſtris piſis, ciceribus, fabis & orobo conferre rite poſſis. Sed & noſtri generis piſa aliaque legumina, ab Hiſpanis in Indiis ſata, multo felicius ac elegantius ibi proueniunt, quam in natali ſuo *Melones.* Europæ ſolo: quod idem de Melonibus quoque vere dici poſſit atque peponibus, quorum ea eſt in valle Iuca regni Peruani luxuria vt radix in arbuſti aut fruticis craſſitiem ac firmitatem excreſcat, durante ſtirpe in plures annos, quod in Europa viſum nunquam.

Cucurbitarum ſpecies numerare velle eſſet abutentis ocio ſuo, cum ſint ſupra modum multæ, laſciuiente cœteroquin natura in hoc genere etiam in aliis orbis partibus. Magnitudo plerarumque tanta, vt è cortice omnis generis vaſa ad diuerſos vſus rei Oeconomicæ conficiantur. è minoribus pocula fabricant arte & ingenio naturam mire adiuuante.

De Aromatibus. De *Aromatibus* huius Noui Orbis parce nobis diſſerendum eſt. Neque enim gignunt hæ regiones Piper, Caryophyllos, Cinnamomum, Folium aut Nucem myriſticam. Hiſpaniola Inſula diues eſt *Gingibere* ſed aliunde aduecto: vbi tanta felicitate ſuccreuit, vt incolæ modum eius neſciant, obruti copia: licet in alterum orbem magna vis quotannis hinc exportetur.

Axi herba. Sed *piperis* defectum ſupplet ſpecies quædam aromatica, quam Indi *Axi* ſua lingua vocant, quæ & ſuperioribus ſeculis in magna fuit apud illos æſtimatione, vt mercatores inde rem fecerint. Creſcit hæc ſpecies in conuallibus tepido aere perflatilibus, amatque humectari affuſa aqua, differtque colore, cum & virides reperiantur, & rubicundæ, & ex pallore flaueſcentes. quam autem coloni vocant *Charibben*, citra controuerſiam eſt optima, vritque ac rodit palatum non minus ac verum piper. Reperitur autem & *Axi* quoddam prædulce, cuius ſapor commendatur ab omnibus, odore ad moſchi odorem accedente, Vt verbo rem dicam, Axi hoc præcipuum condimentum eſt inter omnia gulæ irritamenta, quibus barbari vtuntur: concoctionem adiuuat, & eſt ventriculo mire

amicum,

amicum,ſi moderate & cum delectu ſumatur. Quod ſi vel intempeſtiue, vel maiore copia quam conſueuit, cibis miſceatur, magnam gignit in corpore humano intemperiem, cum in ſeſe ſit feruidum, humidumque, ac propterea facultatis penetrantis, offenditque præcipue ætatem paracmaſticam, exſiccando corpus & ad libidines venereas ſtimulando.

Nec *Platanus Indica* Europeæ illi aut Aſiaticæ, de qua veteres totos prope libros ſcripſere, multum ſimilis eſt. Immani enim latitudine foliis prædita adeo vt integrum hominem, quantus eſt, eo tegere poſſis. Expetit aſſidue rigari affuſa aqua, fructus profert ſaporis laudatiſſimi. Cæterum ad vmbram faciendam, parum eſt apta, fallitque in hac, quod de veteri poeta ait: *Platanus Indica.*

Iamque miniſtrantem platanum potantibus vmbram.

nec enim ſubter ea conſidendi facultas datur, neque ſtirpe neque ramis huic miniſterio aptis. Plantata in Hiſpania creſcere recuſauit, quod tamen largiter fecit Aſiatica. Nec inter omnes fructus Arboreos quos India noſtra magna varietate procreat, vllus eſt in frequentiori vſu, quippe qui omnibus in locis edatur, Æthiopibus etiam defectum panis ſuppleat. Totam autem ſubſtantiam arboris ſi conſideremus exigui vſus deprehendemus. nec enim ſtirps eius ad alendum ignem vtilis, nec ad fabricas commoda, cum ſit concaua, ſpongioſa, nulliusque firmitatis. Folia autem ſcribentibus papyri ſiue chartæ ſcriptoriæ vſum præbent.

Hæc igitur Platanus etſi vtiliſſima eſt toti Indiæ noſtrati, qua nec facile carendum ſit: *Cacao* tamen in Regno Mexicano, & *Coca* apud Peruanos multo maiori habentur in precio, cum vtraque etiam ſuperſtitionis organa paganis ſubminiſtret. Eſt autem *Cacao* fructus quidam arboreus, amygdalis aliquanto minor, qui toſtus ſiue aſſatus ſaporis eſt non contemnendi, diſtrahitur hic fructus à mercatoribus quorum ſeruit quæſtui. Sunt & loca vbi nummorũ vicem præſtant hæ *Cacaones* ſoluto pretii nomine ab emtore hoc fructu, idcirco etiam mendicantibus ſtipem, velut apud nos nummulos, elargiuntur. Quin & ex hoc ipſo fructu præſtantem illum ſuum potum, ipſis *Chocolate* dictum conficiunt, cuius tanta eſt apud ipſos æſtimatio, vt advenis atque peregrinis, quos ſingulari honore afficere volunt, hunc potum donatiui aut Xenii nomine offerant. Miſcent autem liquorem hunc varie, ex diſciplina Barbarica, nunc calidum, nunc frigidum exhibentes, condiuntque aromatum non vno genere vt palato commendatiorem reddant. *Cacao & Coca.*

Sed & paſtillos ſiue tabulas medicatas inde fabricant, ſtomacho conferentes, & pectus veteri tuſſi liberantes. Cum autem tanta hæc ac talia præſtet indigenis, peregrini tamen, & qui huic cibo non à puero adſueuere, vix ſine nauſea ſumere poſſunt, adeo & hic valet, *Conſuetudinem eſſe alteram naturam*. Ipſa arbor has Cacaones ferens eſt mediocris altitudinis, ſpecioſa ac amœna viſu, ramuſculis in coronæ modum ſtirpem ambientibus: cæterum tantæ teneritudinis, vt facile ab æſtu ſolis nimio læſa marceſcat, areatq;, cui noxæ auertendæ Indi firmiorem aliquam ac latiorem arborem iuxta plantant, cuius vmbra ac velut patrocinio altera illa tenella defendatur. Hæc igitur arbor ab indigenis non abſurdo nomine *Mater Cacaonis* appellatur.

Coca eſt non pomum, non fructus, ſed folium exiguum, in arbuſcula creſcens, quæ viri altitudinem raro ſuperet, gigniturque in regionibus perpetuo ſole feruentiſſimis. protrudit hæc arbor folia noua ſingulis menſibus, quæ magna cum cura à colonis leguntur, ſunt enim miræ teneritudinis. Compinguntur hæc foliola ſtudioſe atque ordine in fiſcellis vimineis aut iunceis, impoſitaque ouium dorſiferarum, (de quibus poſt audiemus) *Coca quid ſit.*

diemus) ceruicibus,quarum miniſterio maximo numero fiſcellæ illæ, ad aliquot millium inſtar in diuerſa loca deportantur. Eſtque hæc negociatio ingens ac quæſtuoſa, vſque adeo vt ſingulis annis apud ſolos Potoſianos ad dimidium Peſorum *Millionem* inde colligere ſoleant,ſingulis fiſcellis ſiue corbibus quaternis quiniſque Peſis præſentis pecuniæ diuenditis. *Cocam* hanc ore conditam ſubinde dentibus maſticantes, ſuccum ita eliciunt, quem vna cum folio ſiue vehiculo ſuo deglutiunt: eſtque tantarum virium,perhibentibus Indis,vt manipulo harum Cocarum inſtructus Viator,bidui iter conficere poſſit, nullo alio cibo aut potu fultus. Miſcent etiam ſpeciem hanc cum ramentis oſſium ſubtiliter tritis,nonnunquam etiam calce, vnde præcipuum ad ſe redire emolumentum barbari autumant. Qui horum foliorum copiam habet, diues iudicatur; nulla enim res eſt adeo precioſa quam emere non poſſis, numerato æris argentique vice hoc foliolo. Priſci Reges Peruani hunc cibum ſolis regibus conuenientem crediderunt, diisque debitum,vt & Idolis Deaſtrisq; ſuis ſacrificii loco obtulerint, nec quiſquam plebeius homo auſus fuit,Cocam hanc ſine permiſſione *Ingarum*, id eſt Regum,manducare. Conſtat autem hoc folium Indis multo labore & opere,vt de temporis iactura taceamus, repertique ſunt, qui huic curæ cum vitæ periculo indulſerunt, poſtquam è frigidis montium regionibus,quibus innutriti fuerant, in ſubiectas valles perpetuo ſole torridas ſe demiſerunt,non ſane alia de cauſſa, quam vt hanc arbuſculam plantarent,colerent,humectarent. Impulit hæc tot incommodorum inde pullulantium conſideratio præfectos harum regionum,vt multoties hanc arborem è rerum natura tollendam eſſe cenſuerint,accedente hac non vana perſuaſione, Indorum omnem de hoc folio narrationem,deque ſtupendis eius viribus, nulla firma ratione, ſed ſomniis meris ac imaginaria ſuperſtitione niti.

Mirifica arbor Manguay.

Veniamus iam ad *Mirificam arborem*,quæ à barbaris *Manguay* appellatur. Mirificam autem dicimus,ob res diuerſiſſimas,quibus vſui vitæ humanæ commodat, cum aquam, vinum,oleum,acetum,mella,defrutum,acus atq; fila, multasque alias res ex ſeſe gignat ipſa. Nouæ Hiſpaniæ,Regnique Peruani incolæ multum huic arbori tribuunt, velutq; condum ac promum neceſſitatis ſuæ, adeoque inſtructum penu reputant: quam ob cauſam vix quisquam eſt pater familias,qui non iuxta Lares ſuos hanc arborem plantatam colat,indeque neceſſaria vitæ petat. Creſcit autem hæc & paſſim in campis,nec ambitioſa eſt in loco eligendo,vbicunque collocetur,modo ne cultura omnino deſit. Foliis ornatur latis craſſisque,à quorum extremitate aculeata cuſpis prominet, quæ decerpta vſum acus cuiusuis præſtat,aut etiam ſubulæ, ipſa vero cuſpis extrema vulſa netoriam acum repræſentare poteſt,idque eo magis,quod acum hanc longo tractu ſeta quædam velut filamentum ſequatur,quo in conſuendis linteis commodiſſime vtuntur. Ipſam ſtirpem arboream dum adhuc tenerior eſt pauxillum findunt, relicto vulnere aperto,ex quo promanat ſuccus quidam colliquatus inſtar aquæ,potui nō ineptus, frigidam quandam dulcedinem exhibens; quem ſuccum ſi ad ignem poſitum bullire facias, vinum putabis: quod vinum ſepoſitum per tempus,aceti naturam induet. Coctus porro hic liquor defruti aut ſapæ nihil cedet,donec in craſſitiem aliquam ſeu conſiſtentiam coeat,vbi mel merum iurabis. Nec adeo parcus eſt huius humoris affluxus,cum in ſingulos dies aliquot inde ſextarii colligi poſſint. Stirps porro hæc magnum vſum habet in fouendo igne,quem conceptum ſemel tenaciter retinet nutritq; diu.

Tunalis Mexici.

Tunalem præter hæc noua Hiſpania gignit,cuius naturam ac formam longe ab omnibus arboribus ac plantis abeuntem olim mirata eſt Europa,nunc ſerit etiam in hortis propagatque. Hæc eſt autem ratio plantationis huius: Folium vnum terræ ima

ſui

ſui parte impactum radices agit. ex hoc prodit aliud, ex hoc rurſum aliud naſcitur, & ſic deinceps tum recto ordine, tum ab lateribus, vſq; ad ſummitatẽ, ſuperioribus autem emergentibus infima craſſeſcunt informi latitudine, amiſſaq; folii ſpecie ſtirpem prævalidam mentiuntur, aculeis frequentibus inſtar cardui horreſcentem, vnde & apud nonnullos nomen *Cordes*, (quaſi tu dicas carduos) ſortiuntur. ſuntq; duũ generum, manſueti ſiue hortenſes, & agreſtes ſiue αὐτοφυεῖς. Hortenſes cultiq; hi Tunales grati ſaporis fructus generant, ficubus non abſimiles, eosq; duplices, rubeos ac albicantes. Agreſtes autem nihil viſcum proferunt. Eſt & aliud Tunalium genus, ſterile quidem, nec vllos ferens fructus, quo non obſtante, maius huic apud Indos precium, quam cæteris. In his enim naſcuntur vermiculi illi quos *Greios* vocant; natalis locus his ſubter ipſa folia, tectis pellicula, vel tenui membranula ipſum quoque folium cooperiente. Sunt autem non tardi barbari in legendis hiſce vermiculis, vnde conficitur precioſa illa Indica tinctura, quam *Cochenillam* nos quoque appellamus. Eſt autem color miræ pulchritudinis, vnde & illi tantũ apud Europæos precium. Non venduntur hi niſi prius exſiccati aruerint probe, vt ferant ætatem. Diciq; vix poteſt, quantum lucri Hiſpani negociatores, quibus ſoli hi vermiculi mercimonium ſunt, Hiſpaniæ inuehant, quod reddituum regiorum libri & vectigalia, quintæq; defalcatæ clare loquuntur. Cum hiſce vermiculis etiam *Annila* & *Indicũ*, quæ ex herbis quibuſdam confecta, à mercatoribus diſtrahuntur, non alio quam tingendæ materiæ veſtiariæ vſu, vnde ingens quoque pecuniæ vis acquiritur. *Cochenillæ color.* *Annila & Indicum.*

Algodon etiam Xylinon, (ſiue lanam arboream dicamus,) vocant, naſcitur hęc tam in altis quam humilioribus arboribus, locus ſiue cõceptaculum huius lanuginis refert vittam faſciatam. Lætus illi prouentus in locis pręferuidis, cumprimis littoreis, vt & in conuallibus Peruuiæ, Chinæ, alibiq;. differt autem hæc lanugo in hoc, quod quædam eſt tenuior molliorq;, quædam contumacior ac aſperior. Tingunt hanc opifices variis coloribus, inde veſtes omnigenas, ſtragula, abollas & id genus operimenta texentes, haud aliter quam Europæi lanam o villam imbuunt, texuntque.

Diuerſus eſt à ſuperioribus omnibus fructus, qui Americanis *Mameia* dicitur, magnitudine ac ſpecie malum Perſicum noſtrate referens, intra carnes ſuas vnum aut duos coccos complectens. Eſt autem hoc pomum duriuſculum, variatq; ab ſeſe in eo, quod quædam ſunt ſapore dulci, quædam ſubauſtero: Cortex illis durior quam credas; arbor pomum hoc proferens altitudine ac ſpecioſitate commendabilis. hi fructus etiam ad diuturniorem ac ſuauiorem vſum Saccharo condiri ſolent atq; aſſeruari. *Mameia pomum.*

Ab hac differt arbor *Guaiauos* dicta multis modis. nam fructus ea quidem gignit, ſed inutiles. magnitudo ac forma illis qualis minutulis pomis, ſed ſcatent granis, fœtore inſuper nares feriente ac naturam offendente, vnde in nullo numero ſunt apud Indos, quanquam Montes *Inſulæ S. Dominici* harum arborum denſis nemoribus conſiti ſint. Quantum autem referat, vbi quid naſcatur, vel hinc videas, quod in Regno Peruano abiecto omni fætore nihil ingrati ſpirent, ſed odore commendabili ſint, parum negocii ventriculo faceſſentes, quia frigidiuſculæ ſunt naturæ, ac concoctu faciles. *Guayauos arbor.*

Eſt & alia ſpecioſa ac valida arbor, cui *Palto* apud Indos nomen, denſis ac frequentibus ramis, in quibus hærent fructus ad pyri ſimilitudinem, qualitatis calidæ, carnis adeo teneræ, vt mollitie butyrum recens ac dulce fingant, colliqueſcente medulla in ore comedentis. in medio latet nucleus ſiue coccus grandior, quam pro quantitate pomi, cuius vſus quis ſit non conſtat. Sunt tamen hæc poma in *Peruuia* multo maiora, corticis cõtumacioris, qui iccirco omnino ſublatus abiicitur. Cõtra in *Prouincia Mexicana* idem hic fructus putamine tenui operitur, quale fere eſt communium pomorum, caro autem illi mediocris caliditatis, & ori grata admodum. *Arbor Palto.*

Cydonia mala Indorum. Sunt & ſua Indis noſtris *Cydonia mala* ob ſimilitudinem à nobis ſic dicta, cum barbaris *Cichocapotes* nominentur. ſuperant hæc præſtantia & ſuauitate ſua omnes totius Hiſpaniæ fructus arboreos, quare & inter bellaria primum locum obtinent, menſiſque ſecundis in magnatum conuiuiis inferuntur. amant autem præcipue loca ſolis radiis expoſita.

Annonæ fructus. Ad quam laudem nequaquam accedunt *Annonæ* incolis dicti fructus, qui & ipſi pyri quantitatem ac formam pingunt, oblonga ſpecie, medulla molli inſter albiſſimi butyri, ſapida, ſed granis nigricantibus vbique intercedentibus, quæ res facit vt à ſuperiore ſpecie longe ſuperentur, licet odore ac ſapore ſint non ingrato.

Capolies. *Capolies* quas Indi vocant, noſtri maiora ac minora ceraſa autumant, quibus & ſpecie, & guſtu, & coccis ſiue lapillis ſunt quam ſimillimæ: magnitudine tamen, & dulcedine ſaporis aliquo modo antecellunt. Et vt narrationem contrahamus, cum & arborum & fructuum hiſce Indiis peculiarium nullus ſit finis aut numerus, nec nobis commodum, nec lectori gratum admodum fore opinamur, ſi tempus omne in his teramus: Contenti igitur de paucis quibuſdam adhuc diſſeruiſſe à cæteris abſtinebimus.

Palmæ Indicæ, cocos dictæ. Ergo *Cocos* primum expediamus. Sunt autem ita dictæ arbores quædam altæ proceritatis & firmitatis egregiæ, quas ob ſimilitudinem & conuenientiam *Dactylos* ſiue *Palmas Indicas* appellare viſum eſt. Ferunt hæ fructum ſibi cognominem (nam & Cocos vocitant Indi) nucis nomine appellatum, è cuius cortice pocula fiunt eius facultatis vulgo credita, vt venenis reſiſtant, & lienis preſſuras mitigent. Medulla autem ad maturitatem perducta, poſtquam arida facta eſt, caſtanearum maturarum ſaporem refert: donec in arbore hærent hæ nuces, interanea earum parum à lacte differunt, bibiturque hic ſuccus perfoſſo cortice magna cum voluptate flagrante Seirio & ſole aſſo. Eſt autem mire fœcunda hæc arbor, cum ſingulis menſibns pariat, nucesque magno numero ferat. Mirere tamen mecum & hic Naturæ prouidentiam. nec enim ſimul ac ſemel, ſed alternis rami fœcundi ſunt, quieſcentibus nonnullis ac ſe recolligentibus. Nuces hæ quantitatis eius ſunt vt à Melone media ſui parte ſuperentur. Eſt autem & aliud genus harum nucum, quod in Prouincia *Chile* procreatur, bonitate ſuperiores illas ſuperantes, non magnitudine: exactioris quippe rotunditatis ſunt, multoque minores, inuento ab hac differentia nomine. *Coquillos* enim eas vocant, quaſi tu coculas aut nuculas dicas.

Cocos de Andes. Tertium harum nucum genus à ſuperioribus multum diſcrepans, *Cocos d' Andes* accolæ illorum montium vocitant, quarum medulla ſiue nucleus non eſt ſubſtantia continua, ſed in multa velut oſſa, aut nuces peculiares diſtincta, quæ amygdalas plane referunt, quarum is eſt ſitus atque collocatio, qualis granorum aut ſeminum in Malogranato. Vincunt autem hæ amygdalæ quantitate triplici amygdalas Hiſpanienſes, guſtu ſunt paulo duriores, magis oleaginoſæ atque humidæ. Condiuntur ad varia tragemata & cupedias, ad lagana, tortas, panem Marcium & eiuſmodi delicias. ſumuntur & quandoque ex aceto. Cortex autem tantæ eſt contumaciæ, vt vix ictui lapidis aut mallei cedat, adeo tenax eſt ſuæ bonitatis. Nec enim temere in vniuerſa hac India reperias fructum vllum naturæ amiciorem & ſalubriorem hiſce nucleis. Nouit hoc natura ſagax, præſtantiamque amygdalarum harum inuidia quadam duriori teſtæ incluſit, aculeisq; inſuper quibuſdam armauit, quales fere caſtanearum videmus pelliculas horrere.

Cercopithecorum aſtutia. *Cercopithecos* perhibent has nuces ſummis deſideriis appetere, cum autem nec illud Comici ignorent:

Nucleum eſſe qui volt, nucem frangat oportet:

Et vero aculeos formidet verſutum hoc ſimiarum genus, iactando ad ſaxa efficere aiunt, vt ſoluta iuncturarum compage ſperatis fruantur gaudiis: quod quidem eo facilius fidem inuenit, quod conſtet, aridas haſce amygdalo-nuces (dicamus ſane ita) ſolui facilius poſſe, abſumto humore tenacitatis cauſa.

Sed & nos cum Cercopithecis hiſce deſcendamus ab arboribus, ac humiliora legamus: videamus inquam cætera magnæ Matris dona, Indiæ terris liberali manu collata, theſaurosque Floræ ac Chloridos reſeremus, vbi tantam deprehendimus florum copiam & varietatem, quantam vix alibi. Neque enim vlla gens amore florum plus inſanit, quam illi Indi, qui regnum Mexicanum, (nunc eſt Hiſpania Noua) incolunt: qui & in plicandis corollis ac ſertis connectendis ſummi ſunt artifices, quæ ſerta, quasue corollas magnis viris, peregrinisque ac hoſpitibus offerre ſolent, honorem eis hoc modo habentes. Moderni Indi etiam importatis ex Hiſpania floribus vtuntur, cuius generis ſunt Roſæ, Lilia, Hiacynthi, Narciſſi, violæ, vettonicæ cum aliis plerisque: non quod ipſi ſuis natiuisque deſtituantur, quos magno numero, incredibili colorum varietate & pulchritudine Terra India gignit: ſed quod hi plerumque aut odore ſunt nullo, aut nimis penetrante, cerebroque inimico. Non deſunt tamen etiam quos gratus odor commendat, quales ſunt flores arboris *Floribundæ* (ſic enim dicitur) qui candore cum Liliis certant, magnitudine vero illa vincunt, forma campanulam ſiue nolam exprimunt. nec alius huic arbori prouentus aut fructus. totum annum continuo floret; quam ſi mane adeas, cum ſole nondum orto egelidus ros terram operit, miraberis fragrantiæ ſuauitatem & nouitatem. *De floribus Indiæ.*

Eſt & in precio ac honore apud illos flos *Iboloſuchil* indico nomine dictus, florem Cardiacæ herbæ referens odoris prope violenti.

Flos Solis Indicus eſt ex genere Heliotropiorum, ſolem enim ſequitur, & velut contemplatur quocunque curſum vertat; cæterum præter ſpeciem, qua ſola placere poteſt, nihil eſt, quod in hoc flore commendetur, ne odor quidem, qui fatuus, imo nullus eſt. *Flos ſolis.*

Qui, quo minus habet gratiæ ac dignitatis, tanto plus admirations ineſt Flori *Granadillæ*, qui ob incredibilem ſui naturam dignus ſane eſt vt fuſius deſcribatur. Narrant enim, pleraque omnia inſtrumenta paſſionis Dominicæ in hoc flore aperte conſpici, qualia ſunt claui, flagellum, columna, corona ſpinea, lancea, immo ipſa quoque vulnera. quæ, qualia ſint nos iam in medio relinquimus: de odore certe non multum habemus dicere, cum ſit perexiguus. at fructus, qui florem ſequitur, vbi maturuit in cibum & potum vertitur, refrigerat æſtuantes, ac oblectat dulcedine eximia. *Flos Granadilla memorabilis.*

Albahaca vero, quanquam inter flores numerari non debeat, cum non niſi ſimplex herba ſit: propter odoris tamen iucunditatem, & oblectationem quæ inde percipitur, in viridariis eorum anthiſteriisque locum inter flores inuenit, fuitq; olim inter res precioſas; nunc cum nimium ſtudium herbæ huius culturam duplicauerit, paſſa eſt, quod multæ aliæ res, quas viles copia facit. *Albahaca.*

Porro quanto ſtudio erga flores ac herbas odoratas & priſci Indi & hodierni ferantur, vel hinc cognoſcere poſſis, quod in ſolemnibus ſuis feſtiuitatibus, ludis, choreis, triumphis vtrasque manus floribus complent, quod & Reges eorum priſci ac nobiles in magnificentiæ ſuæ oſtentationes factitauerunt, vnde fit, vt ataui horum, vbicunque depicti ſunt, fere floribus ornati ac onerati viſantur.

Conſequens nunc eſt, vt de rebus medicinæ inſeruientibus, quæque ad pharmaca conficienda his in terris gignuntur, quædam dicamus, inter quas *Balſamus* primum locum iure ſuo obtinet.

De Balſamo Indico.

Cæterum *Balſamus* ille qui ex Occidentali India in Europæ partes exportatur, haud quaquam exiſtimandus eſt verus ille ac ſcriptoribus tantopere decantatus liquor, ſed ne ſimilis quidem genuino illi, qui ab Alexandria vel Cayro, cæteris regionibus inter peregrinas merces impertitur, cuiusque prouentu ſola olim Iudæa (cum pauciſſimis aliis) gloriata fuit. Frutices enim ſiue arbores vnde fluere dicitur vterque, multum inter ſe differunt. Nam quæ Palæſtinæ propria eſt, (quantum ex deſcriptione colligitur) aliquam cum vite ſimilitudinem habet, vnde & Hebræorum idiomate locus huius arbuſculæ ferax *Engaddi* in ſacris vocatur, ob affinitatem quæ illi eſt cum vite.

Cant. Cant. 1. Plinius lib. 12. cap. 25.

Contra arbor illa Indica, vnde Balſamum ſuum colligunt, eſt eiuſdem cum Malogranato proceritatis ac firmitatis, nihilque habet cum vite commune. Quanquam Strabo arborem illam fere ad eundem modum deſcribat, cuius ſucco magnas virtutes tribuit, ob odoris præſtantiam & vim admirabilem ſanandi vulnera, quas poteſtates quidem omnes non minus in Balſamo Indico deprehendimus. Et ſicut nobilis ille & priſcis notus Balſamus vulnerato fiſſoque leniter breuibus inciſuris cortice elicitur; ad eundem quoque modum liquor hic Indicus è ſua arbore fluit, niſi quod maiori copia & lacrymis vberioribus manat. Purus ſincerusque, ac quaſi gemmeus liquor *Opobalſami* nomen inuenit. Quo multis modis imperfectior ac vilior eſt, qui è ligno ſucciſæ ſtirpis, corticibus ac foliis exprimitur. *Xylobalſamum* dicunt, nomine ab re impoſito.

Strabo lib. 6. Geograph.

Opobalſamum.

Naſcitur autem potiſſimum hic Balſamus in Prouincia *Guatimalæ* vt & in *Chiapa*, aliisque paucis locis. Qui vero cætera omnia genera longo poſt ſe relinquit interuallo, virtute ac facultate pollens, affertur ex Inſula *Tolu*, non procul à continente ſita iuxta vrbem *Carthagenam*. Color ibi albus, quamuis Plinius rubenti primas tribuat, ſecundas albo, tertias viridi, quartas fuſco. Strabo contra album cæteris anteponit omnibus, cui ſcriptori & noſter ſuffragatur calculus. Mirandum autem valde eſt, priſcos Indos tam parui olim feciſſe hunc Balſamum, cum tamen vires eius conſolidandi vulnera non tantum non ignorauerint, ſed & ipſos Hiſpanos vſum huius fluoris edocuerint.

Plin. lib. 12. cap. 25.

Liquidambra.

Balſamum ſequitur apud noſtros Indos *Ambra liquida*, cui & nos primum locum poſt illum damus, ſi noſtro iudicio ſtatur. Eſt autem ſuccus alicuius conſiſtentiæ, quam ſuapte ſibi natura acquirit, gratiſſimi odoris, qualitatis calidæ, frequens eius vſus in odoramentis aut ſuffimentis. nec minus tamen ad vulnera ſananda, aliasq; infirmitates curandas efficax.

Nec ſtat in his opulentia Terræ Indiæ. Aliæ permultæ hic ſunt ſpecies Gummios, ſuccique arborei, aut lacrymarum, cuiusmodi ab Indis recenſetur longus catalogus, interque ea *Copal* & *Suchi-copal*, quæ duo ſtyraci & thuri conferunt rei Aromaticæ periti, ob parem odoris ſuauitatem.

Præter hæc in vſus medicos quæruntur *Tacamahaca* & *Caranna* cum fiſtula *Cannæ* vt & radix *Salſa-parilla*, cuius poſtremæ vel ſolius innumera pondo quotannis in Europam exportantur.

Lignum Guaiacum. Lignum Braſilienſe. Radix Mechoacan.

De Ligno Guaiaco prolixius dicere non ſuperſederem, niſi vſus eius in curanda lue Gallica ſiue Malo Neapolitano (ſi hoc mauis) iam dudum per vniuerſam decantatiſſimus foret Europam. Miranda tamen eſt grauitas huius ligni, qua vix ferro (quo ad pondus) cedit, nec aliter in aquis ſubſidit.

Nec non lignum Braſilienſe exquiſitiſſimi ac prope ſcintillantis ruboris. In quam claſſem etiam referuntur, quæ paulatim in Antiqui orbis notitiam perueniunt, centuriæ aliquot ſimplicium ſpecierum; cuius cenſus ſunt, *Radix Mechoacan*, *Piniones de Puna*, *Conditura de Quanuco*, *Oleum Higuavillæ*, *Tabacum*, *Petum* & id genus multa alia, quæ ſi ab erudita manu & miſcendi perita præparentur; & à conſiderato ac verſato Medico iuſto tempore exhibeantur, experiemur profectò, non minorum eſſe virium aut efficaciæ, quam Trochiſcos aut vllum aliud medicamenti genus, quod ab Orientalibus Indiis aliisque regionibus ambitioſe & ſumtuoſe ad nos adfertur. Quiſquis autem ampliori flagrat deſiderio cognoſcendi vires ac potentias plantarum herbarumque Indicarum, nec non aliarum rerum, quas medicorum curioſa diligentia inde vſque arceſſere ſolet, is, me conſultore, euoluat laudatiſſimum opus Doctoris Franciſci Hernandes, viri exquiſitæ diligentiæ, in quo circiter mille ducentas ſpecies modicatas, non tantum ſtilo ſed & penicillo ſuo deſcripſit, ac velut viuas lectoris oculis ſubiecit.

Etſi autem herbarum, fruticum atque arborum, quæ de regione alia in aliam translatæ, humana induſtria & ingenio interueniente transplantantur, ingens ſit numerus: multo tamen maior copia eſt earum, quæ natura Mater ex ſeſe genuit, ſuoque potius quam hominum arbitrio & ſententia procreauit. Harum autem ſponte naſcentium varietas multo maior eſt in Nouo hoc orbe, quam in Antiquo: cuius rei cauſa, niſi fallimur, iam ante à nobis allata hæc eſt: quod præter opinionem & ſententiam veterum qua Theologorum, qua Philoſophorum, Occidentalis hæc Indiæ pars non ſit torrida & exuſta, ſed calida ac humida, vnde tanta ſolo laſciuia ac gignendi libido vt in progenerandis innumeris vegetabilibus mirum in modum luxuriet: vt multis in locis ob nimium harum rerum prouentum, quibus extirpandis nulla humana induſtria, nullus labor ſatis fuit, ipſi mortales habitatione excluſi, ſolum vertere coacti ſint. Eſt & compertum, noſtros homines quandoque ſex dierum ſpatio vix vnum milliare conficere potuiſſe, ſyluis minime peruiis, arborumque ſtirpibus multo grandioribus, quam vt ſecuribus aut dolabris ſubrui poſſent. Aiuntque nonnulli, aliud iter ſibi non patuiſſe, niſi quantum conſcenſis arboribus per denſiſſima nemora reptando ac ſaliendo emetirentur. Arborum autem nomina inquirere in tanta ſyluarum multitudine & vaſtitate, eſt arare littus maris: Cedri primum, cuius tanta fuit apud veteres exiſtimatio & gloria, hic tanta eſt abundantia, vt vileſcat. nec enim ad ædificia ſolum, ſed & ad fabricandas naues ſeruire iubetur: videasque ibi quaſdam albas, quaſdam grato rubore perfuſas, ligni ſunt odorati & durabilis. Magna harum vis in *Andibus*, montibns *Regni Peruani*, vt & in cæteris terræ firmæ partibus, in *Nicaragua*, *Hiſpania Noua*, atque adeo in Inſulis. *Cedri in India.*

Italiæ laureta hic conticeſcere pro imperio iubeo. tantæ enim proceritatis lauri, tantaque frequentia hic luxuriant, vt qui centeſimam partem viderit omnes illas facile contemſerit. Idem dictum eſto de palmetis platanonibus & quercetis. Eſt & prægrandis arbor, ipſi Indi *Ceyvas* vocant, (apud nos nomen nondum inuenit) è cuius ſolido ligno integras Cymbas ſiue lintres piſcatorios conficiunt, magno ſane compendio. *Lauri, platani Quercus.* *Ceyvas arbor.*

Ex regione *Guaiaquil* afferuntur immanis altitudinis cannæ arundineæ, quarum ſingula internodia ſingulas Bottigias (ſiue Menſuras Hiſpanicas) capere creduntur, tantæque ſunt valentiæ, vt ad ædificia fabricanda adhibeantur. Arbor *Mangles* dicta, ſuppeditat malos nauibus duplici iure, & quia procera ſatis eſt, & quia tanta durities ac firmitas ligno quanta vel ipſi ferro. *Molle* vocatur alia arbor cuius magnus in vita humana vſus, inter quos hic non poſtremus putatur, quod uvarum genus quoddam profert, è quibus Indi liquorem vini æmulum exprimere norunt. *Manges & Molle arbores indicæ.*

Vt autem ea quę ſupra de immani arborum Indicarum vaſtitate recenſuimus, fidem apud lectorem inueniant, narrabimus ei inſuper, in territorio *Tacochauienſi* tribus milliaribus ab oppido *Guaxaca* erectam adhuc ſtare arborem, concauam quidem nec ſolidam. Cuius concaua conuexitas intrinſecus in circo nouem Orgyas ſeu perticas ſeptẽpedales conſtituat, exterior autem circumferentia haud longe ſupra radicem, ſedecim, & aliquanto altius duodecim. Fulmine cœlitus percuſſa fuit hæc tanta arbor, fiſſaque illa violentia multum detrimenti cepit. Ante hoc incommodum, viuax valensque mille hominib. ſufficientem vmbram ſuppeditauit. Sub hac arbore priſci Indigenæ celebres conuentus ſuos habuerunt, Choreas agitauerunt, feſta celebrauerũt, inq; iis multa ſuperſtitioſa barbarico more patrauerunt. Qualis aũt illa ſit arbor, & ex quo genere, nemo hactenus fuit, qui dicere certo potuit. Quod ſi quis ex eorũ numero, qui nihil credunt niſi quod ipſi viderint aut capere poſſint, pro fabuloſo cõmento hæc habeat: adeat is quæſo Naturæ myſtam, *Plinium*, legatque quæ de Platano in Lycia memoriæ prodidit, cuius concaua capacitas fuit vnius & octoginta pedum Geometricorum, cuius rami ſiluam repræſentauerint, cuius vmbra totum campum inumbra verit.

Plin. lib. 12. cap. 1.

Nullum genus ex omnibus quæ ex antiquo Orbe in novum delata ſunt, quæſtuoſius fuit Indis, quam plantæ ac pleraque terra naſcentia. Quicquid enim ex Hiſpaniis in haſce Occidentales Indias delatum plantatumque eſt, felicius provenit, & maiore cum fœnore compenſat culturam, quam in ſolo natali: quod ſatis clarum eſt in malis Aurantiis, Limonibus, malogranatis ſiue punicis, pomis citriis, & quæ cum his ſunt eiuſdem generis. De leguminibus autem atq; oleribus hoc non ita in vniverſum capi velim, ſunt enim quædam, quæ in Europa maiore vbertate prouenerunt quam in India. Triticum, ordeum, lactucæ, betæ, omniaque olera, itemque piſa, fabæ, lenticula, ervum, caules, cepæ, allium, porrum, petroſelinum, rapæ raphanique: hæc inquam omnia ex Hiſpania eo delata ibique plantata, non vno eodemque modo prouenere: quædam etiam ſpem villici plane eluſerunt. Inuenias ingentes ſaltus è meris pomorum Aurantiorum arboribus ſponte enatis. Poſtquam enim illa poma nimia maturitate caduca facta humi computruerunt, ſemina è pomis prolapſa molle ſolum nacta radices egerunt, ac in arbores tandem euaſerunt. Huic felicitati creſcendi multum confert terræ ingenium, quæ calida & humida ſupra modum accommoda eſt huic arborum nationi.

De reb. transplantatis ex Europa in Indiam.

Ficuum prouentus eſt hic copioſiſſimus, nec minor ſane pomorum ac pyrorum: non idem ceraſorum, vt nec amygdalarum, auellanarum nucum ac iuglandium, & quicquid duro cortice tegitur, carent & adhuc caſtaneis.

In regnis celeberrimis *Peruuiano* & *Chilenſi* etiam vuas legunt vinumque è vitibus lectum conficiunt (non quale ſupra de arboribus diximus,) ſaporis non inſciti. Non ſunt autem multi anni elapſi, ex quo primum culturam vinearum didicerunt, creſcitque vt apud colonos ſcientia colendi vineas, ita quoque prouentus ipſius vini. quamuis enim aut raris aut nullis omnino pluuiis humectetur ſolum, aqua tamen è paludibus aut foſſis in eum finem depreſſis hauſta rigantur vites, vt ſolis æſtum ferre poſſint.

Quæ cum ita ſint, magnum tamen eſt vini in his oris precium, vt, quod mirandum eſt, vna menſura vini Indici ſex Ducatis nummis vendatur, cum vinum Hiſpanicum eadem menſura duplo veneat, nempe duodecim. In vrbe Cuſco, quæ alter velut oculus eſt Regni Peruani toto anno vuæ reperiuntur, quæ res admiratione non caret: qua ratione etiam in aliis huius regni partibus arbores inuenias, quæ per integrum annum fructibus ſunt onuſtæ, ſed variante per vices naturæ ſolertia. Priore enim ſemeſtri in vno latere, poſteriore in altero fructus ferunt.

Serico

Serico etiam ante Hiſpanorum aduentum caruerunt Indi, quo & ipſo tamen Mexicani Regni incolæ abundare incipiunt, quando Mori arboris magna eſt frequentia & felicitas, vnde vermiculis ſerici fili artificibus victus: inprimis in regione *Miſtica*, vbi magna bombycum copia alitur filumque ſericum optimum conficitur, argumento abundantiæ vel hinc petendo, quod magna vis ſericæ materiæ veſtibus aptæ ibi conficiatur, quæ cum Europæis & Aſiaticis bonitate certare poſſit: etſi meminiſſe in præſens non poſſumus, vtrum & holoſericum ibi textum hactenus fuerit. *Bombyces & ſericum in India.*

Creſcit & Sacchari negociatio multis modis, mercatoribus magnam eius copiam deſtrahentibus, Inſula *San Dominici* non tantum Sacchari magnam vim, ſed & emporia huic mercimonio diuendendo ſuppeditante.

Sed & Oliuarum minime ſteriles ſunt hæ terræ. nam & in *Prouincia Mexicana & Peruana* affatim reperiuntur, è baccis tamen earum ſiue fructibus oleum non faciunt, ſed eas in cibum vertunt, exiſtimantes plus impendendum trapetis cæteriſque inſtrumentis quibus Mineruæ hic liquor exprimitur ſumtuum, quàm oleum expreſſum refundere poſſit. Ne autem careant Oleo, ex Hiſpaniis à mercatoribus eo defertur ac diuenditur. *Oliuæ Indicæ.*

Et hic finis eſto diſſertationis noſtræ de Arboribus, fruticibus, plantis, floribus, herbis, quas vel Peculiares ſibi habet India noſtra occidentalis, vel cum aliis communes. Nunc deinceps etiam de animalibus dicendum erit.

Igitur *animalia*, quæ hoc æuo Nouus noſter Orbis alit, in tres claſſes partiemur; in prima collocantes ea, quæ ab Hiſpanis in Indiam importata ſunt, antea ibi non viſa: In ſecundam ea referemus quæ in India nata Europæis tamen ſimilia ſunt: In tertiam ea conſcribemus, quæ in India nata ſed ſoli huic hemiſphærio peculiaria ſunt. *Animalia noui Orbis.*

Primum igitur genus eſt eorum, quæ Antiquus orbis nouo communicauit: in his *Cerui*, qui ibi fere ſine cornibus; *oves, boues, capræ, porci, equi, aſini, canes, feles*, cum pleriſq; aliis. Minorum pecudum greges, cum primis Ovium, vehementer aucti ſunt ob pabuli bonitatem & vbertatem, vnde & lanæ & pannorum laneorum magna ibi negociatio: Panni tamen Hiſpanienſes in maiore gloria præ Indicis, cum & lana illa hac ſit mollior, nec hi tam ſolertes ſint in iſta carminanda, ducenda, texenda quam illi.

Præter boum vaccarumque armenta, quæ magno numero in illis locis paſcuntur, etiam Taurorum ſilueſtrium frequens ibi eſt venatio, cum nemo illos ſibi priuatim vindicet, ſed vt cæteræ feræ omnes communi iure venatori cedant, ſiue is ingenuus ſit ſiue ſeruus. Ergo ſternuntur magno numero, non quod eorum carnes tantopere expetantur, cum manſuetarum pecudum caro illi præferatur, qua abundant etiam ad ſuperfluitatem: Sed vt potiantur tergoribus. Vnde negociatorum coriariorum in Hiſpania Noua ingens multitudo & quæſtus incredibilis, quod vel hinc colligas, quod anno poſt natum Seruatorem milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo in Inſula San-Dominici triginta quinque millia; in noua vero Hiſpania ſexaginta millia trecenta ac quinquaginta coria, bobus vacciſque detracta, nauigiis impoſita atque inde aſportata fuerint. Sed & ſæuum caprinum illic inter merces vendibiliores, quo tam pauperum quam diuitum ordo ad lucernæ alimoniam vtitur, cum precium huic quam Oleo multo tolerabilius. Pelles caprarum præparantur ad ocreas, calceos, peras, & alia vitæ humanæ adiumenta è corio fieri ſueta. *Boum Vaccarumq; mirus prouentus.*

Equarum itidem crebrior & felicior partus ac incrementum maius quam in Hiſpania. Aſinorum parcior ibi vſus quam mulorum. Camelos quotquot ibi inveneris, ſcito, ex Canariis Inſulis in has oras, cumprimis in Peruuiam nauibus deferri.

Canes ex Hiſpania in Indiam translati efferantur.

Canes in Hiſpaniola Inſula generoſi magnique creantur, quorum multitudo tanta, vt inſtar luporum in greges & armenta latrocinia exerceant, magno cum paſtorum detrimento, qui & illos ſtrenue perſequuntur, ac deprehenſos haud ſecus quam lupos è veſtigio trucidant: quin & præmia conſtituta iis, qui hos latrones quocunque tandem modo è medio tollunt, degeneres quippe & transfugas. Fuerunt & ante Hiſpanorum in Indias nauigationes ibi catelli quidam admodum parui, quos tantopere barbari in deliciis habuere, vt quocunq; irent dorſo impoſitos (velut nobiles Matronæ Melitenſes) animi gratia circumferrent.

Secundum genus eorum animalium eſt, quæ cum in Indiis reperiantur, magnamq; cum Europæis habeant affinitatem, ab Hiſpanis importata tamen haud ſunt, ſed ibi velut in natali ſuo ſolo nata, antiquam tuentur patriam. In hoc cenſu ſunt *Leones, Tygres, Vrſi, Apri, Vulpes*, cum nonnullis aliis eiuſdem ferociæ & rapacitatis. Quo pacto autem noxium hoc genus ex antiquo in hunc orbem deuenerit, in ſuperioribus puto nobis abunde dictum eſt. *Leones* Indici in hoc ab Africanis Aſiaticisque diſſentiunt, quod colla eorum iubata non ſunt, quod colore fere ſunt cinericio, quod non ea ſunt rabie & truculentia. Indi venantur eos, captosque fuſtim interimunt, aut lapidum iactu trucidant: qui vt inſtans fatum effugiant, arbores aliquando conſcendunt, vnde iaculis, arcu, aut haſtilibus manu miſſis deiiciuntur. Multo maior *Tygribus* ſæuitia & cædis amor, curſus eorum quanto celerior tanto periculoſior: in quibus hoc præcipue notandum, quod neſcio qua ratione Indos maiore odio proſequuntur, acerbiusque illis inſultant quam Hiſpanis.

De tertio genere, quod eorum eſt, quæ neque Indiis ab altero orbe importata, neque cum antiqui orbis animalibus quicquam commune habent præter vitam ac beſtialitatem, ſcribere, res eſt ſolliciti plena laboris, nec perinde, vt putatur in expedito. Si enim à Creatore in his terris creata fuerunt, non eſt quod ad Arcam Noachi recurramus: nec ſane operæ precium fuiſſet ea animalia Arcæ incluſa à diluuii panolethria ſeruare, ſiquidem poſtliminio creanda demum fuerunt: quod quidem nec rationi nec ſacris litteris conſentaneum, cum ſatis conſtet, Deum ſex diebus totum hoc vniuerſum cum omnibus quæ in eo continentur, creaſſe, & ab opere ſuo ſeptimo die quieuiſſe. Si igitur ſic ſtatuimus: omnia animalia, quorum ſupra mentio facta, in Arca Noachi ſeruata fuerunt; ſine dubio ſequetur, etiam hęc animalia, quæ Indiæ noſtræ ſunt peculiaria, ex antiquo Orbe in hunc nouum deueniſſe. Cæterum nodus hac ratione ſolutus nondum eſt. Oritur enim noua quæſtio, qua ratione factum ſit, vt totum hoc genus beſtiarum Indicarum deſerto veteri orbe, vniuerſum in Indiam Occidentalem commigrauerit, ibique ſedem ac domicilium delegerit, quo tamen peregre aduenerat. Nos quæſtionum huiuſmodi aculeos peroſi, in tanta obſcuritate ſimpliciter reſpondendum putamus: Finito diluuio ac deterſa illuuie terra priſtino ſuo nitori reſtituta, egreſſis à latibulo illo ligneo animalibus, vt cuiusque natura tulerit aut ingenium, ita ſibi terram delegiſſe, in qua quam commodiſſime viuere poſſet. Ita quoque videmus in veteri orbe, diuerſa animalia diuerſas quoque regiones incolere, nec omnia in vno eodemque ſimul viuere regno, ſed in aliis quidem inueniri, quæ in aliis non reperiantur, niſi ſtudio eo translata alantur. quid quod compertum vſu eſt, animantia quædam in alias regiones delata, ibi ob diuerſum temperamentum & ſoli & cœli non tantum non prolificaſſe, ſed ne viuere quidem potuiſſe. Nec videmus quid impediat, quo minus idem de ignotis Antiquo Orbi animalibus dici poſſit.

De beſtiis nouo orbi peculiaribus.

Sed age ad deſcriptionem quorundam animalium, quorum nomine Antiquus Orbis

bis nouo inuidere poſſit, deueniamus: facto initio ab *Saynis* (ita nomen eſt peregrino illi & ignoto Europæ aprorum generi) qui in montanis fere Indiæ regionibus victitant. Vmbilicus his non vt omnibus aliis, in ventre, ſed dorſo inter ipſas ſetas latens, ingenium truculentum & ferox. hominem præſentem nihil metuit hæc beſtia, ſed vltro irruentem aggreditur. ſetis, quibus armatur tam exquiſita acies, vt nouaculam aut ſcalpellum vincant, exitioſa res illis qui beſtiam venando inſequuntur. Expeditiſſima ratio eſt aprum hunc capiendi, vt venator arborem ſcandat: quo animaduerſo beſtia furore plena arborem inuadit, dentibus rodit ac fodicat ſtirpem, ſperans ſe eam ita ſubruere poſſe. Spectat hanc inſaniam ab arbore ſecurus inſidiator, interea hoſtem deſuper miſſilibus, ſecuriculis ac minutis verubus percutiens. Carnes huius apri Indici ſunt bonæ ac ſalubres, ita tamen vt deiectæ beſtiæ vmbilicum (quem illi in dorſo fuiſſe diximus) cum adhærentibus glandulis continuo exſectum auferas, quo neglecto vnius diei ſpacio fætebunt atque putiſcent, quod non animaduerſum, niſi experientia magiſtra. *Sayni Apri Indici.*

Etiam *Alces* ſunt huic Orbis parti, quibus cum cornua emerſerunt, eadem fere ſpecies quæ iuuencis. cætera à mulis non longe abeunt, niſi quod hi maiores. Coria horum non in minore precio apud Indos, quam Aquilonarium Alcium in Germania, vicinisq; populis. Et vt hoc animal, ita quoque humilem beſtiolam (Hiſpani *Armadillos* vocant) cutis duricies illuſtre facit, quæ armorum ictus cæſim punctimque illatos reſpuit ac contemnit. Ipſum animal paruum ac reptile, in quo (etſi in cibum vertitur) nihil tamen eſt, quod magnopere palato arrideat. *Iguanas* ſuauior caro gratiores facit, etſi & ipſæ lacertis Hiſpanicis quam ſimillimæ, niſi quod ex amphibiorum natione, in aquis fere viuunt. Conſcendunt frequenter arbores, quarum ſummitates inclinata ſtirpe ſuper aquas propendent: inde ſe veluti ludibundæ, audaci ſaltu in ſubiectum fluuium præcipitant, quibus lintribus exceptis, piſcatores & ludendi & viuendi modum imponunt. *Armadillæ.* *Iguanæ.*

Toto genere ab his differunt, quas *Chinchillas* & *Hardillas* nouus Orbis vocat, beſtias molliſſimi pili, eoque nomine pelles earum expetuntur, cum præter mollitiem occulta quadam vi calefaciendi & roborandi languentem ventriculum pollere exiſtimentur; quæ cauſa eſt, vt thoracibus ſubſternantur laneis, quanquam & alia cooperimenta inde conficiant. *Chinchillæ & Hardillæ.*

Cuy animalculum apud Indos in magna eſt frequentia, ob carnium ſaporem non cōtemnendum alitur. Sed & olim ſacrificiis Idolorum ſuorum admouerunt, antequam meliora edocerentur. Color illis non vnus, cinericius, albus, varius ſiue mixtus. Multa huic generi communia cum cuniculis, præcipue quod, vt & iſti, pedibus ſpeluncas ſubterraneas fodiunt, cæcisq; meatibus actis domicilia ſibi fabricant. *Cuy animalculum.*

Conueniunt cum iisdem cuniculis, non tam arte fodiendi, quam fæcunditate maiores Indorum lepores, quos ipſi *Viſachas* ſua lingua dicūt, quorum ingens eſt numerus, vt horum venatio non frequenter ſit inanis, carnes bonæ ac ſalubres. *Perico ligerum* dicunt Hiſpani *catellum leuem:* quamuis κατ' ἀντίφρασιν ita dici exiſtiment. eſt enim beſtiola pigra ac tarda, pedum digitos tres habens, inq; iis prælongas vngulas totidem. facies illi qualis fere ſimiis, habitatio in arborib. Vocale admodum hoc eſt animal, veſciturq; formicis. *Lepores Indici.* *Pericoligero.*

Non eſt autem vllum animal in omni India Occidentali, vnde plus emolumenti redeat ad ciues, quam ouium illud genus, quas barbari *Vicunnas* ſuo vocabulo dicunt. ſunt hæ aliquanto maiores caprarum genere, minores tamen quam vitulæ. Color illis fuſcus ex flauo, qualis fere leonibus, lucidior tamen. nec his cornua, qualia cervorum aut caprarum populo. Natale illis ſolum in gelidiſſimis montanæ regionis locis, quæ *Punas* Indi vocant, vnde nix aut glacies nihil illis creat incommodi, quin illud econtrario *Vicunnæ Oues Indicæ.*

credere

credere fas eſt, recreari ac delectari illas frigore iſto. Gregatim paſcuntur, odio ſolitudinis, celeriterque currunt timore pedes alatos faciente. nam & viatore forte conſpecto, aut colono vel etiam beſtia, ſtatim diffugiunt, impulſis ante ſe agnis ſuis, ipſæ agmen claudentes. Nec ſcire datur, quantum fæcunditate polleant: ob quam cauſam edicto Regio Ingarum vetitum eſt ne quiſquam illas ſine permiſſu ſuperiorum venaretur. nec exigua hæc eſt Indorum querela, quod Hiſpani nimiis venationibus, quibus dies noctesque incubuerunt, magnum huic generi detrimentum intulerint.

Venandi autem has *Vicunnas* hæc ratio eſt. Tria vel quatuor millia harum ouium vt compellere poſſint, magnum campi ſpacium indagine cingunt, coactisque ſic gregibus aliquot ex omnibus locis, circiter quadringentas eligunt, vel plures aut pauciores, prout ipſis viſum fuerit, dimiſſis cæteris incolumibus, maxime fœmellis prolis multiplicandæ ergo. Eaſdem haſce Vicunnas etiam tondere ſolent, vt oues, eque pilis ſiue lana earum texunt ſibi togas, pallia, operimenta omnis generis ac veſtes in magno ibi precio habitas. nec multum cedit lanæ huius teneritudo ac mollicies ſerico ipſi, ne iam dicam, quod firmior eſt & durabilior, cum non ſentiat tinctorii ignis violentiam, ſed ſuo ac natiuo colore placeat. Natura horum veſtimentorum eſt refrigeratoria, cum æſtum ſolis arceant; compertumque vſu eſt, inflammationes renum mitigari, eorumque immoderatum calorem diſpelli: quæ eadem virtus & ſtragula lectorum ex hac lana confecta habere dicitur, quanquam hæc non ſint eiuſdem durationis.

Carnibus vicunnarum nulla laus in menſis, quanquam Indi & recentes comedant & fumo induratas. Medicata tamen quadam vi pollere dicuntur, & oculis caligantibus ac lippientibus multum conferre, ſi recentem ſumas.

Lapis Bezoar à vicunnis. Potiſſimum quod ab his animantibus prodit eſt *Lapis Bezoar* de quo non hic, ſed paulo poſt erit dicendi locus.

Tarruga. Magna affinitas ac ſimilitudo inter has, & *Tarrugas* dictas Indis, diſcrepantia tamen etiam aliqua. nam & hæ corpore ſunt ampliore, curſu celeriore, & quæ difficulter manſuefiunt. Color velleri qualis ambuſtis: aures pendulæ iactantur ab euntibus. hæc animalia non gregatim paſcuntur, vt de ſuperioribus dictum, ſed ſolitaria viuunt, raroque præter vnum idq; ſolum conſpicitur, in locis potiſſimum editis & inacceſſis.

Pacos & Ilalas oues in Peru. Ouium autem duo genera in Regno Peruano nota ſunt. Prius, cui *Pacos* nomen barbari indidere, lanigerum eſt. Alterum, cui *Ilalas* nomen, baiulum eſt & ſubiuge. Exigua huic lanugo, corpus quam vulgaribus ouibus grandius, minus quam vitulis, colli longitudine Camelos mentiuntur.

Præterquam, quod harum carnibus Indi veſcuntur, earumque lana veſtiuntur, equorum aut aſinorum ſeruitia ab iis exigunt. Cum enim aliis iumentis deſtituantur, harum dorſo omnia onera imponunt, quæ de loco in locum transferre volunt.

Quin & argentum factum infectumque à fodinis Potoſianis hæ oues *Aricam* vſque deferunt, confecto ſeptuaginta prope milliarium ſpacio. Aguntur autem cateruatim, ad quadringentas vno agmine, paucisque gubernantur magiſtris aut rectoribus. Iter illis diurnum quatuor milliarium, non amplius. Sunt autem minimæ impenſæ hæc iumenta, cum neque ephippiis aut clitellis ſternantur, nec lupatis frenentur, nec ſoleis ferreis vnguiæ earum muniantur, quarum rerum omnium domini earum compedium facere poſſunt. Nec eſt quod de ordeo aut fæno ſupportando ſint ſolliciti. herba obuia, aut fortuitum gramen ſufficiens illis pabulum: illud ſaltem ſumma ope niti decet magiſtros earum, vt beneuolis vtantur his mancipiis. Si enim iritaueris, aut cæteroquin illas tædium laboris ceperit, vt abiecta alacritate animi humi procumbant; non ſi decem

fuſtes,

fuſtes, non ſi te ipſum ruperis, efficies, vt ſurgat, viamb; reſiduam porro conficiat, conſeruosque ſuos ſequatur. Vnus eſt modus vna ratio ſuſcitandi contumaciam hanc atque expugnandi. Comitum vnus, qui agmen ducunt aguntque iuxta procumbit, ibique per horam vnam atque alteram exporrectus iacet; blanditias interim, quibus palpum obtrudit animanti, non intermittens. Tandem, vbi ſatis eſt irarum atque ſtomachi, ſurgit abitque, quem fere ſequitur iners baiulus.



Quod ſi efferentur, inque montes aufugiant, (quod non raro fit, ſi nimis inhumaniter vrgeantur) deſperandum eſt omnibus, qui eas in ordinem redigere aut ad frugem reuocare nituntur. Telis eminus petendæ ſunt & configendæ, ſi mercem, quam dorſo impoſitam ab interitu recuperare velis, quod ita demum fit, ſi iaculis aut globis ictæ præcipites de rupibus cadant. Quod ſi quas ex illis lepra aut impetigo occupat, viuæ defodiuntur, ne

grex totus in agris,
Vnius à ſcabie cadat aut porrigine fœda.

Miſcet ſe riſus cum admiratione in Cercopithecis, quorum immanis multitudo in Regni Peruani montana regione, in Andibus, in terra plana, adeoque etiam Inſulis. ſunt autem è ſimiarum genere, ſed caudati, vnde & nomen inuenerunt. differunt magnitudine & varietate pellium, cum nigerrimos ſit inuenire, quosdam cinericeos, alios è pluribus coloribus mixtos. *De Cercopithecis Indicis.*

Nemo

Nemo vnquam hos nugatores ſine riſu, nemo ſine ſtupore contemplatus eſt. Conſcendunt arbores, quaſi non auium ſaltus tantum, ſed & cantum imitaturi. Tranſiliunt enim mirum in modum de arbore in arborem, cauda ſe ab aliquo ramo prominente librantes, & ita celeri impetu, quocunque volunt ſe iactu aut velut rotatu transferentes. Plus habet admirationis, nec minus veritatis quod ſequetur. Si ſpacium quod tranſilire capiunt, latius ſit, quam vt vnus hiſtrio iactu ſui corporis aſſequi confidat, hanc ineunt rationem. Caudis, (quas prælongas trahunt) ſeſe mutuo comprehendentes ex ſe ipſis, quaſi catenam quandam fabricant, ſicque librati & penſiles, alter alterum impellit, donec extremus, cuius circulus eſt ampliſſimus, apprehenſo ramo vel ſtirpe arboris, tenaciterque retento proximum ſibi attrahat, & ille alterum, hic rurſus alium, vſque dum omnes hoc mutuo auxilio & aſtu vix credibili ad optatum locum perueniant. Ne quis vero putet, fingi hæc à nobis, aliud exemplum afferemus in medium, vnde qua ſint docilitate patebit, illudque ſimul, eos aſtutia & vafritie (ne dicam prudentia) multos homines anteire.

Feſtiua narratio de Cercopitheco.

Erat in domo Gubernatoris prouinciæ *Carthagenæ* Cercopithecus, quem ita inſtituerant domeſtici, vt ad cauponem frequenter mitterent, petitum vinum.

Ibat hic, velut frugi ſeruus dominisque fidelis, vna manu cantharum præferens, altera numeratum precium vini. Ingreſſus Oenopolæ domum caute agebat atque circumſpecte. Concluſis enim firmiſſime digitis, pecuniam non ante proferebat, quam poculum vino plenum conſpicatus eſſet, tunc demum ſoluebat, atque ita Græca mercabatur fide. Quoties in compitis, vt fit, à pueris ludibriis appetebatur, iacturam rei commiſſæ metuens, vinum in tuto collocabat, inde ad obuios lapides conuerſus, in medium puerorum agmen coniiciebat quicquid ad manus erat, qua violentia illis diſſipatis, nactus liberum abeundi ſpacium, ibat quo oportebat. Hoc me cumprimis mirum habebat: etſi Cercopitheci natura quadam ad vinum feruntur, quem & affatim hauriunt, ſi facultas detur: hic tamen veterator pertinaciter abſtinebat, adeo vt ne cantharo quidem operculum demeret, niſi impetrata ab Hero ſuo licentia. Hic ipſe famulus, quoties incidebat in mulieres quæ faciem ceruſſa aut fuco pinxerant, quaſi vindex fraudis inſiliebat in eas, & poſtquam calanticam capiti detraxiſſet, omnium ludibrio illas exponebat.

De Lapide Bezoartico in India.

Pleraque animalia, quæ Peruanum regnum gignit, & quorum deſcriptiones qualescunque dedimus, vt & Cerui in Hiſpania Noua intra ſeſe habent lapidem Bezoar, de quo integri libri recentiorum authorum extant. inueniuntur hi lapides in ventriculis animantium, tam fœmellarum quam maſculorum, interdum bini, terni quaternique diuerſiformes, diſcolores. ſunt qui quantitate accedant ad avellanas aut iuglandes, ſunt qui oua columbarum aut etiam gallinarum æquent, repertique fuere, qui ad pomi Citrii magnitudinem excreuerint. Color quibuſdam niger, cinericius, albus, ſpadiceus: quidam neſcio quid aurei fulgoris promittunt. Optimi inter omnes, qui è corporibus Tarrugarum leguntur, ſuntque maiores cæteris, colore ſubpallido. Omnia animalia, in quib. hic lapis gignitur in niuoſis alpibus, quas *Punas* Indi vocant, paſcūtur, pabulo eorū ſubter niues latitante, ac proinde eruendo. Si credendū eſt Indis, horum montium incolis, in regione *Xauxa* dicta, vt & aliis quibuſdam regni Peruani locis magna vis venenatarum herbarum prouenire ſolet, quibus aluntur beſtiolæ veneni tam præſentis & noxii, vt prata quibus paſcuntur, & fontes quibus potant, toxico inficere credantur. Contra quam perniciem Vicunnæ aliæque congeneris naturæ animantes vt ſe muniant, naturæ prouidentia illic herbas antidotali potentia præditas commonſtrauit, quibus veſcuntur,

tur, earumque beneficio vitam ſeruant. Ex harum herbarum eſu creditur celeberrimus ille lapis Bezoarticus in ventriculo illarum animantium generari, cuius mirificæ vires ſunt in eneruanda & retũdẽda veneni vi, vt iã de aliis virtutibus, quæ huic lapidi ab rerũ naturaliũ hiſtoricis adſcribuntur, taceamus. Inuenimus apud *Pliniũ* prope ſimile rupicaprarũ genus, de quib. refert, ſolere illas venenatis herbis citra vitæ noxã ac impune paſci. Pecudes autem, quæ Hiſpaniis debent originem ſuam, inque Indias aduectæ ſunt, ideoq; inquilinæ, etſi cum indigenis paſcantur, hunc lapidem nunquam acquirunt, cum herbas illas medicatas neq; nouerint, neque illis veſcantur. *Plin. lib. 10. cap. 27.*

Quem hactenus in deſcriptione quadrupedum tenuimus ordinem, eundem deinceps quoque in deſcriptione alitum ſeruabimus, facto initio dicendi ab illis, qui cum Hiſpanienſibus aut ijdem ſunt genere, aut non multum ab illis abeunt. In hanc claſſem referantur *perdices, turtures, palumbes, liuiæ, coturnices,* cum omni *falconum* natione. Huius generis Coloniæ in Hiſpaniam deductæ ſunt, ſicut & ardearum atque aquilarum diuerſæ ſpecies, nec eſt dubitãdum, multo expeditius haſce aues volatu ſolere traiicere freta atque maria, quam quadrupedum genus, *leones, tygres, vrſos* cum contribulibus ſuis natatu. *Pſittacorum* natio celerrimo quoque eſt volatu, quorum inter ſe mire variantium ingens in omni India eſt multitudo. *De auibus nouæ Indiæ.*

De genere Gallinaceo tamen multi mirati ſunt, narrantes, fuiſſe in hoc Nouo Orbe, ante Hiſpanorum aduentum. Sed non eſt abſimile vero, has aues primis migrationibus in has oras ab hominibus illatas, (ſunt enim tardiſſimi volatus & breuiſſimi,) ſicut etiam nunc videmus, hos diei ac tempeſtatum prænuncios volucres, vt & ipſas Gallinas ouorum partu fœcundas, ab hominibus ſolum vertentibus alio, ſolere comites aſſumi, vnde deinde totæ cortes propagantur.

Scatent autem Indiæ regiones auibus ſupra modum, quarum permultæ Europæis ſunt ſimiles, nec tamen ab Hiſpanis inuectæ ſunt, ſed ab omni æuo ibi habitauerunt. quarum naturas aut nomina perſequi, hominis ſit otioſi; ſed & nec virium noſtrarum, nec operæ precium.

Chinarum ampliſſimum regnum mittit aues in exteras nationes, quæ ſunt è genere *Apodum*, cum pedibus carere deprehendantur, corpuſculum illis adeo exile, vt è plumis totæ conſtare credantur. Terram attigiſſe, aut reſediſſe humi nunquam viſæ ſunt. Si quando tamen perpetuo volatu feſſæ quietem deſiderant, prominentibus quibuſdam plumeis apicibus, qui ſetarum inſtar habent, de ramo alicuius arboris pendulæ quieſcunt. *Apodes Chinenſes.*

Cumque ſine intermiſſione aërem peruolitent, culicibus, muſcis, & id genus volatilibus inſectis vitam ducere creduntur.

Nec eſt in toto orbe minutius auicularum genus, (noſtro iudicio) quam in Peruuia ipſi *Tonioneias* vocant; adeo autem ſunt exiguæ, vt non ſuperent corpore apiculas aut veſpas. plumis tamen ſunt veſtitæ, pulcherrimisq; ac perfectis pictæ coloribus. *Minimæ & Maximæ aues in mundo.*

Quæ quanto magis à communi ſorte volucrum abeunt paruitate ſua, tanto magis corporis magnitudine omne alitum genus ſuperant *Condores*, quorum ea eſt membrorũ vaſtitas, & neruorum robur, vt parum exiſtiment oues vngulis arreptas laniare, inque ingluuiem ingerere, niſi etiam vitulos iam grandiores ac inter armenta paſcentes adoriantur lanientque hæ Harpyiæ. *Condores.*

Fuerunt, qui Indorum *Auras* in Gallinaceũ cenſum referrent, ſed melius inter coruos numeraueris. corpore ſunt leui, viſu peracuto, colore nigro. præſtant hi alites operã ſtrenuã in purgandis à ſordib. vicis ac plateis oppidorũ, cum nihil tã ſit vile & abiectũ, quod *Auræ Corui Indici.*

hi lurcones negligant. Noctu in arborum quieſcunt ſummis ramis aut editis rupibus. Orto ſole ciuitates & oppida petunt, ſummisq; ædium inſident tectis, vnde vigili lumine ſpeculantur, an ſe aliquid in prædam ipſis offerat. De pullis eorum idem narratur, quod de coruorum ſobole: albi cantibus illos plumis à principio operiri, quæ ſucceſſu temporis mutato colore in contrarium nigreſcant.

Cum autem omnis Indorum natio ſupra modum pictis ac variegatis volucrum pennis oblectetur, non eſt mirandum illos *Guacal-Maiac* ſuas tanto in precio habere. Magnitudo corporis his ſupra Pſittacum, pennarum varietas ea, quæ vix penicillo pictoris nedum calamo ſcriptoris exprimi poſſit. vnde illis tantus amor alitis. Huius generis multos Noua quoq; Hiſpania gignit, quibus ea plumarum tenerrimarum mollities, pulchritudo, ac colorum decor, vt nihil tale in Europa aut Aſia gigni certum ſit, vtuntur his pennis Indi in Imagunculis ſuis, quas è pennis ſummo artificio texunt atq; fabricant, in quibus collocatione pictarum plumarum omnium pictorũ induſtriam vincere, omnemq; penicilli artem damnare videntur. Celebratur autem cumprimis hoc artificio prouincia *Mechoacan*, inq; ea oppidum *Paſcaco* ratio concinnandi illas Icunculas plumeas talis fere. forcipulis ſubtilib. correptas plumulas, paruis illis auiculis, quas apibus non maiores diximus, vellendo eximunt, quas prætenui glutine ex arte & diſciplina ſua, citius quam quis credat, ita coaptant, vt oſtendant, ſibi nihil opus eſſe ad res exprimendas & ornandas pigmentis miniatorum. Maiorum auium, quarum ipſis larga in omni regione copia, pennis alius honor, alius vſus. Sunt hæ non minus variis colorib. omne humanum artificium ſuperantibus à natura pictæ ac variegatæ, quas vulſas, & ex diſciplina auro argentoq; pulcherrimo ordine connexas in præaltas criſtas effingunt, quib. in aciem prodituri ad terrorem hoſtium capita reliquumq; corpus, vbi conuenit, exornant. In littoribus maris & in ipſa Oceani crepidine inuenitur multis locis materia quædam niuei coloris, cumulatim aggeſta ad haſtilis altitudinem. Eſt hæc nihil aliud quam ſtercus marinarum auium, cuius tanta eſt pinguedo, ac in emendanda littoralium agrorum ſterilitate bonitas, vt nulla ſtercoratio cum hac conferri queat, quæ res præcipuæ valli nomen dedit, vt *Limaguana* appelletur.

De cultu & Religione Indorum.

Tandem à terreſtribus ac humanis ad diuina horum populorum (ſiquidem hoc nomine digna eſt horribilis Idolomania) adſcendamus, cultum illorũ & Religionem penitius inſpecturi, conſideraturiq; : poſtquam humani generis hoſtis, antiquus ille Draco, efficaci cognitione Chriſti & veritatis ſaluificæ, è pleriſq; antiqui Orbis regnis ac prouinciis eiectus fuit, quo pacto ſe in has infeliciſſimas hoc nomine terras cõtulerit, quã atrox & tenebricoſum erexerit regnum, quam fœdos & abominabiles cultus inſtituerit; denique quam ſtulta Idololatria miſerorum hominum mentes faſcinauerit.

Principio hoc valde obſeruandum eſſe videtur: quamuis Cacadæmon populorum horum mentes infidelitatis ac ignorantiæ tenebris miris ac deplorandis modis excæcauerit: non potuiſſe tamen in eorum animis vel hanc perexiguam ſcintillam extinguere, qua cognouerunt, vnanimiq; prope conſenſu faſſi ſunt; Eſſe vnum aliquod ac ſupremum numen, cæteris rebus omnibus ſublimius, à quo omnia condita creataq; ſint: quod Numen, quemue Deum Peruani regni incolæ VIRACOCHA: cæteri autem Indi PACHACAMAK, quod eſt ſi noſtra lingua dicas, *Creatorem omnium*: itemq; VLASTV, id eſt *Admirabilem* appellauere: quemq; præcipuo honore coluerunt inuocaueruntque.

Viracocha & Bachacamak ſumma Indorum Numina.

Poſt hoc ſummum eorum Numen, cęci & infelices illi etiam res creatas adorauerunt, puta Solem, Lunam, Heſperum, Mare ac Terram, iisq; ſacra fecerunt. Peruani reges, Ingæ dicti, *Tonitru* tertio loco collocauerunt, quod diuino cultu ſunt proſecuti, perhibentes, eſſe virũ quendã, qui in cælo cõſtitutus funda balearica vtatur, à cuius arbitrio pẽdeat præci-

præcipua illa meteora, pluuiæ, grandines, fulgura, tonitrua, fulmina. hunc tantarum virium deum, qui tot modis prodeſſe ac obeſſe poſſet, exiſtimauerunt miſeri ſibi cum primis precibus ac muneribus placandum eſſe.

[*Vtque ſibi ſimilem videas eſſe in hoc furendi genere Diabolum, addere placuit huic hiſtoriæ, quod de veteribus Germanis Prutenis, Æſtiis, Liuonibus memoriæ prodidere ſcriptores: illos tertio loco inter numina ſtatuiſſe atque coluiſſe* Tonitru, *quod ipſi ſua lingua* Thor *ſiue* Dorr (*contractum hoc eſt ex Tonner ſiue Donner) appellauerint: quem etiam deum ſuum viri effigie ac habitu expreſſerint, manu ad feriendum protenſa, cuique easdem vires adſcripſerint miſeri, quas Indi hi ſuo Tonitruo, pariterq́; coluerint.*]

Horrendum eſt auditu, quod ſolemne fuit in vrbe primaria regni Peruani, *Cuſco* Soli ſtatis ſacrificiis infantes immolare : quod tamen & alibi factum.

Adoraturi rem quandam manibus protendebant, chirothecæ ſimilem, quam cœlum verſus ſemper elatam tenebant. Peruani *Irim* venerabantur, cuius effigiem cum appoſitis duobus ſerpentibus in rectum protenſis, ipſi Ingæ in inſignibus ſuis præferebant. **Ingarum inſignia.**

E tanto ſtellarum numero ante omnes colebant Capellarum ſidus, quod ipſi *Colca* vocabant, maioribusque ſtellis ſua diſtribuebant officia, hanc illi, aliam alii rei præficientes, quas & inuocabant, pro ratione indigentiæ ſuæ.

Erant autem in ea perſuaſione, nullum quadrupedum aut volucrum genus in terris eſſe, cuius non etiam ſit ſimilis aliqua ſpecies in cœlo, eſſeque hoc cœlitum illorum officium, vt propagationem ac multiplicationem ſpeciei ſuæ in terreſtribus iuuent atque procurent.

Mexicani Regni incolæ præter ſummum illud numen, cui creationem omnium rerum tribuebāt, præterq́; Solem cuius aperto beneficio ſe iuuari rebantur, Idolum quoddam in pręcipua veneratione habebant, cui VITZLIPVZLI nomen impoſuerant. Huic deaſtro multum tribuebant, Dominū cœli ac terræ appellantes, rerumq́; omnium moderationem adſcribebāt, cuius virtute ac prouidentia totum hoc vniuerſum conſeruaretur. Huic dæmoni magnificentiſſimum ſpectandæq́; altitudinis templum extruxerant, quod rudera & quæ adhuc ſuperſunt ſtupendæ ſtructuræ reliquiæ affatim loquuntur. **Vitzliputzli Idolum Mexicanum.**

Sic apparet cum in his miſeris, tum in aliis omnibus infidelibus ac Idololatris veritas dicti, quod eſt in libro ſapientiæ Cap. tertio decimo. **Sapien. c. 13.**

1. *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia DEI, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque, operibus attendentes, agnouerunt, quis eſſet artifex.*
2. *Sed aut ignem, aut ventum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum DEOS putauerunt.*
3. *Quorum etſi ſpecie delectati deos putauerunt, ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit.*
4. *Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis.*
5. *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.*
6. *Sed tamen adhuc in his minor eſt querela: & hi enim fortaſſe errant, Deum quærentes & volentes inuenire.*
7. *Etenim cum in operibus illius conuerſentur inquirunt: & perſuaſum habent, quoniam bona ſunt quæ videntur.*

8. *Iterum autem nec his debet ignoſci.*
9. *Si enim tantum potuiſſent ſcire vt poſſent æſtimare ſeculum, quomodo huius dominum non facilius inuenerunt?*
10. *Infelices autem ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum artis inuentionem & ſimilitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.*

Nec ſatisfecit ſibi ipſi exſecrabilis hæc Sathanæ malitia, nec contentus fuit impiger hoſtis, in eum errorem calamitoſos hoſce populos induxiſſe, vt loco DEI veri ac inuiſibilis Solem, Lunam, Stellas, Terram, Mare aliasque res adſpectabiles coluerint adorauerintque: niſi eorum mentes vlterius excæcaret, obtrudendo illis cultum rerum vanarũ & friuolarũ, vt & fœdarũ ac turpiũ viſu, vt venerarentur loco veri Dei res ac quiſquilias, quas vir mediocriter cordatus, ne adſpectu quidẽ dignari debuiſſet. Quanquã horum Barbarorum ab omni bonarum artium & humanitatis cultura longiſſimè diſſitorum hominum cæcitatem nemo adeò mirabitur, qui cogitauerit, etiam ſapientes ac Philoſophiæ deditos inter politiſſimas gentes parem inſaniam inſaniuiſſe. Scientes enim DEVM eſſe, (vtimur verbis ſanctiſſimi Apoſtoli ac Doctoris gentiũ) non vt DEVM coluerũt, neq; gratias egerunt, ſed vani facti ſunt in cogitationib. ſuis, & mens eorũ ſtolida amplius etiam obtenebrata eſt, cum ſe ſapientes reputarent, ſtulti facti ſunt. Mutauerunt enim gloriam immortalis DEI in imaginem & ſimilitudinem mortalis hominis, & volucrum & quadrupedum, & reptilium animalium.

Rom. 1.

Sole hoc meridiano clarius apparet vel in antiquiſſimis hominum (ſuo iudicio) Ægyptiis, apud quos Vitulus Oſiris, Vacca Iſis, Latrator Anubis, Aries Ammon diuinis honoribus culti ſunt. Babylonii Draconem: Romani Febrim & Anſerem Capitolinum, Athenienſes coruum & Gallum Gallinaceum, alii alios venerati ſunt. De Crocodilis, ſerpentibus aliisque rebus homini exitioſis, vt de nugatoriis & obſcænis tacendum nobis eſt, cum non ſolum Chriſtianorum veterum, qui vanitates illas paganis maſcule exprobratas, valide contuderunt; ſed & ipſorum gentilium libri plenam harum rerum fidem faciant; qui adeundi ſunt.

Peruani ſuperſtitioſiſſimi omnium mortalium.

Horum autem omnium, quotquot fuerunt vnquam, ſtoliditatem & inſaniam Peruani Indi longe ſuperauerunt. Nam non ſolum fluuios, fontes, fiſſuras rupium, montium apices, petrarum ſpeluncas, ſed & alias res naturales, in quibus aliquid admirationis eſſe arbitrabantur, pro diis venerati ſunt, vt hoc ex ſequentibus clarum fiet.

Naſca prouincia eſt regni Peruani, cuius caput *Caſſiamalca* opidum. Huius ciues venerabantur ſabuloſum collem qui medius inter rupes ac petrarum longum ordinem ſe efferebat. *Ciuitatis Regum* incolæ adorabãt annoſam arborem, vt & lapides metalliferos, radices & fructus terræ. Præter hæc colebant Leones, Tygres, colubros, ſcilicet placaturi eos, ne ſibi noxam inferrent, quales igitur eorum erant dii, talia illis quoque adorabundi offerebant ſacrificia. Iter aliquo facturi, aut ſerii negotii aliquid tractaturi, ſpargebant alutas lacerorum calceorum, pennarum reiecticiarum fragmina, cocam herbam dentibus prius maſticatam ac inutilem redditam: quod præcipue faciebant in triuiis, in ſemitis ac ſummitatibus montium, quos tranſibant. Quod ſi nihil harum quiſquiliarum ad manus erat, ne nihil omnino agerent, lapidem humo ſublatum ſacrificii ex temporanei loco ibi collocabant, orantes, vt inoffenſo pede iter illud & ſine obſtaculis conficere poſſent, erantque hac perſuaſione adeo ebrii, vt crederent, ſe quod optabant, obtinere. Huius generis ſacrificia, id eſt nugas & purgamenta ſiue lapides, magno numero inuenerit, in publicis regiisque viis, viarumque diuortiis, qui per regnum hoc ampliſſimum iter fecerit.

Nec

Nec hic modus aut finis furendi. Regum ſuorum, (Ingas vocari iam ſæpe diximus) tam viuorum quam defunctorum imagines colebant, ipſa quoq; ſepulcra atque monumenta eorum venerati, iurabis, librum Sapientiæ Solomonis de his potius quam aliis gentibus loqui.


Circa enim Regum & Principum ſuorum defunctorum cadauera mire erant ambitioſi, id vnice curantes, vt ea condituris quibuſdam quam diutiſſime à putredine conſeruarent, repertaque ſunt in monumentis, quæ etſi per ducentos annos ibi repoſita fuiſſent, cariem tamen non erant paſſa. *Peruanorum cura circa cadauera.*

Hunc in modum quilibet Ingarum mortuorum in ſuo iacebat conditorio, vel ſi mauis de lubro. erant enim delubra verius aut ſacella quædam, quam monumenta, ab ipſis Regibus Ingis ſuperſtitibus magno ſumtu extructa, ad quorum conſeruationem Rex moriturus omnes ſuas diuitias, Theſauros, redditus, bona, cimelia, deniq; quicquid poſſederat teſtamento deſtinabat, vt verterentur in vſum illius delubri, in quo condendum erat corpus eius. Quin & eidem monumento ſuo ſeruos ac familiares ſuos perpetuum miniſtrare iubebat.

Parum erat in veneratione habere corpora defunctorum Regum, niſi & ſtatuas iisdem ponerent quibus adolerent: qui tamen honor & viuis datus eſt, vt ſtatuis eorum haberetur is honor. Quilibet regum, dum adhuc in viuis erat, ſtatuam marmoream ſibi excitabat, quam *Fratris ſui* nomine dignabatur. Signum hoc lapideum particeps erat omnium honorum, quibus ipſe Rex viuus à ſuis afficiebatur. Quoties imminente bello ab hoſtibus, in expeditionem ibat, ſignum hoc vna ibat, præferebaturq; in acie. Geſtabant id cum pompa in celebritatibus feſtorum ſuorum, admouebant ſacrificiis, cōſtituebant ſollemnes ac anniuerſarios dies, idque in hunc ferme finem faciebant, vt tempeſtiuas pluuias, congruam ſerenitatem, frugum vbertatem ab eo impetrarent. Stolidiſſimi & iam non homines, qui quod à rege ipſis dari non poterat viuo, ab eius ſtatua ſe obtenturos lapidea exiſtimarent. fuitq; harum ſtatuarum ingens numerus in prouincia Cuſaina.

Hæc idolomania, etſi tam craſſa, ſtulta & abſurda, vt nihil excogitari poſſit magis abſonum & ab humana mente alienum: non potuit tamen in eorum animis extinguere *Animæ Immortalitatem*, quam ipſi firmiter crediderunt: ſentientes (nec incōgrue,) iuſtos & probos æternæ felicitatis præmia, improbos & ſceleratos, perpetuos dolores ac cruciatus reportaturos. Hoc tamen illos fugiebat longe, Corpora olim reſurrectura cumq; animabus ſe coniunctura. Et hæc erat cauſa tot curarum circa Regum cadauera, vt quam diutiſſime à purulentia & putredine conſeruarentur. Poſteritas hæc ipſa cadauera veſtibus induta ſigillatim venerata eſt, quibus & ſacrificia certa offerebat, inprimis autem Ingarum corporibus. Regis mors plerumque erat exitioſa vxoribus eius, miniſtris aulicis, familiarium intimis, ſeruorumque primis: hi enim Inga mortuo omnes mactabantur ſine diſcrimine, non amore crudelitatis, ſed conſilio valde ſcilicet prudenti: ne Regi in altero illo ſeculo dominaturo deſint concubinæ, ſeruitia, operæque domeſticæ. Hæc autem cædes fere patrabatur omnibus ebriis, deliciiſque diffluentibus, inter tripudia & cantus: inque magna felicitatis parte reputabant, qui tam glorioſo mortis genere mactati, regi futuri erant proximi. *Anima Immortalitas credita à Peruanis.*

Quid, quod multo eſt atrociſſimum, infantes in honorem defunctorum immolabant, cuius innocuæ ætatis cruore cadauera mortuorum linebant, ductis ſanguineis lineis ab altera aure ad alteram, per tranſuerſam faciem? quanquam non omnes eodem modo conditi monumentis fuerint, nonnullis certis de cauſis crematis, non ſine ceremoniis ac ineptiſſima ſuperſtitione.



Nec in Peruano populo ſteterunt hæ vanitates, vniuerſa propemodum India Occidentali hos ritus æmulante, qui ſe in omnes regiones latiſſime diffuderunt, (vt eſt fœcunda omnis ſuperſtitio) accedente alia inſania, quæ iubebat tumulis mortuorum eſculenta & poculenta apponere, quibus arbitrabantnr defunctos etiam poſt fata victitare.

Auguſtin. in Epiſtola 64. Nec tamen ab his populis ortus eſt hic error, ſed peruetuſtus apud alias quoque gentes, quas & B. Auguſtinus eo nomine irridet & confutat. Indi autem defunctorum ori, manibus & ſinui argentum ingerebant, (ſcilicet vt naulum Charonti ſoluerent) eosque ſubter veſtem libitinarem aliis trilicibus & amphimallis induebant: vt ita ſubuenirent miſeris mortuorum manibus, quos errabundos hinc inde circa ſepulchra vagari, frigoris atque æſtus participes, prætereaque ſiti atque fame cruciari arbitrabantur.

Etſi autem negari nec poteſt nec debet, hoc Idololatriæ genere, quo Creaturæ ſoli Creatori conueniens diuinus cultus defertur, Summã DEI Maieſtatẽ lædi ac grauiſſime offendi, vnde & ira eius excandeſcit, ſuum ſibi vindicantis iure merito honorem: Conſtat tamen Spiritum Sanctum multo magis abominari & execrari damnareque illam Idolomaniæ ſpeciem, quæ ſtatuas, imagines, ſigna, figuras, ſiue pictas, ſiue fictas ſculptasque, quæ vel è lignis, vel lapidibus aut metallo aliaque materie ab hominibus fabricatæ ſunt, quæque animæ ac ſenſuum expertes, nihil aliud quam qualemcunque ſimilitudinem

tudinem rerum viuentium gerunt, adorat, colit, veneratur, (quæ & proprie ac primo Idololatria dicitur.) Qui hoc modo inſaniunt, à ſapientiſſimo Regum *Infelices* vero nomine appellantur, quorum ſpes & fiducia inter mortuos referenda ſit, qui humana plaſmata ac figmenta manuum DEOS vocent, ſiue ex auro, ſiue argento; vtcunque affabre elaborata, & artificioſe expolita ſint: ſiue ſint hominum ſiue animalium ſtatuæ, ſaxa ac lapides nullius vſus, quæ maiorum ſuperſtitio ante multos annos effinxerit. Hanc fraudem & furorem infidelium gentium ſanctiſſimi Dei Vates, *Eſaias, Ieremias* huiusq; diſcipulus *Baruch*, interq; omnes primus *Propheta-Rex* grauiſſimis verbis copioſeq; confutauerunt, eiusque vanitatem multis argumentis euicerunt. *Sap.14.*

Inter hos autem Idolorum ſiue ſtatuarum cultores Indi noſtri cumprimis numerandi veniunt. Nam primo multum operæ ac ſtudii in effingendis ſignis & pingendis imaginibus ab vltimo retro æuo ſemper poſuerunt, quas non vno modo nec ex eadem ſemper materia fabricatas, Deorum ſuorum titulis nobilitabant, GVACAS vocitantes. Statuis hiſce fœda facies, adſpectus formidabilis. Conſtatque certa fama, Sathanam ex his Idolis ſiue *Guaccis* locutum, reſponſa ſciſcitantibus reddidiſſe. Hæc Oracula ſollicite captabant Sacerdotes cæterique myſtæ, eaque pro captu ſuo interpretabantur. Omnia autem reſponſa quæ ex illis adytis proficiſcebantur, vt & conſilia, monita, vaticinia, erant aut aperte falſa ac mendacia, aut captioſa atque ambigua, vt interrogantibus idem obueniret, quod de ſui æui Cauſidicis ait Comicus:

Feciſtis probe, multo iam ſum incertier quam dudum fui.

Nec aliter fieri poterat: cum ipſe horum Oraculorum pater Sathanas ſit fons mendaciorum, & quod veteres de delphico ſuo tripode vere dixerunt: Λοξίας Ἀπόλλων.

Conſequens iam erat, religiones, ceremonias, ſacra, ſuperſtitiones, ritus eorum membratim & per partes, vti ab iis accepimus quibus hæc fuere quam cognitiſſima, perſequi: Cum autem copia harum nugarum lectorem onerare potius poſſit, quam delectare: ſatis nobis erit velut ſummos earum apices carpere, & in hac compendioſa narratione aliquid iucunditatis fore ſperemus.

Igitur Mexicanorum præcipuum Idolum erat, velut ſuperius attigimus, informis ille VITZLIPVZLI: è ligno ſiue trunco erat hic dolatus. forma illi qualis homini: inſidebat throno regio, cuius fulcra lectica ſuſtinebat, ab cuius vtraque extremitate prominebat, pertica, ſerpentino capite faſtigiata. Cathedra illa, cui inſidebat hiſtrio, ſignificabat, ad eum modum illum in cælo regali throno inſidere. Præputium eius cum verbo erat tinctum cæruleo fuco eiuſdemque coloris ſtriæ ducebantur per totam faciem, perque nares, ab vna auricula ad alteram. In capite ferebat criſtam è precioſis apud Indos pennis, quæ inſertæ erant capulo è politiſſimo auro adaptato. Naſus roſtro auis ſimilior. Siniſtra manu præferebat ancile rotundum, albicantis coloris, cum quinque pennis in quincuncem ordinatis. In ſummitate huius prominebat ramulus palmaris aureus, quatuor lateribus infixa erant iacula totidem, de quibus Mexicani nugabantur, hæc iacula cælitus huic deaſtro demiſſa, vt eorum ope illa patrare poſſet facinora, de quibus poſt dicendi locus erit. Dextra manus fulciebatur baculo ſiue ſcipione, facie ſerpentina, quem circum vndique cæruleæ baccæ viridibus lineis implicatæ ambibant. Hæc ornatus diuerſitas, & colorum varietas non erat de nihilo, ſed Hieroglyphicos myſticosq; ſuos continebant ſenſus & ſignificationes. *Vitzlipuzli Idolum quale.*

De huius Idoli operoſiſſimo templo, ſumtuoſis ſacrificiis, celebribus feſtis, ambitioſis ac pompoſis ritibus, in ſequentibus aliquid dicemus.

Huius templo erat aliud contiguum ſacellum, ſub cuius tholo deliteſcebat alius te-

Tlaloc Idolum Mexicanum. nebrio,cui nomen *Tlaloc*. Erat hic collega Vitzlipuzlo datus,non multo minore numine præditus & robore. Tertium locum inter Mexicanorum ficticios Deos obtinebat, *Tezcatlipuca* dictus (vt ſunt res,ita & nomina) cui tribuebant facultatem remittendi offenſas ac delicta. Alia huic facies, alia materies idolo. Deſcriptio huius portenti varia, vixque calamo exprimenda; tentabimus tamen. Erat igitur facie proxime ad hominem accedente,cœterum è lapide duriſſimo nigro,ac glabro fulgente cęſus,veſtis ei pro captu Indorum ſplendida ac nitens. Ab auriculis, vt & ab labro inferiori pendebant annuli argentei pollicem transverſum lati,quibus nunc viridis, nunc cærulea penna erat inſerta. Extremas antias circumibat vinculum ex auro puro in filamenta redacto, à quibus pendebat tabella aurea,in qua depictus erat fumus ab igne adſcendens. Signabat hic haud dubie preces ſceleratorum,qui remiſſas & veniam ab illo precabantur.

Tezcatlipuca tertium Idolum.

Pone aurem vtramque dependebat larga ſeries vnionum & id genus minutorum Cimeliorum. De collo pendebat torquis aureus cum lata bulla, adeo vt prope totum pectus integeret. Brachia ornata erant armillis aureis numeroſis. Vmbilicus in modum ſtellæ viridi colore exornatus,gemmis fulgebat. Dextra manu oſtentabat ſpeculum planum quod tale erat. è ſplendida lamina,quæ ob auri nitorem, vnde erat facta, radios & ſtricturas emittebat, prodibant aliquot pennæ diuerſorum colorum, viridis tamen & flaui potiſſimum,cuius ſpeculi hæc erat ſignificatio, vt oſtenderet, illum omnia videre quæcunque in hoc orbe gererentur. Siniſtra præferebat quatuor iacula,vt ab arcu mitti ſolent: quibus innuebantur genera pænarum & cruciatuum quibus afficere ſceleratos credebatur. Hoc ſimulacrum præ cæteris formidabant miſerrimi,eo potiſſimum nomine,quod metuerent,ne eorum malefacta quæ in occulto admiſerant, in lucem proferret.

Idem hic *Tetzcatlipuca* dominus & arbiter putabatur calumitatum publicarum, cuiusmodi ſunt nimia ſiccitas,fames,peſtilentia,ſterilitas tam agrorum quam animalium. Solebant igitur eum & alio modo effingere atque vires eius repræſentare.

Idolum Tezcatlipucæ quale. Exornatum magnifice atque comptum in throno collocabant,qui aulæo ſiue peripetaſmate rubei coloris, in quo mortuorum crania atque oſſa decuſſata intexta erant, circumdabatur. Siniſtra manu præferebat orbicularem clypeum cum quinque pennis varie pictis,dextera autem miſſile telum ſiue iaculum. dextrum brachium extentum habebat in modum ferientis, Clypei orbis quatuor telis confixus erat. Totum corpus erat variis coloribus depictum: caput pennis coturnicum erectis ædificatum: nec erat vllum idolum, quod laborioſius coleretur aut pluribus ceremoniis.

Quezalcoalt deus Mercatorum ſiue Indicus Mercurius. Haud procul Vrbe Mexicana locus eſt, *Cholula* dictus,in quo Deus Mercatorum (ſiue Mercurius) cultus fuit,quem barbari ſua lingua vocabant *Queza-alcoalt* (quod ſignificat ſerpentem è precioſis pennis concinnatum. Stat hoc idolum elatũ,in Templo ſatis alto,circa quod ſpaciũ ampliſſimũ, quod ſpaciũ ſiue area templi auro, argento,precioſis monilib. ac Cimeliis,elegantib. pennis,ſtragulis velisq; diſcoloribus circũdatur. Forma ſtatuæ hominis,facies autem volucris,roſtrũ vulturinum coloris rubicundi,criſta inſtar Gallinacei pectinata in capite,os ipſi gemina ſerie dentium armatum,cum lingua extenſa. Tecta caput pileo acuminato, dipicto vndique,crura multo auro exornata, nec poteſt ſatis deſcribi varietas colorum & aliarum nugarum,quibus erat hic deus conſpicuus: quæ tamen omnia erant ſymbolica,ac occultos habebant ſenſus. Erat autem hic *Queza-Alcoalt* barbarorum *Mammon, & Plutus*, à quo diuitias ſperabant & expetebant.

Indi etiam Deas ſuas habuerunt. His idolis ſiue pſeudodiis,quos virili habitu ac ſexu finxerant, non contenti hominum miſerrimi,ad exemplar aliarum gentium etiam Deas ſibi excogitabant. Harum

præci-

præcipua apud Mexicanos Indos vocabatur TOZI, (quod noſtra lingua *Magnam Matrem* interpretaberis,) diciturque fuiſſe filia Regis *Culguacen*, quæ prima omnium crudeli iuſſu Vitzlipuzli excoriata fuerit; hac humanitate & beneficio ille ſororem ſuam affecit. Ex illo tempore, factoque hinc initio, obtinuit atrociſſimus mos, immolandi & decorticandi homines, quibus cum detraxiſſent pellem, ea viuos ſuperinduebant, perſuaſi, Deos ſuos hac ferina immanitate mire placari, vt & oblatione cordis humani, quod in eum finem mactatorum corporibus eximebant.

Fuerat vni harum Lamiarum, quas inter Deas colebant, filius, venandi artis peritiſſimus, quem ob eam ſcientiam Ciues Tlaſcalenſes in Deorum numerum retulerunt, cui quotannis ſolenne feſtum peragebant in hunc modum. Aurora ſolis præſentiam nunciante, inflabatur tuba. Signum hoc erat conueniendi ad venationem. Extemplo ingens hominum turba vndique confluebant, ferentes ſecum arcus cum plenis pharetris, haſtilia, omne miſſilium genus, retia, venabula cum cæteris inſtrumentis venatoriis. Ferebatur nouus hic Apollo in ædicula ſua multis cũ ceremoniis. hunc ſequebatur populus longo ordine, vſq; dum ad editum deueniretur montem, quem vna omnes conſcendebant. Erat in huius ſummo apice ſcena extructa ſiue caſa è viridantibus arborum ramis, in cu.us medio ara è ceſpite, in qua collocabant illi ſignũm. In pede montis erant coaceruatæ ſtrues lignorum per circuitum, quibus incenſis multi excitabantur ignes. nec *Indorum ſpectacula venatoria.*



mora

mora inflatis cornibus ac tubis, ingentique ſtrepitu minores feras, lupos, vulpeculas, cuniculos, lepores latibulis ſuis excitos, ignemq; formidantes magno tumultu in montem aduerſum agitabant.

Sequebatur tota tribus venatoria cum clamore quanto poſſent maximo, inflantes non vnum genus tubarum atque tibiarum, quibus ita dementabant illas feras, vt in ſummum montis apicem, ante ipſius Idoli pedes fugiendo euaderent. quibus ita velut in anguſtum orbem coactis, tam impigre inſtabant venatores, vt ferarum pars per præcipitia laberetur, pars ſaltu deſperato in circumſtantem turbam ſe deiiceret, pars etiam in ipſam aram inſiliret. Gratiſſimum erat hoc populo ſpectaculum, in cuius oculis gerebantur omnia, cuius etiam iuſſu magna vis captarum ferarum huic venationis præſidi offerebatur, in ſignum gratitudinis, extractis è corporibus earum Cordibus, adhibitis iiſdem ceremoniis, quæ in immolatione hominum erant ſolẽnes. Finito munere hoc ac ſpectaculo, collectis Organis venatoriis, dorſoque impoſitis, ſublatum idolum ab arula ferentes humeris, eodem ordine quo exiuerant, domum repetebant, præeuntibus cum crotalis, tympanis ac tubis ſacerdotibus.

Reuerſi in vrbem *Tlaſcalam*, venerati ſtatuam illam ſuam omni cum reuerentia & cultu in templum portantes, priſtinæ habitationi reddebant. finitis ceremoniis, carnes captarum ferarum variis modis coctas populo proponebant, magnificum exhibentes epulum, cui viſcerationi omnes adhibebantur neglecto nemine.

De Templis Idolorum apud Indos.

De Diis Barbararum harum gentium ficticiis locuti, iam eorum Templa luſtremus: cum raro ſit Idolum abſque Idolio ſiue æde ſacra. Sicut enim ſummus ille & verus DEVS iuſſit ſibi extrui domum, in qua ſanctiſſimum eius nomen inuocaretur ac rite coleretur, cuius & ipſe formam ac ordinem præſcripſit ac velut delineauit: ita quoque malignus ille ſpiritus, humani generis hoſtis praua æmulatione apud Indorum gentes effecit, vti ſibi magnifica templa, oratoria ac ſacella extruerent.

Totum enim regnum Peruanum, (vti æuo Pauſaniæ Græcia) erat refertum eiuſmodi ædibus ſacris, oratoriisque publicis ac priuatis, adeoque ſcatebat delubris ac Larariis: præterquam quod ipſi Reges priuata ſua habebant Templa. Duo tamen præcipuæ magnitudinis & ſplendoris in hoc regno fuere Templa. Prius diſtabat à ciuitate *Lima* quatuor milliaribus, cui nomen PACHACAMA. Et hoc eſt famoſum illud Templum, ex quo Franciſcus Pizarrus immanes illos & inæſtimabiles theſauros abſtulit, vt in rerum Indicarum commentariis perſcriptum eſt. In hoc Idolio Sathanas ſe non tantum audiendum, ſed & videndum exhibuit, quoties reſponſa de ſuo loco dabat ſciſcitantibus. multoties etiam ibi ſerpens variegata ſiue picta pelle viſus eſt. Fuit autem in permultis Indiæ locis ac prouinciis res peruulgata, Dæmones Oracula reddentes è falſis illis ſuis ſanctuariis atque adytis audire, quibus miſeros hoſce & omnium hominum infeliciſſimos ludibrio habuerunt. ſtetitque hoc malum diu in his gentibus, donec Loxias ille Apollo & veterator fraudulentus adueniente S. Euangelio Chriſti Domini, tacere iuſſus eſt, vbi oracula euanuere & mendaces iſti tripodes, conticuerunt. Porro exquiſituri ſiue conſulturi Oraculum, id noctu faciebant, inuerſo corpore & præpoſtere accedentes, inclinato inter genua capite, nutantes & fœde geſticulantes, ſicque obuerſis poſterioribus præclaro illi deo ſuo, eius exquirebant conſilium. Quo facto exaudiebatur abſonus clamor & ſibilus, inconditum ſtridentibus parietibus, non ſine horrore omnium qui aderant. Oracula autem ſiue reſponſa plerumque erant incerta & ambigua: iuſſa autem exequentes miſeri fere triſtem & omnibus modis infelicem ſortiebantur exitum.

Pachacama præcipuum templum in Peruuia.

Alterum


Alterum Regni Peruani primarium Templum ſitum erat in vrbe *Cuſco*. Superabat hoc fama nominis ſui & exiſtimatione ſuperius illud, eratque velut *Romanum* aliud *Pantheon*: nam & hoc Reges Peruani extruxerant, vt eſſet commune habitaculum domusq; omnium deorum ſuorum, quotquot in vniuerſa regione colerentur. Ipſi Ingæ deuictarum gentium, quas bello ſubegerant Deos patrios ſuis locis ſublatos, in hoc templo conſtituebant, quibus & ſacerdotes è ſuis prouinciis lectos addebant, qui eos vſitato ritu colerent. Inter alias ſtatuas erat ibi etiam ſimulacrum Solis, (quod *Punchao* vocabatur) quod in Orientem verſum materia & arte viſendum. è ſolido enim auro erat fabricatum gemmisque ac lapillis exornatum maxime. *Alterum templum in vrbe Cuſco.*

Cum Sol ortus fulgore ſuo hanc oblique feriret ſtatuam, refractis ob metalli puritatem & læuitatem radiis ſolaribus, tantus oriebatur ſplendor, vt intuentium oculi non ſecus perſtringerentur ac ſi alterum quendam Phœbum adſpexiſſent.

In Vrbe Mexico erat Templum *Vitzlipuzlo* dedicatum non minoris famæ aut gloriæ, quam ſuperiora in Peruuia. Erat huic adiuncta vaſtæ ſpacioſitatis area, quanquam & ipſum fanum interiore ſui parte erat mire capax. Muri conſtabant è prægrandibus lapidibus colubrinis flexibus coadunatis. Area ædis viſebatur albo rubroque colore vndique depicta. Oratoria horum Templorum ſiue pars ſanctior, vbi ſimulacra horrendæ formæ (veluti ſupra deſcripta ſunt,) ſeruabantur ſub tholis ſuis, viſendo artificio erant ſtructa, è minutis lapidibus, nigredine carbones vincentibus, artificioſiſſime coaptatis, eminebantque ab ſummo ſupra reliquam fani ſtructuram. ſuper hanc eminentiam in ipſa ſummitate, extabant pinnæ velut cornua quædam, intortæ. in duobus ſummis angulis erant ſculpti è marmore duo Indi ſedentes, lychnuchos manibus ſuſtinentes. Intra ipſam circumferentiam exteriorem erant ædificatæ Cellulæ veluti monachales, in quibus flamines eorum, & ſacerdotes & victimarii cum æditubus habitabant. Area templi, quod & ſupra attigimus, erat tantæ capacitatis, vt ſpacium illud ſufficeret ad comitia populi celebranda, & Choreas circulares deſultandas. Ipſi fano fores erant quatuor, in quatuor orbis cardines verſæ. *Deſcriptio operoſiſſimi templi Mexicani.*

Ab vnaquaque ianua prodeuntibus occurrebat via lapidibus ſtrata elegantiſſime, quæ ad duo milliaria vſque in longum protendebatur, ductû rectiſſimo, opere viſendo. E regione harum ianuarum erant ſtructi triginta gradus, vnusquiſque gradus longus triginta Orgyas. hi tamen gradus non erant continui, ſed diſpeſcebantur intercurrentibus plateis ab circuitu. In ſummo horum graduum erat deambulatorium complanatum triginta pedes latum, in cuius medio viſebantur defixi trunci arborei præalti magno numero, ſpacio ſeptempedali inter binos ſtipites intercedente. Ipſi trunci firma craſſitie, argilla obducti, foraminibus vndique erant pertuſi, quæ transmiſſus funiculus percurrebat, de quo pendebant hominum interemptorum crania nudata carnibus. Hæ ſeries craniorum pendulorum denſæ erant ab imo ad ſummum ſeſe conſequentes, quod triſte & horrendum erat adſpectu. Hæc crania fuerant capita hominum, qui in honorem Cacodæmonis Vitzlipuzli immolati finẽ vitæ cultro inuenerant, aut ſeceſpita. Quanta autem multitudo horum craniorum fuerit, inde coniicies, quod ab ſingulis funibus vicena capita dependebant. Si quod horum craniorum temporis diuturnitate ſolutum delaberetur, quod in triſti omine habebant, non acquieſcebant, donec acquiſita noua victima ali.m caluariam in defictæ locum ſubſtituerent, expleta lacuna. In ſumma templi parte ſtabant duo ſacella ſeparatim extructa, in altero collocatus erat facetus ille *Vitzlipuzlius*, in altero *Tlaloc* illius collega ac velut mimus. Salutaturi hæc portenta coram, neceſſe habebant centum viginti gradus ſcandendo emetiri, ſcilicet ad tantum bonum

non ſine ſudore erat perueniendum. Ante hæc duo delubra quadratum quoddam pauimentum in quadraginta pedes patebat, in cuius medio lapis quinque ſpithamarum altitudine, viridi colore, forma pyramidali. erat hoc ſaxum crudelitatis barbaricæ inſtrumentum, ſiquidem immolationi hominum ad diabolica ſacrificia deſtinatum. Arreptum enim hominem victimarii, extenſumque valide impingebant ab tergo huic lapidi, quo furore continuo frangebatur miſero ſpina dorſi. Sed de hoc ſacrificandi genere poſt dicemus fuſius. Poſt hoc Templum, quod facile primum totius regni Mexicani, cætera ſupereminebat omnia, numerabantur nouem alia, velut minorum gentium dedicata deaſtris, quorum vnumquodque peculiare ſuum habebat Idolum, cuius cultui deſtinatum erat; quibus cohærebant diuerſa habitacula in vſum ſacerdotum & miniſtrorum impietatis diabolicæ. Idolia hæc omnia erant affabre facta, ornata celſis turribus & pinnaculis, intus foriſque depicta variis effigiebus hominum beſtiarumque.



Fanum pœnitentiale Tezcatlipucæ.

Secundas poſt operoſum illud *Vitzlipuxli* templum ferebat in hoc regno Fanum *Tezcatlipucæ,* quod monſtrum offenſarum ac delictorum remiſſioni præfectum fuiſſe ſupra docuimus. ducebant ad huius templi interiora octoginta gradus, quibus adſcendendum erat pœnitentibus de admiſſis ſuis. Antequam in ipſum fanum peruenires, per amplum pauimentum, quod in centum viginti pedes patebat, ingrediendum erat, ab cuius latere cœnaculum oblongum, aulæis atque velis verſicoloribus vndique tectum.

ingreſſus

ingreſſus in cænaculum per anguſtum oſtium vix patebat, quod oſtium ſemper tectum erat velo ſingulari, per quod ſolis ſacerdotibus licebat ingredi. Fani parietes vndique ſculptis ac pictis imaginibus, ac emblemate vermiculato exornati, miram præ ſe ferebant pulchritudinem. Et hæc duo, quorum iam deſcriptionem dedimus erant præcipuæ exiſtimationis ac notæ Templa: quod ſi Chriſtiani orbis vocabulis abuti liceat, illud atque prius Metropolitanum, hoc poſterius Cathedrale nominare quis, ſimilitudinis ergo poſſit: cætera enim omnia cum his collata, vix delubrorum aut ſacellorum appellationem defendent.

Templa atque fana ſuos poſt ſe trahunt ſacerdotes. igitur expeditis illis ad hos ſe conuertet noſtra oratio. Malus dæmon, poſſeſſor horum omnium Idoliorum, non contentus habere Sanctuaria atque ſacra ſua, ſacerdotum quoque claſſes inſtituit: quorum caput erat primarius pontifex, hunc ſequebantur inferiores ordines, presbyteri, Acoluthi, Leuitæ diaconi (Abutimur his nominibus, quia alia quibus rem exprimamus non ſuppetunt, cum & magna horum nominum ac officiorum ſit ſimilitudo etiam in hoc falſo cultu.) Mexicani (quod mireris) antiqua ſua lingua Pontificem ſuum ſiue Regem Sacrorum, & ipſi PAPAM vocabant, vti in eorum annalibus vel originibus perſcriptum eſt. *Papa & Sacerdotes Mexicanorum.*

Sacerdotes, qui Vitzlipuzlio miniſtrabant, hæreditario iure ſibi ſuccedebant in familias, quæ ab antiquis temporibus huic ſeruitio fuerant lectæ.

Cæterorum Idolorum myſtæ, ſorte legebantur ad ſacerdotium, niſi à parentibus ſuis in infantia idolis illis deuoti ac conſecrati fuiſſent: hac enim ratione fiebat, (vt velut primogeniti Sathanæ) ab illius ſeruitio nunquam auellerentur. Sacrificorum horum omnium, cuiuſcunq; claſſis erant, ſolenne ac ſtatum erat officium, porteta ſua ſuffitu velut fumigare, quod viginti quatuor horarum ſpacio quater fiebat. Mane ſole exoriente, circa meridiem, veſperi, & media nocte. Erat autem hic nocturnus cultus Spiritui tenebrarum longe gratiſſimus ideoq; ſtricte obſeruabatur. Hac enim hora ſacrificuli omnes ſtratis ſe leuabant, arreptisq; propere tubis, cornibus, tibiis ac fiſtulis querulũ aliquid ac triſte ſonabant, per tempus bene longum. Finita hac ſymphonia pneumatica, primarius inter eos, cuius erat illa ſeptimana cæteris præeſſe, prodire, amictus candida ſtola, thuribulum manu præferre, candentes carbones è foco, ante aram, in quo perpetuus ignis nutriebatur, tollere, inde aperta acerra thuris micas in prunas inicere, ſummaque cum deuotione ac ſuſpiriis adolere. inde arrepto linteo aram ipſam ac peripetaſmata abſtergere, poſt ſignum ſatisfacturis de peccatis ſuis dare. Quod quo pacto fiebat infra commodior erit dicendi locus. Capitale erat ſacerdotibus abeſſe ab hoc nocturno cultu, vt & ſi quis alius præter ſacrificum offerre victimas aut ſacra facere auſus fuiſſet, quod & ipſum nec omnibus myſtis erat integrum, ſed iis ſolis, quos ſors aut ſeries tetigerat. Certis quibuſdam feſtiuitatibus conuocabatur populus in concionem, vbi ſurgens quidam orationem habebat ad illos, de modo colendi deos patrios, deq; aliis rebus. *Ritus colendi Dæmonia Indica.*

Ne autem eſuriendum eſſet his ſacrorum perpetuis antiſtitibus & operariis, certi conſtituti erant ab antiquo redditus, vnde alerentur, præter ingentem ſacrificiorum vim, quæ idolis oblata in vſus ſacrificulorum cedebant. Idola vero Regni Peruani ſuum habebant vnumquodque agri modum, ſuasque poſſeſſiones & bona, vnde quotannis non exigua ad illorum clericos redibant emolumenta. *Redditus ſacrificorum Indicorum.*

Habebant & Indi non minus quam Eccleſia Romana, ſuos Monachorum, vt & virginum veſtalium Ordines, inprimis autem virginum. In regno Peruano talium monialiũ *Monachi & Moniales Indorum.*

Conuentus multi erant, inque iis locum Abbatiſſæ referebant Sagæ grandiores natu, quę & iuniores inſtituebant ad cultum dæmoniorum. has ſuſpiciebant iuuenculæ, velut matres, ab iiſque traditas ceremonias accurate obſeruabant. Præcipuo Cœnobio nomen erat *Aellaguaci* quod noſtra lingua ſonat *Domum ſelectarum.* Cuius Præfectus & velut Pater dicebatur *Appopnaca*, cui liberum erat eligendi quas vellet. non licebat tamen adoptare niſi quæ octauum annum exceſſerant, & credebantur habiles ad hoc miniſterium. Lectæ hæ puellæ tradebantur vetulis mulieribus, quæ ipſas initiatas inſtituebant in omnibus, quæ ad vitæ puritatem, caſtitatem, ceremonias, reliquumque Idolorum cultum erant neceſſaria. Vouebant hæ perpetuam caſtitatem, donec eſſent in deaſtrorum ſuorum cultu virum non admiſſuras; ſed pure ea quæ erant circa ſacrificia obituras. Tandem vero decurſo votiuorum annorum ſpacio, Inge ſiue reges ex illis ſibi deligebant in concubinas quas volebant, quas cum ita defloraſſent, capti earum ſatietate, amicis ſuis ac familiaribus, ſiue etiam belli ducibus eas elocabant. Qui talem aliquam delibati floris puellam nanciſcebatur, magno ſe beneficio ab Inga Rege affectum interpretabatur: nec ſane erat vulgaris gratia, cum hæc elocatio non niſi ſingulis annis ſemel fieret. Cœterum, durante adhuc virginitatis voto, ſi quæ ſtuprum paſſa temeraſſe religionem conuicta fuerat, viua defodiebatur, aut alio aliquo, ſed crudeliſſimo mortis genere affecta moriebatur.

Monachi & Moniales Indorum.

Nec in Mexicano regno ſuæ Diabolo deerant veſtales virgines: differebant tamen in eo à Peruanis, quod non niſi annuo ſpacio durabat earum votum. Quæ à duodecimo anno vſque in decimumquartum lectæ fuerant, vocabantur *filiæ reſipiſcentiæ & caſtitatis*: quorum erat officium, conſperſum aquâ templi pauimentum ſcopis verrere ac purgare, ipſique deaſtro eiusque miniſtris præparare cibos in prandium. panes qui ipſi Idolo coquebantur, erant ea figura, qua manus ac pedes humani. Vulgares autem ac reliqui, vſitatæ ſpeciei. Proponebant hoſce panes ſingulis diebus publice, coramque Idolo ſuo, quos poſtmodum ipſi ſacerdotes acceptos deuorabant.

Allectis hiſce monialibus in ſacrum miniſterium, cum primum initiarentur, tondebantur capita, capillis ſuo tempore denuo ſuccreſcentibus: habitus ſiue veſtitus omnibus albus: ſolenne iis de media nocte ſurgere ad cantum, quibus Abbatiſſæ ſuæ imperitant, easque ad officium coguht. Quotidianum iis opificium (nec enim permiſſum inerti otio tempus terere) aulæa, ſtromata omnisque generis vela nere atque texere, quæ poſtmodum Idolii parietibus prætenderentur.

Nota lector ſimilitudinem harum monialium cum Europæis.

Circa meſonyctii tempus ſurgebant ad affligendum corpus ſuum, quod flagellis & virgis cędebant, vulnerata etiam ſuperiore auricularum parte. Sanguineis guttis, quæ inde profluebant notabant genas ac cruentabant faciem ſuam, quas notas intra ſuas cellulas aqua rurſum eluebant.

Illis ergo virginibus, qui annum integrum ita miniſtrauerant, poſtmodum liberum erat, continuandi ſacrum miniſterium, aut deſerto clauſtro patrios lares repetendi atque nubendi.

Peruanum regnum monachis deſtituitur: in quorum locum ſuccedit ingens vis ſacrificorũ & veneficorũ. Sed in Mexicano illo ſumtuoſæ ſtructuræ Templo duo erant cœnobia, quorum altero recipiebantur moniales, quarum iam larga facta mentio, alterum cedebat Monachis, ab anno decimo octauo ad vigeſimum legendis.

Hi Monachi raſi ſunt inſtar Europæorum, capilli tamen raſuram circumſtantes admodum prolixi, vt plicare eos in nodum poſſint. Iunioribus monachis id officii: vitam in paupertate degere, atq; caſtitate, oſtiariorũ vices obire, ſumo ſacerdoti atq; victimariis eſſe

Monachorum Mexicanorum regula.

eſſe à ſeruitio, curare thuribula, acerras, lychnuchos, vt ſint præſto, ſacrarum veſtium cuſtodiam gerere, ſacra loca, vt ſint quam puriſſima operam dare, in vſum perpetui ignis, qui ſemper ardens coram idolo, lampadum vicem ſupplebat, ligna congerere.

His monachis adhuc inferiores erant quinquaginta pueri, ad viliora officia deſtinati, qui monachis ſua obeuntibus munia ad manum præſto erant, his imperatum Templum verbenis herbisque aliis ſpargere, violis, roſis iunco odorato exornare, ſacerdotum manibus lauandis conſecratos latices infundere, ſeceſpitas, cultros ac dolabra in vſum mactandarum victimarum acuere, ſtipem rogantes comitari, & ferre res ſacrificio deſtinatas.

Et hi erant fere Clerici Indorum, quibus ſingulis ſecundum ordines ſui præerant myſtagogi & ceremoniarum magiſtri. Vita illis modeſta, manus abſtinentes, innocens conuerſatio. Mulieres obuias ſalutabant inclinato capite, ac compoſito ad modeſtiam vultu, humum perpetuo intuebantur, veſtes in formam retium virgatæ ac maculis plagulisque diſtinctæ. Superiores ſuos multum reuerebantur, vt ne latum vnguem ab eorum imperiis diſcedendum ſibi putarent. Adolentibus ſacerdotibus circa medium noctis incenſa ſua, pueri hi ſacrorum candidati torquebant ſemetipſos in loco ſolitario, acubus aut minutis frameis ſanguinem è temporibus prolicientes, eumque genis ac mento inuergentes, ad vſque auriculas, quem poſtea ſuis redditi cubiculis denuo abluebant. Sed & horum deuotionis profeſſio vltra anni ſpacium non durabat: quo elapſo monachis his, vt & de puellis ſupra dictum eſt, nemo obſtabat, quo minus abiecto ordine ad propria redirent, vxoresq; ducerent. *Cleriorum Mexicanorum vita qualis.*

Quoniam autem huc vſque deuentum à nobis eſt, ſatisfactiones eorum, quibus peccata ſe expiare poſſe confidebant, conſideremus, quod fortaſſe non erit ingratum: cum inde eluceſcat malitia cacodæmonis, qui miſeros hoſce errones eo impietatis prouexit, vt non contenti Pſeudoprophetarum Baaliticorum ſtultitiam æmulari, qui vt ab Idolis ſuis quod orabant, impetrarent, ſanguinem è corpore factis vulneribus eliciebant: quod ſacræ hiſtoriæ teſtantur: inſuper etiam filios filiasque ſuas dæmoniis immolauerunt, & ita ſemen ſuum, id eſt ſobolem, *Molocho & Baalphegori* cultum exhibentes, per ignem transmiſerunt, qua de re videnda ante omnia ſunt diuinarum litterarum, annaliumque ſacrorum monumenta.

Igitur, vt in ſuperioribus commemoratum à nobis eſt, ſurgentibus de media nocte ſacerdotibus ac monachis eorum, factisque incenſis in honorem Idoli, vbi iam factum eſſet horrendi ritus initium prodibat ſummus pontifex, (quem in ſuperioribus *Papam* à Mexicanis vocari diximus) in ſpacioſum deambulatorium, vbi ſedilium ſcamnorumque multitudo: ipſe primus conſidens cæteris ad hunc modum exemplo præibat. Arrepta ſubula ferrea digitos pedum ipſosque pedes ad digitorum radices perforabat, vt ſanguis guttatim manaret. Cruorem inde collectum temporibus ac fronti inuergebat, quod ſupererat capulo frameæ ſiue ſubulæ illitum adhæreſcebat. Ipſæ ſubulæ peracto hoc expiationis ritu globo è ſtramentis concinnato infigebantur, interque pinnas templi in alto collocabantur, vt omnium oculis pateret, quantum cruciatuum Papa ipſorum, pro populo ſuſtinuiſſet. *Modus ſatisfaciendi pro delictis.*

His ita perpetratis, abluebant caput cruentatum in peculiare ſolium quod in eum vſum paratum aderat, cui & nomen ob eam rem impoſitum, vt *Aqua ſanguinea* appellaretur. In ipſo fani aditu eiuſmodi ſubularum erat non exiguus numerus, vnde ſinguli ſe vulneraturi non niſi ſingulas in vſus ſuos aſſumebant.



Præter ferias eſuriales, quibus populus adſtringebatur, Clericis ſolemnia erant & ſtata Ieiunia, nec ſine feſtiuitate, quibus in quintum vſque, nonnunquam etiam decimum diem ieiunabant, his diebus omnibus, non ſolum ſobrietati ſed & caſtitati maxime ſtudebant; repertique ſunt propoſiti adeo tenaces, qui, vt coeundi deſiderium omnino fruſtrarentur, verpum in duos neruos ſecundum longitudinem diſſecarent: quibus autem parum placebat hæc fiſſura, mille media quæritarent, quibus ſe ad venerem ineptos, atque impotentes redderent. Ipſi ſacerdotes ab vini potu perpetim abſtinebant: ſomno parciſſimo vtebantur, idque neceſſario, cum potiſſimam partem noctu ſacris operarentur: & vt rem verbo comprehendam, ſexcentis modis ſe affligebant, torquebant, macerabant, vt ſanctitatis laudem apud populum adipiſcerentur, haberenturque quam optime de plebe meriti, qui pro ſalute eius non recuſarent, tot ieiuniis & afflictionibus corpori ſuo illatis Deum pacem ac fauorem exquirere.

Regula ſtrictior omni Monachiſmo.

Ad-

Adueniente ſolenni feſto *Tezcatlipucæ*,(qui reſipiſcentiæ deus credebatur) indicebatur ſacerdotibus ieiunium quinque dierum, qui per illos dies non ſeipſos ſolum flagris lacerabant,ſed populus pari inſania funibus prælongis recentibus humeros ſuos cædebat,ſatisfacturus ſcilicet pro peccatis ſuis. vt autem altius penetraret dolor extremitates funium nodo conſtringebantur,vt ferirent fortius.

At vero apud Peruanos (diuerſi enim horum à Mexicanis colendi Idola ritus) appetente feſto,quod ipſi *Ytu* ſua lingua nuncupabant, vniuerſus populus bidui ieiunio obligabatur; quo tempore cum propria vxore rem habere inter nefanda & morte piandacrimina habebatur.Quædam peccata urticis ſe cædendo expiabant,(puto peccatillos Hiſpanorum)in alia grauius animaduertebant,lapidumq; crebros ictus alter alterius humeris inpingebat, quos alter mulo ſtupidior ad certum numerum ſuſtinebat,patientiæ ſcilicet exemplum præbens. Nec defuerunt,qui inſtinctu maligni huius ſpiritus deſertis laribus,deſerta patria,in loca auia,ſolitaria, perpetuis ſiluis aut rupibus aſpera ſe contulerint,eremiticam vitam ac omnibus humanis vſibus deſtitutam ibi victuri. Omnium autem vt noſtra quidem fert ſententia,deuotionem ſuperauit eorum ſtoliditas, qui vt Diis ſuis rem omnium quas habebant offerrent preciosiſſimam,atque adeo rationalem immolarent victimam,ſeipſos ab alta rupe præcipitatos vita ſpoliauerunt,in parua ex lapſu comminuti fruſtilla.

Ieiuniorum feſtum apud Peruanos.

Eremitæ apud Indos.

Eædem hæ gentes Barbaricæ ſacrificandi ritus populo DEI vſitatos Cacozelia quadam imitati ſunt. Obtulerunt enim ſacrificia ſua diuerſi generis, adhibitis ceremoniis, ritibus & legibus innumeris, quæ omnia profecto admiratione non carent. Sacrificia autem illa ab Indis offerri ſolita,pro ratione victimarum,in tres claſſes ſeu genera diſtribuemus.

Primum erit earum rerum quæ anima aut vita carent. Alterum viuorum animantium: Tertium,humanis hoſtiis conſtabit.

Sacrificia Indorum triplicia.

Igitur Peruani regni incolæ offerebant inter cætera *Cocam* herbam ſiue folium arboreum,magni inter ipſos precii,de quo in ſuperioribus capitibus à nobis dictum eſt. Interdum frumentum Indicum,Mayz dictum,vt & pennas eleganter pictas. quandoque etiam res abiectas,

Vt fluuialem algam,vel ſi quid vilius alga eſt.

Lautiores,& qui deorum gratiam amplius demereri cupiebant, aurum & argentum offerebant ſiue ſimplex illud atque rude,ſiue in animalia aut volucres effigiatum: vt & texta precioſa,veſtes vndulatas,bonique odoris ligna. Horum ſacrificiorum omnium vnus idemque finis erat, vt deum pacem expoſcerent miſeri, auertendis infortuniis, auerruncandis malis, conciliandæ fertilitati, impetrandæ bonæ fortunæ & ſanitati.

Alterum ſacrificiorum genus conſtabat ex animalibus viuis: inter quæ primo loco commemorandæ ſunt beſtiolæ,*Cuies* ab Indis appellatæ,quibus forma ad Ranam rubetam proxime accedens,quæ tamen à barbaris in cibum vertitur.

Si quod erat offerendum ſacrificium pro ſalute Illuſtris alicuius viri, aut pro bono publico,immolabant oues vel communes & minoris precii, aut quas illi *Pacos* nominabant,idque non ſine ceremoniis.

Immolabant autem illas pecudes, quas ſacrificio diſtinauerant in hunc modum. Hoſtiæ dextro lacerto impoſitæ faciem in orientem Solem obuertebant, inde carmen aliquod obſcurum recitabant, quod pro ratione pecudis variabat. Si enim

Ratio immolandi pecudes ſacrificiis deſtinatas.

 victima

victima pelle erat varia, ipſum carmen ad *Tonitru* dirigebatur, ne ſcilicet aquis pluuialibus cælitus negatis, ſiti laborarent cum ipſi, tum agri eorum. Sin alba erat & vnicolor, ad ſolem conuertebatur oratio ſiue incantatio, vt candore luminis ſui ipſis perpetuam fæneraret lucem, rebusque creſcentibus vitam inderet & incrementum. Si erat coloris dubii, puta cinericii aut ſubfuſci, ipſi *Viracochæ* (ita creatorem nuncupabant) deberi ſacrificium intelligebatur. In primaria ciuitate Cuſco ſingulis diebus Soli immolabatur Ouis tenerioris lanæ, quæ cum amiculo coloris rubei exurebatur.

Quotidiana ſacrificia in vrbe Cuſco.

Durante autem illo holocautomate coniiciebantur in flammam viridi coca plenæ fiſcellæ, ad conciliandum ſacrificio precium & odorem.

Neue quotidiano huic ſacrificio deeſſent pecudes, neu victimarii, in ſolum hunc vſum alebantur greges ouium, quibus adiuncti erant certi homines, qui nulli alii rei erant deſtinati niſi paſcendis his victimis.

Nec in quadrupedum natione ſtabat ſacrificiorum modus, etiam alites immolabant, imprimis vero coturnices, quas Mexicani mactatas offerebant. Egreſſuri quoque in expeditionem bellicam Peruuiani, volucrum omne genus immolabant, idque in locis incultis & ſolitariis, eo fine, vt deorum ſuorum ope ſuperiores hoſtibus euaderent. Hæc ſacrificia illorum lingua *Cuſco-vicca* vocabantur, patrabanturque in hunc modum. Primum dabant operam, vt diuerſiſſimi generis alites maiores ac minores è ſiluis colligerent. deinde legebant carduorum caules, ac ſpinoſa aculeataque ligna, quibus incenſis imponebant aues, quas ita cremabant. his factis multos lapides tum quadratæ tum orbicularis formæ hinc inde diſponebant, in quibus Leones, Tygres, Rubetæ, Serpentes aliæque id genus beſtiæ depictæ erant, quibus in ordinem circa ignem locatis, hoc ordiebantur carmen. *Stet victoria à noſtris partibus. Dij auſpices cæpta noſtra ſecundent. Guacarum noſtrorum virtus extinguat vires & conatus hoſtium noſtrorum* & his plura ſimilia. Poſt hæc proferebantur ouiculæ quædam, quæ aliquot diebus concluſæ cibo omni caruerant, eoque viribus defectæ vix ſuſtinebant greſſum. Quas cum mactarent, tale morientibus accinebant carmen. *Sicut harum pecudum corda inedia flaccida marcuerunt, ita dij noſtri hoſtes noſtros reddant flaccidos, enerues, marcentes ac ſine viribus reſiſtendi.* Si quid carnium pone pericardion in macilentis hiſce ouiculis diſſectis deprehendiſſent, quod non erat abſumtum inedia illa pecudum, res ominoſa credebatur & expianda nouis ritibus. Neue quid deeſſet funeſtis ceremoniis, canes inſuper atros admouebant atq; mactabant: mactatos in patentem campum abiiciebant, carnes oſſibus detractas certum quoddam hominum genus non ſine ſuperſtitioſis ritibus deuorabat.

Carmina quibus deuouebant hoſtes ſuos Indi.

Offerebant etiam pro Ingæ Regis ſui ſalute certa ſacrificia, vt ſcilicet ab omni veneno, quod inter eſculenta vel poculenta miſcebatur immunis eſſet: facturi hoc abſtinebant omni cibo potuq; vſq; in noctem concubiam: poſtea totam illam noctem perpotando & helluando abſumebant. Pro Principibus Indicis diſſidentibus ad concordiam reducendis offerebant algam aut iuncos in ripis fluuiorum prouenientes, afferentes, vlvam ſiue algam filiam eſſe maris, mare autem Magnam matrem fluuiorum vndarumq; omnium. Vixq; erat vllum ſacrificium, cui non alga adhiberetur.

Sacrificia è hominibus.

Tertium ſacrificiorum genus conſtabat humanis hoſtiis, tantoque plus crudelitatis habebat atq; horroris, quanto nobilior erat victima quæ mactabatur. Obtinuerat ergo apud multas Indorum nationes damnabilis conſuetudo, in morte ac exequiis dominorum miſera trucidandi ſeruitia, eaque cum primis, quorum fuerat in herum ſpectata fides, & quæ viciſſim plurimum ob fidelitatem ab hero fuerant amata, non ſane alio niſi ſtolidiſſimo hoc fine, vti ſcilicet defunctis dominis ne deeſſent, qui illos ad ſtygias aquas

euntes

euntes comitarentur, quiue iis in campiis elyſiis miniſtrarent, vti & in ſuperioribus, ſi probe meminimus hæc res à nobis eſt tacta. Peruuiæ populi, aliis in hac impietate cedere nolentes, ne à propriis liberis quidem abſtinebant, quin eos quadrimulos vſq; ad decimum ætatis annum plusquam belluino more occidebant: quod quidem puerile ſacrificium non aliam magis ob cauſam fiebat, quam vt proſperitas Ingæ Regis hoc modo procuraretur, illo videlicet ægrotante, aut in belli expeditionem proficiſcente, aut aliquod aliud periculum adeunte,

Pueri in Peruuia à parentibus immolati.

Propter quod fas eſt genua incerare Deorum.

Quoties Ingæ Regi Imperium primo capeſſenti Sceptrum decreto publico tradebatur ducenti pueri, (horreſco referens) quibus ætas à quarto ad decimum annum, mactabantur; mactandi miſelli ſine miſericordia proferebantur, toruo viſu & immitibus geſtibus, (quaſi in meritiſſimos animaduerteretur,) trucidabantur, trucidati raptim defodiebantur, quod profecto ſpectaculum longe ſuperabat omnem immanitatem, vt cuiuis facile eſt colligere.

Alio tempore, neſcio qua neceſſitate exigente, amputabant miſellis capita, eorumque innocuo cruore pingebant ſceleratiſſimi nebulones frontem & genas, ductis lineis ab auricula vna ad alteram. Nec abſtinebant ab puellis, ſed eas frequenter è Gynæcotropheiis, vbi ad regum Ingarum concubinatum nutriebantur extractas, pari feritate interficiebant.

Pueri & puellæ mixtim mactantur in ſacrificiis.

Nec tamen à fraude in his ſacrificiis abſtentum etiam cum miſerorum vitæ periculo. Quotiescunque enim decumbebat vir aliquis primarius, vel etiam mediocris cenſus,



negantibus ariolis aut ſagis ipſum ſuperſtitē eſſe poſſe, qui de ipſius ſalute ſolliciti erant, ſuas ipſorum, vel etiam decumbentis liberos Viracochæ mactabant, ſupplicantes, vt contentus ille Cacodæmon innocuæ ætatis cæde, ægroto abſtineret lethiferas manus, animasque anima penſaret. cuius abominandi cultus etiam auctor libri Sapientiæ mentionem facit, & ipſe Dauid Rex ac Propheta conqueritur Iſraelitas ab Gentibus infidelibus has impietates didiciſſe, immolandi & per ignem traducendi filios filiasque ſuas, quod non erat aliud quam ſacrificare diabolo, quæ res nunquam DEO, cuius bonitas fando exprimi non poteſt, placuerit, ſed ſemper ab eo atrociſſimis ſuppliciis fuerit vindicata. Nam quod quis de Abrahamo obiicere poſſit, cuius obedientiæ DEVS non vno loco teſtimonium perhibuerit, quod imperanti altiſſimo cædem atque immolationem filii ſui, nil tergiuerſatus, extemplo paruerit: nihil huic crudelitati patrocinatur: cum ſatis conſtet, neque DEVM cædem illum permiſiſſe, neque ſi vel maxime permiſerit, in exemplum trahendam fuiſſe, cum quod vni mandatum eſt, non protinus ad omnes pertineat, cum ſit magna rerum & perſonarum diſſimilitudo: vt vel hinc Malitioſi illius ſpiritus improbitas colligi clariſſime poſſit, cuius id eſt vnicum deſiderium, vt hominum animas & corpora, ſi poſſit in æternum ducat exitium.

Mexicanorum ſacrificia humana.

Sed vt ad propoſitum, vnde nos indigniſſimæ rei conſideratio nonnihil auocauit, reuertamur, ſciendum, Mexicanos quidem à cæde & immolatione infantum abſtinuiſſe, ſed in adultorum mactatione ac homicidiorum frequentia non tantum Peruuianos, ſed omnes omnino nationes orbis habitabilis longo poſt ſe reliquiſſe interuallo. Quod vt fidem apud lectorem inueniat, vtque ad oculum, quod aiunt, demonſtretur, cæcitas & veſania huius nationis, à Sathana illos occæcante ſuggeſta, vno atque altero exemplo oſtendemus, quæ fuerit horum ſacrificiorum atque rituum immanitas, ne ſine horrore quidem aut mæſtitia audienda.

Igitur primum oportebat eos, qui immolandi erant, bello captos eſſe, quibus deficientibus, hoc feſtum celebrari non poterat. Ne autem deſtituerentur victimis, (ſine quibus placari numen poſſe negabant, bellum ex bello nectebant, ſemper cauſas diſcordiarum, quibus Diabolus ſupra modum gaudet, cum vicinis quærentes. Iam ad expeditiones progreſſi, poſtquam res ad manus deueniſſet, id vnice ſtudebant vt hoſtes viuos caperent, materiam victimariam quærentes. Porro ſacrificium illud ſuum humanum, & tamen inhumanum hunc fere in modum peragebant. Mancipes bello deducebantur in illam planiciem templi, quam ante defixos ſtipites craniis interemtorum ſuſpenſis exornatos patere diximus, ibi continua ſerie infelices conſidere iuſſi extrema expectabant. Prodibat ſacrificus ſtola curta amictus, quam circum fimbria palmaris prominentibus filamentis in orbem ibat, ab ſumma parte templi, eque ipſo oratorio, gradu quam poterat celerrimo. Manu ſuſtinebat icunculam è farina melicrato ſubacta effigiatam. Poſtquam locum inferiorem attigiſſet, conſcendebat ſaxum, eo fine erectum, quod *Rupes Aquilæ* dicebatur, vbi peractis nonnullis ex diſciplina barbarica ritibus ac ceremoniis, cum ad captiuos & ſeceſpitam præſtolantes deueniſſet, ita loquebatur ad eos, oſtenſa Icunculo farinacea: *Ecce hic eſt Deus veſter.* quibus verbis vnicuique miſerorum admurmuratis (ſolatii puto gratia) ab altera parte gradibus deorſum ferentibus deſcendebat. Porro omnes mactationi deſtinati, veluti pecora, vna ſerie ducebantur ad locum ſacrificii, vbi nihil aliud quam atrociſſimam mortem præſentem intuebantur. Ipſe autem ſacrificandi modus hic erat. Sex latrones arreptum miſerum hominem pedes manusque extendebant: vnus etiam iniecto collo laqueo quantum poterat trahebat. ita ſublimem factum infelicem ſupinumque ab tergo lapidi illi in pyramidem acuminato validiſſimo

Ritus mactandi homines apud Mexicanos.

ictu

ictu impingebant, donec ſolueretur ſpina dorſi. Interim non tardus victimarius morienti pectus aperiebat cultro, vnde auulſum fibris ſuis Cor, extractumque corpori, conuerſus ad idolum, oſtendebat ei, pauxillaque mora interpoſita coniiciebat in faciem monſtri. Corpus examine voluebatur in ſuo cruore, vel vndique linebatur ſanguine, poſt præcipitio de gradibus deturbatur: ſtabant qui eum in acie ceperant, qui & exceptum cadauer ſuo more præparatum deuorabant, reſtituto ſacrifico capite, qui illud reliquis de fune pendentibus addebat. Lanius ille, qui haſce cædes patrabat, ſummi ſacerdotis nomen eo ipſo merebatur, & acquirebat præter antiqua, noua etiam cognomina, pro tempore aut feſtiuitate, ſed & qualitate hominum quos trucidauerat. Cæterum hic ei fere erat habitus. Color veſtimento ruber, in capite diadema è pennis erectis viridibus aut flauis, aut vtrisque: ab auriculis pendebant annuli aurei gemmis inſignes, vt & ab labro inferiori ſed cui cæruleus lapillus erat inſertus. *Victimariorũ habitus.*

Cæteri ſex victimarii deformauerant facies ſuas atque manus de induſtria colore atro, quinque ex hoc numero latronum nutriebant promiſſum capillitium, intortis inq; nexum plicatis crinibus, fædo adſpectu, vincti loris caput. frons erat ornata orbiculis aut clypeolis verſicoloribus: veſtis erat Dalmatica alba intextis filis nigricantibus. Ita exornati atq; ita habiti, nihil abſimiles ipſis diabolis vagabantur, crudelitatem ſpecie præferentes, & terrorem ſpectatoribus magnum incutientes.

Frequens hic mos apud Mexicanos immolandi captiuos: ſed & alius quidam humanior in ſpeciem, & ſi qua detur perituris optio, magis expetendus. Captum aliquem bello in ſplendidiſſimo templi cõclaui locabant: ornatumque, quo ſolebant ipſum idolum comere, mancipio induebant; exquiſitisque cibariis ac potu præſtantiſſimo ſaginabant. Qui erant in populo primi ordinis ac dignitatis viri huic ad menſam miniſtrabant. Noctu concludebant hunc epulonem in capſam clathris ferreis munitam, auiario non abſimilem, ne videlicet aufugeret non ſoluto ſymbolo. Interdiu integrum erat ei ire quo lubebat animo, non diſcedente tamen ab eo ſatellitio duodecim armatorum virorum, qui eum obſeruarent: qui ſi eum fuga elabi ſiuiſſent, facta vorſura, ex eorum numero ſe aliquis in fugitiui locum ſiſtere cogebatur. Ingredienti per vicos aut plateas omnes obuii de via decedebant, quin & proni in genua ac cernui ei honorem prope diuinum habebant. *Sagina ſacrificandi hominis.*

Neue quis hæc talia negligens, errori ignorantiam prætexere poſſet, ferebat in manu fiſtulam acutiſſimi ſoni, qua adventus aut præſentiæ ſuæ ſignum dabat, obuiosque monebat, vti ſe adorarent. Huic deſtinatæ victimæ per integrum anni ſpacium licebat facere, quod liberet, etſi videretur abſurdum aut inconueniens.

Anno autem ad principium ſuum recurrente, productus è ſagina ſua belliſſimus puſio, vno pede ad prægrandem lapidem alligatus, gladiatorem agere iubebatur, cumque lanione ſuo depugnare; in hunc finem tradebatur ei ſcutum & gladius, vti iis vteretur quam noſſet optime. Conditiones pugnæ hæ erant: ſi vinceret fortunæ beneficio victimarium, vti hoc ei non impune ſolum eſſet, ſed & in libertatem aſſertus toto vitæ ſuæ tempore boni ducis bellici nomine gauderet: Sin contra à victimario deiiceretur, in ſaxum illud, cui alligatus erat etiamnum viuus ac ſpirans extentus diſſecabatur, cuteque ſpoliabatur miſer gladiator. pellem detractam ſacrificuli oſtiatim circumferebant, ſtipem mendicantes in alimoniam dei ſui, prope eadem facie ac ratione, qua apud nos pueri, qui lupinam aut vulpinam circumferentes in villis pagisque gallinas ac oua colligunt.

Et



Et ecce grauitatem ſacrificii! Mercatores quoque aliqua deuotione tacti, quandoque ad eundem modum immolant aliquod mancipium, quod tamen non tam diu ſaginant vel effarciunt, diſpendioſam rem rati: ſed per vnum tantummodo menſem. Quantus autem numerus fuerit interemtorum hoc modo, difficile eſt ad fidem dicere, nec deſunt idonea documenta, quibus adſtruere poſſemus, breui aliquo tempore ad quinque millia hominum ita fuiſſe interemta. Vt autem Cacodæmon homicidia homicidiis cumularet, hac vtebatur impoſtura: monebat ſummum ſacerdotem, vt regibus ſuo nomine nunciaret, eſſe iam in eo vt dii patrii fame morerentur, niſi propediem cruore ac carne humana ſatiati reficerentur. Cui rei anteuertendæ nationi alicui bellum indicebatur, cauſa vndecunque arrepta. Et hæc erat veriſſima cauſa, cur *Motecuma* Rex Mexicanorum prouinciam Tlaſcalenſem data opera noluerit ſibi penitus ſubiicere, vt ſub ſpecie belli inde victimas velut è corde altiles aues petere poſſet, vtque iuuentus Mexicana materiem haberet, exercendi ſeſe in armis. Nec fas erat vlli regi Diadema capiti ſuo imponere, niſi redactis in ſuam poteſtatem prouinciis aliquot, captiuorum longum agmen triumphantis in morem ante ſe ageret, quæ in ſolemnibus ſacrificiis poſtmodum mactarentur.

Multitudo interemtorum ſub ſpecie ſacrificii.

Tandem cum homicidiorum fundendique ſanguinis finis nullus eſſet, pertæſi barbari crudelitatis plusquam ferinæ, ſtatuerunt, fieri non poſſe, vt hæc immanitas Deo placeret, eoque nomine deſiderauerunt melioribus imbui religionibus, & à tam inhumano ac cruento cultu, ſi quis eſſet, liberari.

Et hæc eſt inter præcipuas cauſſas referenda, quod Barbari Euangelio Chriſti Domini & DEI noſtri, cum primum illis annunciaretur, tam facilem applauſum dedere. Dicebant enim, *inde ſe clementiam ac bonitatem eius DEI colligere poſſe, qui tam miti doctrina populum ſuum ad ſalutem vocaret*, quique tam ſuauibus ceremoniis ritibusque, ſine humani cruoris fuſione miniſtrari ſibi vellet, cum ipſorum idola nihil niſi cædem & ſanguinem ſpirarent.

Ex his, quæ prolixe de religione ac cultu Indorum diſputauimus, potuit beneuolus lector facile videre malitiam & verſutiam Sathanæ: qui etſi non abſtinuit abſurdiſſimis & fœtidiſſimis ritibus, quibus Barbaras has gentes imbuit, conatus tamen eſt aliquem iis fucum & colorem inducere, quod optime ſe facere poſſe credidit, ſi ſuas halce religiones ad Iudæorum ac Chriſtianorum ceremonias quam proxime conformaret. Patuit hoc in Templorum ſtructura, in ordinatione ſacerdotum, in ratione ſatisfaciendi pro delictis, in ordinibus ac officiis monachorum, in electione veſtalium, in appellatione Papæ, in imperanda caſtitate & ieiuniis, in eremitis, in immolatione pecudum, aliisq; quam pluribus. Hac Cacozelia ſimius ille Gehennalis ſibi ipſi non ſatisfecit: etiam Sacramenta Chriſtianorum aliqua ratione imitari auſus eſt, inprimis autem Sanctam Euchariſtiam.

Ineunte menſe Decembri, qui apud hoſce Indos primum locum obtinet, Peruani celebre feſtum agitabant per aliquot dies, quod ipſi ſua lingua *Capacreyme* vocabant, vbi multis abſurdis ceremoniis tempus terebant. Durante hac ſolemnitate capitale erat peregrinis atque exteris, intra vrbis Cuſco pomæria pedem intuliſſe. expirante autem feſto, omnibus promiſcue dabatur aditus, quibus licebat & de ſacrificiis participare. Poſt hæc exhibebatur ipſis hoc Sacramentum (ſit venia abutenti vocabulo) talem in modum. *Imitatio Euchariſtiæ in Peruuiæ vrbe Cuſco.*

Primo puellæ ſiue moniales Soli dicatæ terebant frumentum Mayzum, confectam inde farinam ſubigebant ſanguine arietum albi velleris, quos oportebat eo die mactatos fuiſſe, inde depſebant manib. conſperſionem inq; lagana deformabant. hos panes primo die feſti proponebant, offerebantque Idolo. Hoc facto confluebat magnus numerus peregrinorum (quos decurſa feſtiuitate admitti ſolere diximus) ex omnibus prouinciis vicinis: qui ordine in ſcamnis ſedere iuſſi expectabant myſteria. Intrabant ſacrifici inſtructi panibus, quos ſupra diximus, quorum ſingulis ſingula diſtribuebant fragmenta additis verbis ſolennibus: dare ſe eis buccellas iſtas in hunc finem, vt vniti fœdere Regi ſuo Ingæ, firmiter in ipſius amore perſtarent, nec vnquam ſocietatem desererent: monebantque ſimul ipſos ne quid ſiniſtri aut improbi de Inga Rege cogitare, multo minus dicere vellent, ſed vt totis affectibus in ipſum propendentes illius bona pro viribus procurarent: in cuius rei ſignum illa panis buccella ipſis exhibita, teſtimonium eſſet perhibitura. fore enim cum primum calcata religione fœderis ab vnione iſta deficerent, vt per illud panis fragmentum facto indicio, grauis vltio ſequeretur. Lagana autem illa ſiue placentulæ proferuntur in diſcis capacibus aureis argenteisque. Hoſpites cum reuerentia ſumunt oblatam buccellum, Soli agentes gratias, fronte ac geſtibus lætitiam præferentes, accedente ſtipulatione, prius ſe vita exceſſuros, quam vllo verbo aut facto Solis honorem aut Ingæ incolumitatem læſuros. ſed ne cogitaturos quidem tale aliquid. In cuius rei teſtimonium ſumebant panem illum, vti ſcilicet ſe obligarent manſuros in perpetua deuotione, obſeruantia & ſeruitio tam erga Ingam quam erga ipſum Solem. Hoc deuotionis & execrationis plenum feſtum agitabat etiam ſub initium ſeptembris

bris menſis, mittebantque de panibus illis velut apophoreta omnibus exoticis idolis, inque omnia fana ac delubra totius Regni Peruani.

Feſtum corporis Christi Cacodæmon imitatus.

Et vt alterum inter potentiſſima duo regna noui orbis, Mexicanum, non omittamus, ſciendum, malignum illum ſpiritum apud hos homines, Romanę Eccleſiæ feſtum Corporis C. imitari auſum fuiſſe, ſed ridicula ac ſtolida Cacozelia. Igitur menſe Maio per biduum in honorem *Vitzlipuzlij* hoc feſtum agitabatur, conuenientibus vndique virginibus veſtalibus ac molentibus magnam vim *Bledos*, quod cum granis toſti *Mayzi* miſcebant. inde infuſo melicrato depſebant maſſam vnde effingebant ſtatuam panaceam ſimilem magnitudine & ſpecie ipſi Idolo Vitzlipuzlio. Oculorum vicem erant lapilli virides & ex cæruleo albicantes, dentium defectum ſupplebant granis maioris Mayzi. ipſam imaginem ornabant aulæis & ſtragula veſte Effi cto enim plene idolo, adque colophonem perducto, primores in populo aderant, dono ferentes indumentum attalicæ elegantiæ, & precii pro eorum captu, magni, quod illi circumponebant. Hic farinaceus deus ita comptus ornatusq; collocabatur in lectica ſuper ſedile poſita, cærulei coloris, (omnia enim hic picta erant, vereque

Pergula pictorum, veri nihil omnia ficta,)

vt humeris ſublatus portari poſſet. Illuceſcente ergo feſto, veniebant veſtales virgines ſuo aduentu duabus fere horis diem anticipantes, indutæ ſtolis albis, nouo modo comtæ atque pexæ, quo die ſorores Vitzlipuzlii ſui honorifico admodum nomine appellabantur: ridiculis vinctæ collum monilibus, nempe granis aduſtis Mayzi traiecto filo pendentibus, pictæ facies, non vt Europææ quædam

famæ non nimium bonæ puellæ:
quales in media ſedent ſubura,

Veſtalium virginum habitus.

ceruſſa aut fuco, ſed viridi atque croceo, ruffoque colore. neue quid abſurditati ſchematis deeſſet, lacerti earum erant cooperti plumis pſittacorum ab cubito vſque ad carpum manus. Hoc ornatu excultæ veſtales puellæ tollebant lecticam cum idolo in humeros, ferebantque cum tripudiis in quendam locum, vbi ſtabant adoleſcentes induti togas reticulatim textas, coronis cincti tempora, cætera ornati vt puellæ. Quæ cum ferentes ſimulacrum prope aduenissent, iuuenes ſubibant lecticam, eamque à puellis auferentes ipſi baiulabant, vſque ad imos templi gradus: vbi ſtabat vniuerſus populus expectans aduentum farinacei numinis. quo adueniente flexis genibus demiſſoque capite honorem habebant ei, ſublatamque lithoſtrato terram vel puluerem imponebant capitibus: quæ quidem ceremonia in aliis quoque feſtiuitatibus adhibebatur. Facto ita feſti exordio, cum populus tum Sacerdotes ad vnum omnes longo agmine ingrediebantur, greſſu quantum pote concitatiſſimo, vicinumq; montem, cui vno milliari Mexico vrbe diſtanti nomen erat *Chapultepac* conſcendebant, vbi ſummus ſacerdos habita oratione ac commonefactis vniuerſis ſacrificio auſpicabatur. Inde velut fratres Ambaruales in alia duo oppida gregatim ibant, ferentes ſuum Anti-vitzlipuzlium, vel potius rapientes ſecum, quæ quidem oppida alterum ab altero milliari vno diſtabat. Hæc autem quatuor millia incredibili celeritate curſus tribus vel quatuor horis conficiebant, qua de cauſa religioſam hanc peregrinationem appellabant *Velox iter Vitzlipuzlii.* Reuerſi domum feſſi, anheli ac ſudore diffluentes, deponebant lecticam cum idolo ad imos gradus templi, vnde primo ſuſtulerant, quam & firmis ligantes funibus, per illos gradus in ſummum vſque templum attrahebant, cum ſcalæ eſſent nimis anguſtæ ac præcipites, ac rectiores, quam vt commode humeris ſupportari in altum poſſet. interim ad hũc modum ſatagentibus & deſudantib. myſtis, populus in area attonito ſimilis ſtabat, humilitatem

acre-

ac reuerentiam cum formidine mixtam præ ſe ferens. Attracto ita in ipſum templum ſimulacro, depoſitoque in certo conclaui, cui à roſis nomen erat, extemplo aderat lecta iuuenum manus, totum per circuitum pauimentum floribus ſpargentes ſelectiſſimis tantę multitudinis, vt non tantum ſacellum iſtud, verum prope vniuerſum fanum contegeretur. His in hoc negocio florido occupatis, reuerſæ puellæ veſtales è cellulis ſuis proferebant panes dulciario opere confectos, inque oſſium figuram deformatos, ex herba *Bledo* & frumento *Mayz* coctos, (è qua materia & ipſum ſimulacrum conſtabat) quos acceptos è manibus puellarum iuuenes in ipſa ara ante ſignum deponebant, ſtrues inde aggerentes, donec nihil apponi amplius poſſet. Hoſce panes ſiue ſcriblitas appellabant *Carnes & Oſſa dei ſui Vitzlipuzli.* Deinde prodibat totus ordo clericalis, ſummi cum infimis, longa ſerie, ſecundum dignationes officii & prærogatiuas ætatis: quilibet erat indutus velo reticulatim texto, diuerſis coloribus, opere non contemnendo, ferentes corollas capitibus, & floribus de funiculo pendentibus reuincti colla. Hos ſequebatur deorum dearumque quos venerabantur pompa cultu & habitu conueniente, ita tamen diſcrepante vt facile agnoſci poſſent, quorum eſſent ſimulacra. Sacerdotum numeroſa cohors conſidebat in orbem, vna cum idolis ſuis, circum panes illos Oſſiformes, quos multis ceremoniis, geſticulationibus, cantu, luſu conſecrabant. hiſce ſcriblitis poſtmodum idem honor deferebatur, qui ipſi ſimulacro. Et cum dicto aderant victimarii, qui homines ſacrificiis deſtinatos iam ante in eum finem adductos celeriter mactabant, quod quo pacto factum fuerit, quia in ſuperioribus largiter perſecuti ſumus, iam ſuperſedebimus, ad cætera properantes. Igitur ſacrificiis illis cruentis peractis, Monachorum & monialium quidquid erat è templo prodibat, binis ternisque incedentibus, qui choreis & tripudiis initium dabant, ſecundum ſonum tympani, quod in honorem idoli pulſabatur, canticumque aliquod inchoabant. Huic cantilenæ cum plauſu reſpondebant nobiles ac proceres, quiue ætate reliquos anteibant in populo, & ipſi ſaltantes circum monachos, eratque non omnino ſpectaculum inficetum. decore enim ſaltare videbantur, adoleſcentibus cum puellis deuotis è regione ſibi oppoſitis, ſemperque medium Chori obtinentibus. Erat autem huius feſti tanta gloria ac celebritas, vt in omni regno nemo eſſet, qui non quam ſtrictiſſime obſeruaret, ſiue præſto eſſet ſiue non, nec licebat quicquam cibarii ſumere, niſi de panibus idolo confectis, & quidem hoc mane faciendum erat ante ſolis exortum, nec erat integrum bibere quidquam, vſque ad meridiem. Qui hanc legem non obſeruabant, ſacrilegi homines & piaculares habebantur: quin ne pueri quidem potum ſumere permittebantur; amota è conſpectu eorum aqua, vſque ad conſtitutum omnibus meridiei tempus: ſcilicet ne vel ipſi infantes tanti numinis offenſam incurrerent.

Choreæ in feſtis agitatæ.

Finitis omnibus hiſce ceremoniis, (quas vel tandem deſinere me quoque iuuat, velut in parte laboris vani, ac ſpectator impietatis fuerim) veſtibus ſeſe exuebant cum ſacerdotes ipſi, tum idolum illud è maſſa farinacea factum, ipſumque de lectica detractum, cum ſcriblitis ſiue panibus oblongis oſſiformibus in minuta fruſta confringebant, quæ ita in vniuerſum populum permixtim nulloque diſcrimine diſtribuebant. Sumebant hi buccellas illas panis magna cum reuerentia, trementes ac fundentes lacrymas, admiratione & ſtupore velut attoniti: *veſci ſe carne ac ſanguine dei ſui* perhibentes, indignos ſe exiſtimantes qui tantum bonum perciperent, quod & ploratu teſtificabantur. Decumbentibus morbo aliquo, vt intereſſe tantæ celebritati non poſſent, partes quædam domum mittebantur, idq; fiebat ſumma cum reuerentia, qui, ſi hoc intermitteretur, infeliciſſimos ſe omnium mortalium exiſtimabant.

Finito ad hunc modum diabolico hoc epulo, ſurgens quidam è ſenioribus ſacrificis perorabat, magna voce, recitans populo leges, & ritus colendi deos patrios, & cohortatus illos ad virtutem ac conſtantiam toti feſtiuitati finem imponebat.

Idem Indorum magiſter & mille artifex fraudum ac impoſturarum conatus eſt Eccleſiam Romanam æmulari in confeſſione, quam quidem tam mimice expreſſit, vt in omnibus propemodum articulis imitatus ſit. Erant enim perſuaſi Peruani, quicquid ipſis aduerſitatum, morborũ, periculorum eueniret, à peccatis ſuis cauſam trahere atq; originem. hanc igitur tam noxiarum rerum radicem vt auerruncarent, nulli parcebant operæ, infortunia omnia ſimul ſe amoliri poſſe credẽtes. Igitur hic rurſus ad ſacrificia recurſum. quæ cum nõ ſufficere in hanc rẽ viderentur, confitebantur etiam atq; recitabant conceptis verbis delicta ſua, cui rei conſtituti erant certi quidam veluti confeſſarii tam è vulgo quam nobilitate: maiora peccata, quæ atrocitate ſua grauius aliquid mereri putabantur, cognitioni ſummi pontificis reſeruabantur. Confeſſarii quandoq; grauiſſimas mulctas imponebant confeſſis, cumprimis iis, qui cum re tenui, non habebant quod erogarent.

Confeſſio peccatorum ab Mexicanis vſurpata.

Sed & mulieres audiebant confitentes, peculiari inſtituto. Grande nefas habebatur, & morte piandum ſi quis vel minimum peccatillum ſubticuiſſet, quod vt cognoſcerent, vtebantur ſortibus & inſpiciebant exta certorum animalium, quæ in hunc finem mactabantur. ſin hac via non procederet, verberabant tam diu ſcapulas confitentium, donec omnia etiam minima delicta euomerent: quo facto conſtituebatur ſatisfactio de admiſſis, quam licebat ſacrificiis redimere. Nunquam autem meliori fide recitabant peccata ſua quam cũ Inga Rex morbo decumberet, tunc n. integræ regiones ac populi confitebantur, pro incolumitate principis crebras in ſe ſuſcipientes ſatisfactiones. proximum ab hoc erat, cum vxores eorum, aut liberi, aut dilectiſſimi quique ægrotarent, tunc enim confeſtim ad ſacerdotem recurrebatur, inque ſinum eius omnia ſcelera ac flagitia euomebantur.

Confeſſariis non licebat quicquam eorum quæ ſecreto acceperant, effutire exceptis flagitiis atrocioribus, qualia erant: Alienam vxorem rapere, furto vicini res auferre, miſcere toxica cibis aut poculis, veneficio aliquem tangere. Inter crimina non minora dictis referebant, deos non legitime venerari, feſtos dies non vt par erat obſeruare, male loqui de Principe, iuſſa eius vel omnino negligere, vel ſegniter exequi. De cogitationibus reddendas ſibi rationes non putabant, ideoque eas nec confitebantur.

Inga Soli confitebatur ſua delicta, vt ea Viracochę ſiue Creatori nunciaret, veniamq; impetraret. Confeſſus ad lauacrum properabat, vbi abluto aqua corpore iam etiam à criminibus mundum ſe, omnique culpa vacuum autumabat. dum autem inſideret balneo, vel etiam fonti aut fluuio, hæc fere proferebat verba: *Confeſſus ſum Soli crimina, & errores meos, iam porro trado illa fluuio huic, qui ea cum aquis ſuis accepta deuehat in Oceanum, vbi ita mergantur profundo gurgite, ne vnquam in conſpectum hominum veniant.* hunc eumdem morem abluendi corpus reliqui omnes obſeruabant, quos ita lotos homo deformis, gibbo vel alicuius membri defectu notatus, ex diſciplina veteri vrticis cædebat, quod ipſis ita patienter erat ferendum.

De

Deiis quorum liberi viuis parentibus moriebantur , male ſentiebant, enormes eſſe peccatores ac ſceleribus onuſtos, quorum grauiſſima flagitia mererentur vt inuerſo naturæ ordine iunior ante ſeniorem, filius ante patrem cogeretur oppetere.

Confitendi ritus Iaponenſium.

Cum autem in præſenti materia de Confeſſione infidelium hominum verſemur, ſuccurrit nobis compar hiſtoria de *Confeſſione Iaponenſium*, quæ Inſula, quanquam nihil cum nouo orbe commune habeat, ſed deſcriptio eius ad Orientalis Indiæ volumen pertineat: non tamen nos ingratum facturos lectori ſperamus, ſi quæ certa fama accepimus de inſulanis illis, cum eo communicemus. Igitur *Occa* eſt in *Iaponia*. in hac Occa ſunt incredibili altitudine rupes, quarum apices faſtigiantur in altitudinē ducentarum quandoq; & plurium Orgyiarum. Inter has rupes vna ab imo velut concaua cernitur, quæ flexu mirabili ſummitatem ſuam curua prominentia longe porrigit, vt tota pendere in aere videatur. quod ſpectaculum, cum ſuapte ſponte formidabile, cum rupes iam iam caſuræ ſit quam ſimilima, tum vel inprimis peregrinis, crimina ſua confeſſuris, vel eminus conſpecta tantum horroris incutit, vt toto corpore cōtremiſcant, comæ ſurrigantur, & vox faucibus hæreat. In ſuperficie illius faſtigii penduli miro artificio cernitur trabs ferrea tres quatuorue Orgyias longa, nixa ſuo fulcro. ab altera trabis parte pendet prægrandis & ponderoſus lapis, ab altera vero libra, cuius lances tantæ ſunt capacitatis, vt in vnaquaq; ſedere homo poſſit.



Ibi *Goquij*,(ſunt hi non alii quam Cacodæmones humana forma apparentes) quemq; peregrinum confitendi gratia eo profectum ſeparatim in alterutram lancem imponunt. quo facto trabem illam ferream certis machinamentis , inprimis autem rota dentata ſubinde verſa, longe promou t,eo vſq;, vt libra in libero pendeat aere, in cuius altera lãce *Xamabuxis* id eſt pœnitentiarius ſedet immane præcipitium deſpectans. porro lanx illa homine plena quantum fieri poteſt ſubſidit, altera vacua altum petente , & aduſque iugum bilancis adſcendente. hunc ita pẽdulum alta voce alloquuntur ab rupe Goquii , iubentque recitare ſua ſcelera atque confiteri, ſiue verbis, ſiue cogitatis, ſiue denique factis deliquiſſet. Hæc confeſſio non eſt ſecreta, vt ſuperior illa Peruanorum, ſed fit in propatulo, audientibus qui adſunt omnibus: quorum pars ſcelera confitentis audientes, cum riſu excipiunt: pars commiſeratione tacti cum ſuſpiriis audiunt & lacrymis. Ad ſingula peccata, quæ recitat ille, lanx vacua, quæ adſcenderat , aliquantulum deſcendit, idque fit tamdiu , donec omnibus criminibus prolatis lances ambæ pendeant in æquilibrio. Quo animaduerſo *Goquius* rotam dentatam horſum vertit, trabemque ferream reducit, quam ſequitur appenſa bilanx ad ipſam vſque rupem quæ machinam illam ſuſtinet. Ibi egreſſo è lance libræ priore, alius non pauciorum criminum reus inſidet, pariq; modo ac prior confitetur. Quod ſi quis vel verecundia motus, vel alia aliqua cauſa delictorũ ſuorum partem reticere aut negare audeat, illum *Goquius* impulſa vehementer lance, cui inſidet miſer, euerſum momento citius præcipitat, qui de tanta altitudine lapſus ſoloq; aut rupibus illiſus atq; afflictus fruſtillatim comminuitur. Sed hoc rariſſime fit. nemo enim hoc periculum adit niſi cum certo propoſito omnia aperiendi crimina, ipſique pænitentiarii tam ſancte, ſollicite, atq; integre confitentur, vt multis annis non ſit auditum quẽquam præcipitio ob eam cauſam periiſſe. Hunc confeſſionis tam periculoſum locum ipſi Iaponenſes ſua lingua vocant *Sangenoto-coro.*

Vnctio Sacerdotalis apud Mexicanos.

Et vnctionem ſacerdotalem tum Iudæorum tũ Chriſtianorum æmulari auſi ſunt Indi: ſed ex Chriſmate ſiue vnguento, velut leo, ex u nguibus facile agnoſcitur autor illius. Idolorum Mexicanorum ſacerdotes hoc modo vngebantur. Oblinebant totum corpus axungia illa à capite ad calcem, quæ inter cæteras virtutes prouocabat capillos capitis, qui tamen non recti inde prouenıebant, aut quales ſunt cæterorum mortalium, ſed ſetis porcinis aut iubæ equorum ſimiles, craſſi, implicati, intorti , quos nodis conſtringebant. ſi ſoluerentur, caudam equinam proxime referebant. Igitur hoc capillitium in eam excreſcebat longitudinem, vt infra genua vſque deſcenderet, eratque tanti ponderis, vt moleſtum eſſet ipſis ſacrificis hoc onus circumferre. nec integrum erat, votiuum hunc capitis habitum mutare, aut ſecare crines, niſi extremo ſenio aut morbo exigente, vel cum rempublicam capeſſerent, aut ad præfecturas regionum admouerentur. connectebant autem hoc tam denſum capillitium faſciis Xylinis ſex digitos latis.

Quales dii, tali thus iis adoleba tur.

Thus vero, quo ſeſe ſubfumigabant, erat fuligo caminorum vt plurimum, qua re tam vili antiquitus delectatos fuiſſe Deos ſuos affirmabant, ipſique ſacerdotes, qui ſacrificia peragebant, totum corpus fuligine illa vel atramento inbuebant, idque quoties erat ſacrificandum, de nouo, vt nigriores apparerent intimis Æthiopum, & tali vnguento vngebantur plerumq; cũ domi ſacris operarentur. Quod ſi facienda erant diis ſacra in ſyluis, in montibus, aut ſpeluncis ſubterraneis, (quod ipſum frequenter fiebat) ibi vtebantur alio vnguento peculiarib. ceremoniis adhibitis, cui tribuebant vires pellendi formidinem & addendi animum. Miſcebant aũt illud vnguentũ ex ſanie quarundã venenatarũ beſtiolarũ, cuius generis ſunt aranei, ſcorpiones, phalãgii, Salamãdræ, ſtelliones, ſerpẽtes,

viperæ,

viperæ, quas beſtias pueri auide venabãtur, captasq; magno numero ad veneficos hoſce deferebant. Sacerdotes accepta virulenta illa inſecta corã altari in ipſo fano cõbuſta in cineres redigebant, oſſa comminuebant in mortario lapideo, addentes inter tundendum *Tabacũ* herbam. cineres humectabant viuis ſcorpionibus, araneis & rubetis, quæ omnia confundebant terebantque ſimul, adiungentes inſuper partem ſeminis *Ololuqui*, quod ſenſum obſtupefacere ſolebat. tandem miſcebant his cineribus atrum quoddam & pilis horridum genus vermium, præſentis veneni. hæc omnia iunctim ſubigebant, inſperſa affatim fuligine. Mixtum quod inde prodibat (præſtantis ſine dubio virtutis) ſeruabant paruulis ollis conditum, Idolisque ſuis proponebant, dicentes eſſe deorum ſuorũ eſcam, quia inhilaribus veſcerentur, eaq; de cauſa vocitabant diuinum cibum. Victimarii & ſacerdotes, qui hac tam ſuaui mixtura vngebantur, aiebant omnem ſibi adimi formidinem, audaciam vero roburq; conciliari. ipſi repente euadebant enthuſiaſtæ, circulatores, videbant aperte ſathanam, cumq; eo ſermones miſcebãt, mutabatur ipſis facies interrorem, efferabatur animus eorum in tantam crudelitatem, vt nihil penſi haberent, per iocũ & ludum homines iugulare; breuiter omnis ſenſus humanitatis ipſis adimebatur. ipſi hi nebulones intrepide inuadebant truculẽtas beſtias, quas vel ſolo vultus terrore & oculorum ferocia in fugam compellebant. Hoc ipſo vnguento vtebantur etiam ad vulnera, tumores, ægritudines alias curandas, alutis aut linteolis illinebant, emplaſtra inde conficientes, locisq; affectis imponebant, vnde certa ſequebatur ſanitas. Hi ipſi hiſtriones ſacroſancti habebantur, quos populus velut cælo dilapſos omnibus locis conſectabatur, ſimpliciores præſertim, quos adunco ſuſpendere naſo graphice norant, qui velut faſcinati & ſidere tacti omnia faciebant quæ iubebantur, ab ore horum nebulonum pendentes, haud ſecus, ac ſi mera oracula & ipſorum deorum reſponſa audirent. Hinc factum eſt, vt ampliſſimum regnum Peruanum abundaret incantatoribus, ſortilegis, circulatoribus, agyrtis, pſeudoprophetis, veneficis aliisq; id genus nebulonibus.

Vnguentum miræ confectionis.

Quoties interrogati de reb. dubiis, reſponſa promere volunt, includunt ſe atq; abdunt in conclaue quoddam, vbi perpotando adeo inebriantur, vt nec ratio nec ſenſus illis cõſtent. Altero die experrecti à crapula reſpõdent ad interrogata quicquid ipſis viſum fuerit. Maiora etiam perhibentur de ipſis: poſſe ſe transformare in diuerſas ſpecies, ſcire ipſos volare in aere, deq; loco in locum celerrimo motu transferre, nunciare quid in remotiſſimis locis rerum geratur, reuelare furto ablatas res, furesq; prodere.

Sacerdotes Mexicani incantatores & venefici.

Non autem quicquam horum tentant aut aggrediuntur, niſi prius habito cum Sathana colloquio, cuius quidem boantis vocem audiunt, ſpeciem non vident.

Cæterum ceremoniarum & rituum apud has gentes nullus modus nec finis. etſi enim quam plurimas ad tædium vſq; & nauſeam ſumus perſecuti, plures tamen dictis habuerunt, quibus multa vel cum ritibus Moſaicis vel cum Chriſtianis legibus ſimilitudo. ad priorem claſſem referuntur crebræ lotiones, *Opacunæ* ab iſtis dictæ, quib. abluto corpore peccata ſe abluere rebantur. ad poſteriorem referre poſſis Mexicanorum baptiſma (quãquam & circumciſione aliqua vterentur) quod impertibant magnorum virorum atque adeo Regum liberis. Nato enim recens puero, poſtquam ipſum ſacerdos abluiſſet vndis, circumcidebat alius aures & præputium virilis membri, quod inde abſtulerat, ſacrũ erat idolo, cui & loco ſacrificii offerebatur. inſuper dextræ manui pueri indebant perexiguum gladiũ, ſiniſtræ clypeolum minutum, puellis tradebant colum vel ſimile aliquid ad rem œconomicam pertinens. hæc erant ipſis loco crepundiorum.

Cacozelia diaboli in ritibus Iudæorum & Chriſtianorũ imitandis.

Nunc ad res matrimonii perueniamus; nam & inter ipſos matrimonii ius ſacroſanctũ,

Res matrimoniales Indorũ. confectis tabulis & pactis dotalibus. Sacerdos copulabat nubentes in hunc fere modum. Sponſus cum ſponſa ſedebat ante myſtam, accedit hic, atque prehenſa vtriusque manu ſciſcitatur ex eis, vtrum velint matrimonio iungi. quibus affirmantibus, ſeque eo fine adeſſe dicentibus, accepta ſacerdos particula pepli de capite ſponſæ, vt & fimbria de toga ſponſi colligabat manus nubentiũ, quos ita colligatos ducebat in domũ ſponſi, inque foco alendo igni deſtinato collocabat ambos; hoc pacto erat confirmatũ coniugiũ eorum. nuptiæ nihilo minus celebrabantur, largiter epulantibus atque pergræcantibus conuiuis. quod ſi alter horũ adulterii accuſatus conuictusque fuiſſet, diuidebant, prout inter ipſos conuenerat, ſuas inter ſe facultates, quas dotis nomine contulerant, non item adquiſita neque parafernalia. In liberorum diuiſione filii cedebant marito, filiæ vxori. Quo diuortio inter eos facto, vtrique liberum erat denuo nubendi cui vellet. Capitale tamen erat hoc modo ſeparatis, ſi denuo conueniſſent ad res venereas exercendas.

Tempeſtiuum omnino erat, omnem hanc materiam de Indorum religione, cultu, feſtis, ſolennitatibus tandem aliquando contractis veiis finire: niſi nos vna etiam res alio properantes vellicaret, quam expediendam eſſe breuiter exiſtimamus.

S. S. Trinitatis myſterium Sathanas imitatus eſt. Ea autem eſt, Indos hoſce auſos fuiſſe Sanctiſſimum & adorandum S. S. Triados myſterium, vel eius ſaltim aliquam repræſentationem ſuis figmentis atque vanitatibus inſerere. Adueniente enim magno illo feſto, quod decembri menſe agitabatur, (cuius copioſa deſcriptio eſt in ſuperioribus) cum Ingæ filius, Regni hæres, populo commendaretur, mactato magno numero ouium & agnorum, quorum carnes odoratis lignis & in hunc vſum præparatis cremabantur, peculiares inſuper proferebant oues, cum argenti aurique micis grauibus, quæ omnia ponebant ante ſimulacra è ligno fabricata, quibus fingebatur Sol, Tonitru, fraterque eorum. aiebant enim Solis filium eſſe tonitru, vtriusq; vero fratrem tertium illud idolum.

Hac ratione Sathanas obſcure æmulari voluiſſe videtur, licet mendacibus adumbrationibus, Sanctiſſimam Trinitatem. Tria illa ſimulacra Barbari vocabant ſua lingua *Apointi, Churinuti & Intiquaoqui*, quæ Latino ore ſic efferes: Solem Patrem ac dominum, Solem filium (ſiue ſolis filium) & Solis fratrem, (ſiue Solem fratrem.) Eadem hæc tria ſigna vocabant *Chuquulla*, quibus repræſentabatur ille deus, qui in aere dominatur, moderator ventorum, vt & ipſum Tonitru, cum authore niuis atq; pluuiarum. *Chuquiſacani* inſuper habent peculiare Idolum, quod ipſi *Tanga-tangam* vocant, de quo referunt, conſiſtere ibi vnum in tribus, & tria in vno.

Feſtum neomeniorum. Præter hoc feſtum, quod menſe dicembri peragebant, habebant adhuc vndecim alia non minoris ſolennitatis, ſingulis menſibus ſingula celebrantes. in vnoquoque mactabantur centum oues verſicolore lana, quæ non ſine operoſis ceremoniis diis immolabantur. Cæterorum feſtorum, quæ extra ordinem celebrabantur, nec modus nec numerus: inter quæ præcipuum locum obtinet *Iubileum*, de quo breuiter aliquid commemorabimus, quantum ad delictorum indulgentiam.

Annus Iubilæus apud Indos. Poſt feſtum *Vitzlipulij*, qui erat Rex Deorum apud Mexicanos, ſecundo loco erat feſtum *Tetzcatlipucæ* (dei Pœnitentiarii,) quod non niſi quarto demum anno menſe Maio ſemel agitabatur. cuius hic erat præcipuus finis: erogare plenas indulgentias ſiue remiſſiones omnium delictorum. Maii die decimo nono immolabant captiuum illum, quem toto anno ſaginauerant, quique inſignia illius idoli corpore geſtauerat, vetera illius veſtimenta, quibus ante deuotionem capitis ſui vſus fuerat, cuſtodiebantur pari religione cum ſtolis ſacerdotalibus & veſtimentis ſacris. Adueniente die ſolennis ſacrificii: præcipuus myſtagoga prodire, & ipſe ſacrum habitum dei ſui ferens, præferre manibus

bus flores, inflare fiſtulam marmoream acutiſſimi ſoni, conuertere ſe in quatuor Orbis cardines, abſentesque vocare. Quibus comparentibus ad ſonum fiſtulæ, Sacerdos primoribus digitis aliquantum terræ humo tollere, inque ore ponere, ac manducare. Præeuntem hunc ſequebatur vniuerſum vulgus, prolapſique in facies ſuas totam noctem demurmurando preculas ſuas ſumma cum deuotione inſumebant, inuocantes Ventum & Caliginem, quę peccata eorum auferrent, neu ſinerent in lucem proferri: neue propter ea vitali linquerentur aura, ſed parcius vterentur queis pollerent, in miſeros viribus & potentia. Huius fiſtulæ ſonus percellebat conſcientias furum, latronum, adulterorum, homicidarum cæterorumque id genus maleficorum, adeo, vt terrore & metu tantum non enecti ſcelera ſua confiterentur, deosque precarentur, ne ea propalarent in vulgus, ſed quantum poſſunt, obtegerent; quorum nomine gemebundi affictabant ſeſe, ſuosque errores deplorantes cum lacrymis offerebant ſacrificia, adolebantque thura adplacandum numen. Milites, ductoresque ordinum audito huius fiſtulæ ſono cernui adorabant idola ſua, inprimis autem ſolem cum cæteris diis maiorum gentium, eosque vires, robur, ſcientiam militarem, victoriam de hoſtibus comprecabantur, vt profligata inimica acie captiuorum multitudinem nacti opima eis poſtmodum ſacrificia offerre poſſent. Decem continuis diebus ante ipſam feſti Iubilei ſolennitatem hæ ceremoniæ peragebantur. Quæ autem fuerit ratio aut modus ipſius feſti celebrandi, quive tunc adhibiti ritus, narrare operoſius hoc loco ſuperſedebimus, perſuaſi, plus tædii quam delectationis lectores inde percepturos, audientes tot abſurdiſſimas ineptias, impietates, obſcænitates: cum multa huius generis in ſuperioribus feſtis largiter perſecuti ſimus, ex quibus de cæteris facile iudicium ferri, & crimine ab vno omnia noſci poſſint: cumque præterea mercatorum feſtum, quod ſupra deſcripſimus, multum huc faciat.

Expeditis tandem aliquando iis rebus, quæ ad Barbarorum horum religionem, cultum deorum, deuotionem, feſta, ſacramenta, ſacerdotia, victimas atque ſacrificia, ritus cauſasque matrimoniales ſpectant: Conſequens porro eſt, de eorum moribus, legibus, republica, imperio, ratione ſtatus quædam dicere, idque faciemus eo præcipue fine, vt oſtendamus, in magno illos errore verſari, qui opinantur, hos populos nihil præter figuram hominis habere, adeoque vix hominum appellatione dignos, in cæteris beſtiis ſimiliores, belluinis cogitationibus, ingenio nullo, omnium artium & diſciplinarum rudes, fungos ac rupices. Negari quidem non poteſt, in rebus tam ad cultum, quam ad gubernationem politicam multam apud eos vndique animaduerti barbariem: ſed nec illud viciſſim negari debet, multa ab illis ordine atque recte conſtituta fuiſſe, vnde non ſolum eorum ingenium admirari poſſis, ſed & colligere prudentiam, dexteritatem atq; docilitatem, quodque citra inuidiam dictum velim, eos noſtros, id eſt Europæos homines multis in rebus, quæ circa conſtitutionem principatus in conſiderationem venire ſolent, ſuperauiſſe. Nec eſt quod quiſquam adeo miretur varie ipſos in hoc capite errauiſſe, nec ad eam ſummam perfectionis in gubernatione ſua veniſſe, quæ ad rempublicam bene prudenterque adminiſtrandam requiruntur: cum ne Athenienſes quidem aut Romani quibus leges ſaluberrimæ, à multiplicibus circa bonum publicum errorib. fuerint immunes: qui ſi cognitum habuiſſent Mexicanorum Ingarumque gerendi rempublicam modum ac leges imperandi, ſine dubio his populis multum tribuiſſent.

Indi non tam barbari ac rudes, vt vulgo putantur.

Auſpicabimur autem hunc de rebus eorum publicis ſermonem à ſupputatione atq; partitione temporis apud Indos vſitata, qua perſpecta, eorum hominum ingenium ac perſpicaciam nemo non mirabitur. Igitur Mexicani vnumquemq; annum partiebantur in menſes octodecim. Menſis vnus continebat dies viginti: qui collecti conſtituunt

Ratio temporum apud Indos.

dies trecentos ſexaginta. reſtabant adhuc dies quinq;, quos nulli menſi adnumerabant, ſed ſuo quaſi priuato iure ſeparatos habebant, appellantes eos vacuos & embolimæos. Hos dies feriatos habebant, ab omni opere abſtinentes, vacantes vero tripudiis, ludo, variisque animi recreationibus. quin & ſacerdotes per hos dies abſtinebant à ſacrificiis: quibus finitis nouum annum inchoabant, menſesque porro ex ordine numerabant. Primus menſis cum arboribus gemmas protrudentibus ac vernante ſolo capiebat initium ſuum, eratq; cuiq; menſi ſuum nomē, figura & ſignum. nomen deducebatur fere à præcipuo feſto, quod illo menſe agitabatur, vt & à variatione tempeſtatis aut frugum, quæ illo anni tempore matureſcebant. Annum inſuper partiebantur in quatuor tempora, quorum vnumquodq; peculiari ſigno repræſentabant. Primi quadrantis ſignum erat domus: ſecundi cuniculus: tertii arundo: quarti excuſſorium ignis. ſubducentes rationem, & numerantes ſecundum illos quadrantes dicebant: poſt tot domus, poſt tot cuniculos aut arundines. Præterea habebant ſuas rotas ſiue orbes, ſecundum quas numerabant. Erat autem rota tempus menſtruum, conſtans quatuor ſeptimanis, inde dicebant, poſt tres quatuorue rotas fiet iſtud.

Quod de ſeptimanis diximus, de magnis illis capiendū eſt, quarum ſingulæ non paucioribus quā tredecim annis finiebantur, adeo, vt Rota vna collecta quinquaginta duos annos complecteretur. In medio rotæ ſiue circuli pingebant ſolis effigiem, emittentis ab ſeſe quatuor æquales lineas, quæ ad circumferentiam vſq; deductæ, ſecabant in quatuor æquales partes rotæ ambitum: variabant autem & coloribus eæ rotæ partes; primæ color viridis, ſecundæ cæruleus, tertiæ ruber, quartæ flauus. ſingulæ hæ quartæ partes ſiue quadrantes, rurſum diuidebantur in tredecim alias, cum ſuis ſignis, quæ ſupra commemorauimus: puta domo, cuniculo, arundine ignis excuſſorio, ita vt partium illarū vnaquęq; integrum annū complecteretur, ad marginem rotæ appingebatur, ſi quid memoria dignum illo anno contigiſſet; ita animaduerſum eſt, illos annum eum quo Hiſpani primo in Indiam Occidentalem exitioſo Indorum fato appulerunt, annotaſſe, in primis autem videbatur ibi pictus Ferdinandus Corteſius, qui poſtmodum Marchionis titulo inſignitus illuſtris factus eſt, rubris veſtibus indutus. Quoties autem talis aliqua rota finiebatur, quod non fiebat ante decurſum quinquaginta duorum annorum, mirificam & admodum ridiculam adhibebant ceremoniam. Confractis omnibus, quotquot intra domos erant vaſis fictilibus, ollis, hydriis, vrceis, etiam lumina ac lychnos, omnemque penitus ignem extinguebant: mundum cum decurſu vnius atq; ita nouiſſimæ rotæ interiturum perhibentes: ſuperuacaneum igitur eſſe, ignes alere, habere vaſa, coquere cibaria, ciboſq; ſumere. Totam tamen habebant peruigilem noctem, excubantes ſedulò, viſuri, vtrum poſtera lux oriretur. quam conſpicati, quaſi repēte alii facti, omnes in magnū gaudium effundebantur, iam de integro quinquaginta annis ſibi ruinā mundi non pertimeſcendam arbitrantes, pulſantes tympana, inflantes tibias tubasque omnis generis, nullo non organo muſico perſtrepentes, nihilq; ſibi ad omnē lætitiam reliqui facientes, quod deum fauore iam de aliis quinquaginta duob. annis ſatis ſibi cautum eſſet. Poſtea ignem petebant à ſacerdotibus, emebantq; denuo vaſa fictilia, aliaq; quibus opus habebant, totum illum diem feſtum agentes, ac diis ſuis gratias agentes.

Peruanorum ratio temporis. In ratione autem dimetiendi ſpacii annui Peruuiani Mexicanos ingenio & ſolertia multum ſuperabant. Primū nobiſcum partiebantur annū in trecentos ſexaginta quinq; dies, inque menſes duodecim, diſtributis & velut intercalati uinque illis dieb. Mexicanorum reſiduis. Vt igitur certa ſuis annis conſtaret ſupputatio, ingenioſo vtebantur cōpendio hoc. In montibus, quib. vndiq; includitur Vrbs Cuſco, caput regni, in qua Regis

aula,

aula, Theſauri præcipuumq; totius prouinciæ fanum, cum ſede ſacerdotali & iuſtitiæ; in montib. inquam illis erectæ erant duodecim pilæ, ſiue columnæ, æquis diſtantes ab ſeſe ſpaciis, quas pilas ipſi vocabant *Succangas*. per has deſignabant illi, populoq; indicabãt feſta, iteq; ſationis & meſſis, aliorũq; operũ tẽpora. Hiſce pilis, quas colũnas ſolis appellabãt Indi ſacrificabant velut ipſi ſoli, obſeruantes ordinem poſitionis: vnicuiq; mẽſi ſuũ erat nomẽ, ſuumq; peculiare feſtũ. Annum auſpicabantur antiquitus à menſe Ianuario ſicut & Europæ populi: quanquam ratio hæc ſucceſſu temporis ab *Inga Pachacuto* immutata fuerit, qui decembrem menſem anno fecit auſpicalem: quia illo menſe Sol à Tropico Capricorni, à quo Cuſcana ciuitas non multum abeſt, regredi incipit verſus Æquinoctialem circulum. De ſupputatione ſeptimanarum apud Peruanos, vt & anno biſſextili nihil habemus certi dicere, quanquam non deſint, qui vtrumq; ab illis populis obſeruatum memoriæ prodiderint.

Indi in vniuerſum omnes caruerunt omni literatura ſcribendiq; ratione penitus: exceptis Iaponenſibus & Chinenſibus, qui & ipſi tamen non litteris, ſed characteribus quibuſdam & notis loco literarum vſi ſunt, ad animi ſenſus exprimendos. Cum itaq; ſub Indorum nomine, non Hiſpaniæ nouæ tantum incolæ, aut Peruani regni, ſed & (ſi cum vulgo loquimur) Iaponenſes & Chinenſes capiantur, de horum quoque literis & modo ſcribendi aliquid in medium afferemus.

Ratio ſcribendi apud Indos omnes.

Iam primum igitur Indi omnes, quicunq; ſint, non habent litteras, neq; Alphabetum, ſed figuras, imagines ac ſigna quædam, in quib. eorum ſcriptio conſiſtit, ſi modo ſcribere dici poſſunt, ac non potius pingere. Hæ eorum notæ, hæq; imagines nõ deſignant certa verba ſiue vocabula, vt noſtra verba ſunt ex literis compoſita, ſed ipſas res, quarum ſunt ſigna vel figuræ: puta ſolis, Ignis, hominis, maris, animalis & mille talium. Etſi enim Chinenſium lingua infinita prope eſt, multiſq; differentiis inter ſe diſtincta; eorum tamen ſigna vel (vt ita ſane dicamus) ſcripturam, quilibet legere & aſſequi poteſt, cuiuscunq; ſit Nationis aut originis: non alia ſane ratione, quam apud Europæ populos Characteres arithmetici ab Italis, Gallis, Hiſpanis, Arabibus non minus intelliguntur quam à Germanis. Hæc enim figura, 8. quæ octo denotat, apud omnes nota eſt octonarii numeri, etſi aliter Galli, aliter Arabes, aliter Germani efferunt, aliterq; pronunciant. Vt igitur res, quæ appellantur ſuis nominibus, apud Chinenſes ſunt infinitæ, ita oportet quoque figuras, quibus illæ res repræſentantur, infinitas eſſe: eſtque laborioſiſſima hæc apud Chinenſes legendi ratio. Oportet enim eum qui legere ſciat, vt in quam pauciſſima contrahamus, noſſe ſigna octuagies quinquies mille. Qui autem literatus inque ſtudiis verſatus audire cupit, teneat oportet memoria notarum ſiue characterum centum viginti millia. porro qui ad hanc ſcripturam diſcendam animum applicant, totum decennium, dies noctesque pariter impendant neceſſe eſt, neq; tamen vel tanto ſpacio hoc characteres omnes diſcet, legendiq; rationem perfecte apprehendet. Qui vero has notas exacte callent in magno ſunt apud gentiles honore & precio, admouentur gubernaculis reipublicæ, præficiunturq; prouinciis regundis, nec vllus honor maior eſt, quam qui doctis exhibetur.

Ratio ſcribendi & legendi apud Chinenſes.

Facit hæc res vt multi liberos ſuos à puero ſcholis quaſi mancipes addicant, tãtumq; nõ innutriant, vbi non tam blanditiis quam flagris & verberibus ad diſcendum compelluntur, ſpe futuræ felicitatis & honorum. Hæc ſcientia legendi & ſcribendi vocatur *Lingua Mandarinorum*, quæ tantas habet difficultates & flexus, vt multi toto vitæ ſuæ tempore diſcant, neq; tamen ad optatum finẽ peruenire poſſint. Eſtq; hoc miraculo ſimile, populos diuerſiſſimarũ linguarũ ſcriptis colloqui poſſe, cum alter alterũ loquentem minime intelligat: nec n. eadẽ lingua Iaponẽſib. quę Chinenſib. eoq; cõſequens eſt, vt ſi Iaponẽſis

ea, quæ ab Chinenſi ſcripta ſiue picta, legens pronunciaret, Chinenſis eum minime aſſequatur, vt nec viciſſim Iaponenſis Chinenſem. Et hæ ſunt litteræ ac libri Chinenſium, quorum per omnem orbem habitabilem fama re ipſa maior, quibus & neceſſitatis aut ornatus gratia nonnunquam pictas tabellas inſerunt ligno inciſas. Et profecto omnis eorum ars ac ratio imprimendi conſiſtit in ligneis tabulis, quibus ſigna loco litterarum incidunt, impoſitasque chartas imprimunt, ſicut in Europa figuræ æneis tabulis inciſæ imprimuntur. Quærat iam aliquis curioſior: eccquonam pacto animi ſui ſenſa hoc ſcribendi per notas genere alter alteri aperire poſſit, cum non plures ſint ſigna ſiue figuræ rebus, vnde vna nota vnam non plures res ſignificare queat, qua nec varietas caſuum, temporum, articuli, coniunctiones poſſint exprimi, quæ tamen omnia in linguis non minus ſint neceſſaria, quam res ipſæ: Huic reſpondebimus, Solere illos defectum hunc certis lineolis punctisq; aut appendiculis ſupplere, vnde differentia caſuum, temporum, præpoſitionum à peritis facile intelligi poſſit.

Vnde lector non rudis facile colligere poteſt, quantum difficultatis habeat, res ignotas, quarum in China aut Iaponia nullus vſus, peregrinaque nomina, ſua ſcriptione exprimendi, cum plane neceſſe ſit nouis & incognitis rebus nouas figuras fingere: quod nouum ſtudium, nouamque requirit induſtriam. Scripturæ autem ac libri eorum tantum in ſeſe continent Rerum geſtarum hiſtorias, differentias cultuum ac religionum, leges ac iura municipalia, modum adminiſtrandi rempublicam, fabulas, & Ænos morales, ſententias ac prouerbia: quanquam & Aſtrologiæ non omnino rudes ſint, quam aliqua ex parte, Medicinam autem probe callent, cui & multum ſtudii ac operæ impendunt. Scribunt autem penicillis, abundantque libris ſcriptis, qui tamen nullo certo ſtylo nec genere dicendi concepti ſunt.

Comœdiæ Chinenſium.

Comœdiis, mimis, cæteriſque ludis ſcenicis ſupramodum dediti ſunt, quas non inſcite agere norunt, adeo vt quandoque octo vel decem diebus & noctibus iunctim hoſce ludos continuent, variatis ſcenis, mutatiſque hiſtrionibus prodeuntes, dumque hi ſuas partes agunt in fabula, alii per vices cibum capiunt aut dormiunt. In his Comœdiis cum primis ad emendationem morum ſpectant, propoſitis laudabilibus maiorum ſuorum exemplis, deſumto plerumque ab aliqua veteri hiſtoria argumento.

Indi viro in regno Peruano (de quibus nobis potiſſimum ſermo eſt inſtitutus) ante Hiſpanorum in Americam aduentum non ſcripturam vllam, nec litteras, nec characteres, neque ſigna aut imagines habebant in vſu, quibus animi ſui ſenſa prodere poſſent: nec tamen eo minus conſeruauerant memoriam rerum antiquiſſimarum, norantque geſta maiorum ſuorum ab aliquot retro ſeculis, quin & ſubducebant ratienes, computantes expenſas in bella, in pacem, in rempublicam, non vllis vſi libris, ſed tradentes viua voce quæ memoriæ infigi volebant. Maiores enim natu narrabant minoribus qui ſeniorum recitationes attentiſſime audientes animo penitus infigebant, & porro ſuis liberis poſteriſq;, hiq; deinde aliis tradebant, & ſic illius rei memoria ad omnẽ poſteritatẽ propagabatur. Quod ſi periculum erat, ne obliuione ſubrepente alicuius rei perderetur notitia, huic rei anteuertebant craſſis rudibusque picturis, quem morem etiam Mexicani obſeruabant. Potiſſima vero ratio iuuandi memoriam conſiſtebat in funiculis, (ipſi *Quipos* appellabant, nos funes memoriales vel indices vocare poſſumus) qui diuerſis nodis erant ſignati colore variantibus, quibus res variæ ſignificabantur.

Indorum Indices memoriales.

Superatque omnem fidem penitus, quantum hæc ingeniola ſubtilitas his hominibus ad comprehendendas res memoria profuerit. Quod enim apud nos hiſtoriarum libri, ſcriptæ leges, ceremoniarum indices, libri rituales, enchiridia, faſti: id omne præſtabant

Peruanis Indis funes illi nodoſi,quos *Quipos* ab illis appellari diximus. erant autem funiculi illi ligati nodis maioribus minoribusq;,appendentibus filamentis quibuſdam reticulatim plexis coloribus tinctis diuerſiſſimis,quę omnia illis litterarum inſtar erant. Et ſane ſicut nos viginti tribus literis diuerſimode iunctis atque collectis infinita machinamur vocabula: ita Indi noſtri nodis illis ſuis atque filamentis res diuerſiſſimas innuunt, quarum rerum tanta eſt varietas,quanta apud illos eſſe poteſt obuia. Quidam vt preces, in quibus à Chriſtianis inſtituebantur,apprehenderent celerius, lapidibus quibuſdam ad iuuandam memoriam vſi ſunt,ſingulos fidei Chriſtianæ articulos ſingulis ſignantes lapidibus,ſed varietate notabili,vt diſcernere ab inuicem poſſent. In computo & ſubductione rationum ſunt verſatiſſimi: granis enim Mayzi frumenti vtentes,non minus dextre ac celeriter quod quærunt, inueniunt & deducunt, quam nos numeris noſtris aut calculis.

Monendus quoq; eſt Lector Philohiſtor de ſcriptura Chinenſium: non ſolere illos lineatim ſcribere,neq; à ſiniſtra ad dextram, vt Europæi omnes,neq; à dextera ad ſiniſtram vt Hebræi,Syri,cæteriq; orientales populi plerique:ſed ab ſummo ad imum deſcendente ſerie,vel etiam in orbem. Cum enim eorum Characteres non ſint litteræ,ſed ſigna, integra verba vel res ſignificantia,nihil eſt neceſſe ea connectere,cum ſeorſim poſita ſeorſim etiam ſignificent. Contrariam viam inſiſtunt Mexicani,qui ab imo ordientes aſcendunt poſitione notularum ſuarum vſq; ad ſummum. Notaturi autem aliquid in faſtos ſuos ſiue Calendaria,ordiebantur à medio,vbi Sol pictus extabat,quem omnium rerum principium ſtatuebant,inde progrediebantur vſque ad annum quem notare volebant, & ſic deinceps vſque ad extremam rotæ circumferentiam. *Chinenſium ratio ſcribendi.*

Sed nouum genus dubitationis oritur. Cum vtrunque regnum Mexicanum & Peruanum fuerit ampliſſimum potentiſſimumq;,ipſiq; reges multis gentibus exteris imperitauerint,longiſſime à Sede regia diſſitis,quo pacto fieri potuerit, vt iuſſiones, imperiaque Principis,negocia inſuper,procurationes,redditus,vectigalia commoda fiſci aliæq; huiuſmodi reipublicæ neceſſitates expedirentur ſine literis aut ſcriptura? Sed ea quæ ſuperius à nobis commemorata ſunt, hic quoque pro nobis reſpondebunt: quæ nos per literas,edicta,reſcripta,conſilia; hæc illos per ſigna,imagines,Characteres,vt &,quod omnium primum dici debuit,viua voce efficere potuiſſe , nec vllam rem fuiſſe tam nouam,dubiam aut perplexam quæ ipſorum notas potuerit effugere. Ad hæc curſoribus vtebantur incredibilis celeritatis, qui à prima pueritia huic ſeruitio adſuefacti edoctiq; breui tempore ingens viæ ſpacium emetiebantur. *Curſores diſpoſiti apud Peruanos.*

Quod ſi res quæpiam tanti erat momenti,vt ordinaria via ſatis nunciari non poſſet aliam inibant proceres Mexicani rationem,picta enim imagine vna vel pluribus rem, vt poterant,adumbrabant,mittebantque ad eos, quos ſcire referebat, qui intellecto myſterio,quod iuſſi erant,ſine mora exſequebantur:id quod & tunc factum eſt,cum Hiſpanorum naues Indorum oculis (res funeſta ac fatalis) primum ſubiectæ fuerunt, quando Barbari in expeditionem belli iuerant *Toponcham* prouinciam armis occupaturi.

Nunc demum ad Rempublicam eorum accedendum eſt,ac forma ciuilis gubernationis videnda: quæ facile prodet Indorum ingenia,quique inter eos fuerint aliis barbariores. Qui enim humanitate & manſuetudine alios anteibant, blandius & mitius habebant ſuos,nec tam ſuperbe,auare aut crudeliter illis imperitabant,vnde factum , vt hi reges & principes moderate viuerent,ab inani pompa alieniores,nec ſe vltra modum efferen-

efferentes,non ignari,ſi communis omnium ſors, naturaque mater in conſiderationem veniat,ſe nihilo meliores aut excellentiores plebeiis, immo vero aliquibus ne pares quidem eſſe,vna illa re præſtare aliis,quod reipublicæ curam,onus nec paruum nec leue humeris ſuis baiularent. Qui vero barbariores fuerunt contrariam huic inſtitere viam,Tyrannos potius quam principes agentes,populum ſuæ fidei commiſſum communi cum brutis aut beſtiis iure habentes,res difficilimas exigentes, ſeque diuinis honoribus coli imperantes. Hæc res effecit, vt multi Indorum populi Monarchicam potentiam deteſtati,nullos Reges neque principes tulerint,ſed excuſſo dominatu vnius, liberorum populorum more vixerint libere,iugi impatientes: quanquam, ſic exigente belli neceſſitate Ducem aliquem extra ordinem ſibi deligerent, cuius imperiis tantiſper paruerunt, donec è re ſua viſum fuerit.

Confecto enim bello,deductisque legionibus,redacto in ordinem duce ad primam libertatem redibant.

Forma regiminis in maxima parte Indiæ.

Et hæc eſt vſitatiſſima regiminis forma per partem multo maximam *Noui Orbis*, vt neque ſint abſolutæ Monarchiæ, nulla perpetua ſerie Regibus aut principibus imperantibus: neque reſpublicæ Democraticæ, paucis in populo eminentibus: neque Ariſtocratiæ,præualente rudi & incondita plebe.

Non autem negamus,in quibuſdam populis inueniri præſtantes virtute ac meritis viros,diuitiisque pollentes,qui à plebe velut reguli quidam aut equeſtris ordinis dignitatisque habeantur: quales *Auricani* fuerunt in prouincia *Chile*, vt & *Tucapellani* aliique, qui Hiſpanis multum negocii faceſſentes, valideque reſiſtentes, multis annis eos armis exercuerunt,vt intentatum iugum ceruicibus depellerent. Par ratio fuit regnorum aliorum,*Terræ Granatenſis,Guatimalæ, Floridæ, Braſiliæ*, vt & Inſularum *Philippinarum* aliarumque multarum,quæ quidem regna ac Inſulæ plurimum terræ occupant, latiſſimeq; patent.

Sed tanta eſt horum omnium Barbaries & confuſio,vt quis regat,quis regatur,difficulter dignoſcere queas.

Ægre enim admodum ſuperiorem admittunt, ſed omnes regnare ac imperitare volunt,confundentes ſuffragia,perclamorem & tumultum omnia agentes.

Hinc facile colligi poteſt,qui fere euentus ſequantur neglectis melioribus conſiliis, nemine parente,ex ſtolidiſſimi cuiusque capite manantibus conſiliis obtinentibus. Omnia per vim aguntur,nemo honeſtatis aut æquitatis rationem habet,fortior imminet imbecilliori,velut inter canes,eſtque confuſio in confuſione.

In India Orientali ſunt vaſta ſpacioſiſſimæ magnitudinis regna, interque ea *Sian, Biſſinagar,Narſinga*: regnum tamen Chinenſe potentia,amplitudine,diuitiis,ſplendore illa omnia ſuperat: Et,ſi vera eſt fama, perhibentur reges Chinenſes non interrupto ordine,perpetua ſucceſſione iam ab annis bis mille,& quod excurrit,quiete regnaſſe. Hic eſt fructus moderati,prudentis ac æquabilis imperii.

Duo præcipua regna in occidentali India.

In vniuerſa Occidentali India quam late quidem detecta noſtrisque hominibus peruſtrata eſt,duo omnino firma ac ſtabilia regna inuenimus, in quibus longo ordine reges Dominati Monarchiam obtinuerunt:*Mexicanum* & *Peruanum*,quod & *Ingarum* regnum dicitur: vtrum tamen altero fuerit potentius aut magnificentius, non eſt in facili aſſeuerare. Ædificiorum magnitudine,ſplendore aulæ,*Motecuma* ſuperauit *Ingas Peruanos*. Diuitiis,Theſaurorum cumulis,amplitudine regni,antiquitatis fama Ingæ Peruani ſuperiores erant Mexicanis. Gloria belli, fortibus facinoribus victoriisque erant prope pares,vt nos quidem exiſtimamus. Iſtud extra omnem dubitationis aleam eſt, duo

hæc regna multo eſſe præferenda, omnibus aliis Indicis imperiis aut dominatibus, non tantum ratione prudentiæ, gubernationis publicæ, artium bonarum, diuitiarum, potentiæ, ſplendoris, ac magnificentiæ: ſed etiam ſuperſtitionis multiplicis & idololatriæ.

Hæc duo regna, licet in multis rebus eſſent ſimilia, aut ſane non adeo multum diſſiderent: in legendo tamen principe multum differebant. Apud Mexicanos enim erat regnum electiuum, creato per maiora vota principe, velut Romanum Imperium apud Germanos. Peruani autem reges naſcebantur, non fiebant, quibus mortuis ſucceſſionis regnique ius deuoluebatur ad proximum agnatum ſeu iunctum ſanguine, vt Hiſpanorum & Gallorum regna.

Sed agedum, non parcemus operæ, verum de vtroque regno dicemus aliquid, capto ab Ingis initio, qui à multis annis in ampliſſima Peruana prouincia Regum nomine & titulo imperitauerunt.

Igitur Inga, poſtquam viuendi & imperandi finem feciſſet, tumulato magnifice cadauere, filius primogenitus, legitimo matrimonio ex ſorore regis procreatus, patri ſuccedebat in imperium. Habebant enim Ingæ in matrimonio ſorores germanas, & priuilegio quodam vſurpato, & ad oſtentationem potentiæ ac licentiæ. nec tamen his contenti erant, ſed greges concubinarum alebant. Quod ſi vero Regi defuncto eſſet frater germanus, in hunc deuoluebatur hæreditas, non in filium demortui: qui tamen patruo è viuis egreſſo, legitimus patris & patrui habebatur hæres. Par ſucceſſionis ordo obſeruatus fuit à dynaſtis ac præfectis regionum, in transmittendis hæreditario iure ſatrapiis. *Succeſsio regum Peruanorum.*

In ſepeliendis Ingarum cadaueribus, dici non ſatis poteſt, quantum adhibitum fuerit cerimoniarum, quamq; magnifice, ſumtuoſe ac dapſiliter humatum fuerit corpus regium.

Succeſſori integrum non erat, Theſauros ac bona defuncti propria, quæque in peculio habuerat, hæreditatis iure ſibi vendicare, ſed ne tangere quidem licebat: omnia enim quantiuis precii Oratorio eius, quod viuus ſibi extruxerat perpetim addicebantur. Eratque nouo regi neceſſarium, futuræ aulæ ſuæ noua velut fundamenta iacere, conſtituere miniſteria, adſciſcere ſeruitia, colligere aurum, argentum, precioſam ſupellectilem, quicquid denique regia magnificentia ad aulæ ſplendorem exigebat. Hæc eſt cauſa, quod Peruanum regnum intactis Theſauris adeo abundauerit, vt omnem fidem ſuperet narratio, cum nouus quiſq; rex in id omnes vires ſuas conuerteret, vt collecta auri atque argenti vi quam maxima anteceſſorem ſuum ſplendore ac diuitiis vinceret. *Vnde tot Theſauri in regno Peruano.*

Cum poſſeſſionem adiret nouus rex, in ſignum futuri principatus porrigebatur ei non ſceptrum aut diadema, ſed glomis è filamentis laneis teneritudine & pulcritudine ſerica vellera vincentibus, rubicundi coloris, qui ei propendebat de occipitio. Hoc erat ſignum regium, nec vlli priuato licebat hoc quocunque tandem modo ferre. Proceres regni, qui proximi à rege erant, ferebant quidem, ſed non in vertice, verum à latere dextro, circa tempora & pone auriculam.

Facta inauguratione, & rege in ſolio collocato, agitatum fuit ſolemne feſtum, oblatis ex more ſacrificiis: vbi non alia adhibita vaſa quã aurea & argentea, aulæis & ſtromatis phrygiato opere omnes operientibus parietes. aderat præſto magna copia algæ paluſtris, vt & pennarum pictarum ingens varietas, cum gregibus ouium verſicoloribus, omnia in vſum ſacrificiorum parta. Summus Pontifex adſcito collegio ſacerdotũ, arreptũ

Inauguratio Regum Peruanorum.

puerum octennem admouebat ſtatuæ Viracochæ, quam & in hæc verba alloquebatur: *Ecce Domine, hunc ſacrificamus tibi, honoremque habemus precantes, vt nos in pace & tranquillitate conſerues, in bello robur & victoriam largiaris, Regem noſtrum nouitium gloria, virtute, ſapientia mactes vt dextera ſemper vtatur fortuna, vtque nos prudenter, moderate, iuſte regat iudicetque.*

Huic ſacrificio & inaugurationi regis, non proceres ſolum, ſed vniuerſus populus regni Peruani intererat.

Populus Ingam regem ſuum maximo honore proſequebatur, faciebantque in eius gratiam quicquid excogitare poterant, ſuſpicientes eum omni ſubiectionis & obedientiæ cultu, adeo vt ab nullo æuo auditum ſit, ſeditionem ab plebe aduerſus regem motam fuiſſe vllam. Ipſi Ingæ non ſolum imperitabant potenter, & magnifice, ſed & iuſte, non permittentes imbecilliores à potentioribus opprimi, neque quem iure ſuo priuari aut interuerti. Remotioribus prouinciis præficiebant rectores ac velut proconſules, aliosque inferiores magiſtratus, qui popularibus ius dicerent, eorumque lites iuſte componerent. His erat capitale inebriari, captare dona, aut vel minimam frumenti ariſtam cuiquam per vim auferre.

Leges rectoribus prouinciarum obſeruanda.

Ocium, rem noxiam in ciuitate, vt auerterent, exercebant multitudinem moderate laboribus publicis, totius regni bono cæptis: cuius rei adhuc clara extant veſtigia, tam multæ viæ regiæ lapidibus ſtratæ, ingenti labore exædificatæ, rectitudine incredibili quæ non aliis quam his præfectis debentur. Si quam prouinciam exoticam bello petitam deuicerant, lectos ex illo populo præſtantiſſimos ac nobiliſſimos quosque domum ſecum deuehebant, miſſis eorum vice è victrice gente aliis, quibus ſplendor domeſticus & familiæ nobilitas gratiam apud victos conciliabat. Malefici ac flagitioſi, vt & qui vel connixerant, vel in parte ſceleris fuerant, pro ratione criminis grauiſſimis cohercebantur ſuppliciis.

Porro ipſi Ingæ, etſi eorum regnum cum cohærentibus prouinciis ad milliaria prope mille extenderetur, ita tamen ſubiectos ſceptro ſuo populos partiti fuerunt, vt omnibus cum imperio rite præeſſe poſſent. Capta enim bello regione aliqua, inque prouinciæ formam redacta, referebant deuictos in tribum aliquam à regno ſuo dependentem, diuidebantque in decurias, centurias, atque Chiliades, quibus ſui erant præfecti decuriones, centuriones, Chiliarchæ, qui erant cum imperio pro ratione ſtatus ac ordinis. his omnibus præerat vnus, quaſi ſummus Gubernator, qui erat fere ex principibus regi ſanguine iunctis. Huius imperio illi omnes ſtare iubebantur, hunc colere ac ſuſpicere, huic rationes reddere actorum atque gubernationis ſuæ. Hi Rectores prouinciarum quot annis mittebantur ab aula Cuſcana, profectique in prouincias quas ſortiti fuerant, exercebant iudicia, colligebant redditus regios, exigebant debita fiſco, peractisq; negociis ſuis reuertebantur in Vrbem, appetente ſolennitate feſti, quod Indi *Rayme* appellant.

Diuiſio regni Peruani.

Cæterum totum regnum Peruanum in quatuor partes diuiſum erat, ſecundum quatuor vias regias ſtratasque, quæ ex vrbe Cuſco ducunt. Hæ viæ quatuor porrigebantur in quatuor orbis cardines, ſecundum quatuor principales ventos, erantque his nominibus: *Colla Suyo* ductabat in Auſtrum: *Chinchaſuyo* in Aquilonem, *Condeſuyo* reſpiciebat Occidentem: *Andeſuyo* Orientem ſolem.

Omnes communitates ſiue corpora diuiſa erant in duo hominum genera: inſuperiores & inferiores ſiue tenuiores.

Quod

Quod ſi vocarentur ad regem, iam ipſis erat indicatum, quot centuriæ comparere deberent, nec ſeruabatur hic æqualitas, ſed conſiderabantur res & facultates multitudinis. Exempli gratia. Si ſoluendi eſſent pro rege centies mille frumenti modii, diuidebatur hæc ſumma in prouincias: ita vt aliæ decimam, aliæ ſeptimam, aliæ denique quintam partem darent, quæ exactio ex æquo & bono popularibus imponebatur.

Vt igitur vnusquisque conferret ſuum ἐπιβάλλον μέρος, aderant præfecti Rationales, quos Indi *Quipo-camayos* vocant, qui in ponendis rationum calculis tam erant exacte periti, vt conſultis leuiter funiculorum ſuorum notis atque filamentis, è veſtigio pronunciarent, quantum vnicuique ſoluendum foret.

De ædificiis huius regni breuiter aliquid attingemus. Igitur domus eorum cum publicæ tum priuatæ, baſilicæ, fana, viæ publicæ, ſuburbana, in quibus extruendis Ingæ reges munificentiam ſuam oſtentauerunt, ſunt opera & moles incredibilis laboris. Inuenies enim ibi lapides tantæ molis & magnitudinis, vt iniri ratio nulla poſſit, vbi cæſi fuerint, & quomodo eo translati collocatique: cum careant ferro omnique metallo ad cædendos & poliendos lapides apto: neque iumenta habeant, quorum ope tanta pondera eo trahi ponique potuerint. his tamen nihil obſtantibus cernuntur lapides illi tantæ elegantiæ, tamque exactæ conniuentiæ, vt difficile ſit in illa aptitudine inuenire commiſſuras. *Ædificia regni Peruani.*

Hoc autem potiſſimum videre eſt in muris validiſſimis vrbis Cuſco, in quibus lapides inueniuntur triginta pedes longi, octodecim lati, ſex alti, qui cum ſint tantæ molis ac ponderis, manibus tamen hominum in altum ſubleuati, inque locum conuenientem collocati ſunt.

Etſi autem fatendum eſt, ſaxa hæc tam grandia non eſſe exactæ quadraturæ, nec ſecundum regulam cæſa, quin potius ſpecie & magnitudine multum inter ſe differre, difficile tamen eſt perſuadere iis, qui oculis rem arbitrati non ſunt, quam apte & proprie omnia cohæreant, quodque admirationem auget, iuncturæ illæ ſunt ſine calce aut cæmento.

Sed hæc tam incredibilia opera incredibilis hominum multitudo patrauit, qui ab omnibus regni partibus imperio regio conuocati, nulli labori parcebant, donec quantumuis difficilia & fere impoſſibilia hæc effeciſſent. *Miræ ſtructuræ in Peruuia.*

Quam autem laborioſa hæc res fuerit & moleſtiæ plena, vel hinc æſtimari poteſt, quod hi lapides multoties fuerunt ponendi, remouendi, coadunandi, aliterque collocandi donec ſibi inuicem reſponderent commiſſuræ, conniuentibus ita, vt dictum eſt, lateribus lapidum.

Cæterum hæc ædificia etſi erant vaſta atque operoſa, parum tamen præ ſe ferebant elegantiæ, cum ſibi non cohærerent, nec ordine conſtituta forent, ſed ſparſim ſtructa, ea prope facie ac ratione, qua Mahometiſtarum Meſquitæ ſiue templa, aut alia Barbaricæ oſtentationis ædificia.

Quantum autem his Architectis defuerit ad veram ædificandi ſcientiam, inde patet, quod fornices aut Cameras lapide lateribusque ſtruere penitus neſciuerint, vt nec ratio miſcendi arenam cum calce, & ita conficiendi

cæmenti ipſis conſtitit,quo iuncturas lapidum glutinarent,veluti ſupra diximus:ſed has artes demum ab Hiſpanis(quanquam magno ſuo malo)didicerunt.

Pons ingenioſe ſtructus. Iidem hi homines ingenioſiſſimum aliud opus commenti ſunt. In regione *Collao* lacus eſt tantæ profunditatis vt fundo prope carere credatur,ripæ ab ſeſe inuicem longiſſimis diſtant ſpaciis. Igitur hunc lacum vt ponte ſternerent hanc iniuerunt rationem: faſces prægrandes ex arundine aut paluſtri iunco colligatos,aquæ immiſſos, pro fundamento ſubſternebant. his ligna,illisque porro alia imponentes,tanti artificii ac firmitatis extruxere pontem,vt aliis ligno vel lapide fabricatis pontibus nihil hic cedere videatur. Eſt autem eius longitudo pedum circiter trecentorum.

Theſauri Ingarum infiniti. Iam de theſauris Ingarum,quicquid dixerimus,minus erit quam pro re: dici enim ſcribique non poteſt quantum auri,argenti, aliarumque rerum precioſarum poſſederint. Licet enim per leges patrias minime licebat,vt nouus rex,qui hæreditatem regni adiuerat,theſauros,anteceſſoris ſui vſucaperet, quos omnes oportebat ad delubrum ac monumentum defuncti conuerti: totius tamen regni, adeoque ſingulorum priuatorum facultates habebat in manu ſua,quibus & pro lubitu vti poterat. Hinc factum eſt vt tanta abundantia auri,argenti,facti infectiq;, pannorum precioſorum vniuerſa Peruuia,vt ita dicamus,flueret, vt iam de innumeris pecudum armentis ouiumque gregibus nihil dicamus. Cauſæ autem harum diuitiarum,præcipueque potentiæ regiæ, erant Myriades ſubditorum,quorum omnium erat idem in regem ſtudium,eadem obedientia,animusque ad omnia iuſſa exequenda promtiſſimus. Expugnata vrbe quapiam, aut occupata armis regione,quicquid ſpectatu dignum, quicquid precioſum ac rarum inueniebatur, protinus ad regem transmittebatur, qui illud in theſauros ſuos reponebat.

Tributa à prouinciis Regi perſoluta. Ipſæ quoque prouinciæ ac regna,quæ ſibi ſubiecerant Ingæ, certum tributi genus ſub honorarii nomine regi quotannis offerebant. *Chicæ* regionis incolæ mittebant odorata ligna: *Lucania* ſuppeditabat curſores expeditos, qui viginti quatuor horarum ſpacio quadraginta milliaria Hiſpanica curriculo emetiebantur: qui & lecticas ſcite ſubire ac velut muli commode ferre nouerant. *Clumbibilcæ* mittebant ſaltatores & hiſtriones exhilarando regi; & ſic de cæteris quoque prouinciis tenendum eſt, ſi quæ vlla re excelleret præ aliis,mittebat ad aulam regiam. Ipſi Ingæ ſuis ſumtibus auri & argentifodinas inſtaurabant,foſſoresque alebant, vnde tantus ad eos redibat theſaurus,quantus animo concipi poteſt maximus.

Diuiſio redditūum regni. Sciendum autem,cum ipſam terram, tum redditus ac prouentus huius regni trifariam antiquitus diuidi. Prima pars erat dicata religioni ac cultui idolorum, alimoniæ ſacerdotum,monachorum,ac veſtalium,vt & fabricæ templorum. Secunda pars cedebat fiſco ac commodis regiis, cuius tamen bonam partem percipiebant principes ſanguinis,proceres regni,ductores ordinum,milites præſidiarii, miniſteria aulæ. Tertia pars erat populi. Vtrum autem hæc diuiſio fuerit inter partes æquales facta, aut ſin minus,quænam alteram ſuperauerit,non eſt in promtu dicere.

In ea terræ parte,quæ ipſi regi velut in patrimonium ceſſerat colenda, omnes promiſcue laborabant,niſi quibus vel morbus, vel ſenium excuſationem pariebat. Viduæ tamen & ipſæ erant immunes. hoc autem laboris genus magna cura alacritate peragebant, induti veſtes quibus in ſolennitatibus vtebantur,canentes ac recitantes carmina in laudem regis & *Guacarum* ſuorum. donec autem hic labor durabat,percipiebant alimenta vel ex fiſco regio,vel è redditibus Solis,vel Guacarum bonis.

Tertiam

Tertiam ſoli partem diſtribuebant præfecti ex arbitrio regis inter plebem: neque tamen quisquam poſſidebat agros aſſignatos iure proprietarii, cum Indorum plebeii nihil quicquam priuato iure poſſederint, ſed velut vſufructuarii obtinuerint: nec obſtabat, quod maiores ac proaui eorum vnusquisque ſuum agri modum proprio iure habuerint. nec erat integrum, teſtamento hæredes inſtituere, iisque bona ſua legare, (ſine permiſſu regis) neq; vendere, aut alia quauis ratione alienare: Sed quotannis nouus habebatur cenſus populi, diuidebaturq; ager inter eos viritim, pro modo & numero capitum familiæ ſuæ. tantum igitur aſſignabatur ei, quantum in alendos domeſticos eius, vxoris puta liberorumq; neceſſarium credebatur. Quod ſi creſceret numerus familiarium, augebatur & agri modus. hæc erat lex perpetua in plebe, cui hac ratione recte proſpectum putabatur. Cæterum quicquid agri publici colonis aſſignabatur, immune erat ab omni ſeruitio aut canone, nihilque hoc nomine oneris ſuſtinebant, præterquam quod obligati erant, agros Sacerdotibus diuiſos, vt & patrimonium regium fodere, meſſesque inde pro diis & Inga colligere. Si forte Cœli inclementia vel terræ ſterilitas ſpem colonorum fefelliſſet, omnes quibus inedia erat laborandum, è publicis horreis, quorum ſemper magnus numerus cum opulentia frugum, ſufficiens frumentum percipiebant. *Leges agrariæ in Peruana.*

Eadem ratio diſtributionis obſeruabatur in diuiſione maiorum ac minorum pecudum, diſſignatis certis locis compaſcuis pro aliis atque aliis gregibus, quorum quiſq; ſigillatim paſcebatur, hic pro diis ac ſacerdotibus, ille pro rege eiusque familiaribus, tertius pro populi vſibus. Erat hic quoque venatoribus quod agerent, qui ſolliciti de augmento gregis, non permittebant interfici femellas, aut alio abigi, ſed ſedulo conſeruabant prolem. *Guacarum* greges & Ingarum erant admodum numeroſi, quibus non reſpondebant greges populi, multo quippe minores. Regis præcipua cura verſabatur circa conſeruationem pecudum, quæ præcipuos regni theſauros conſtituebant, nec fas erat vel ſacrificio offerre femellam, vel in macello vendere, vel denique in venatione capere. ſi quod ſcabie aut impetigine fœdum inuentum, viuum defoſſum, cæteras pecudes inficere prohibitum fuit. Sanæ oues tondebantur, lanæ inter pueros puellasque diſtributæ ad nendum texendumque, quibus maiores natu penſa ſua proponebant, obſeruato, quid cuiusque ætas ferre poſſet, ſeuereque in eos animaduerſum eſt, qui negligentiores deprehenſi fuiſſent. Ex Regii pecudis lana texebatur panni genus non parui precii, quod ipſi *Cumbi* vocitabant, quod erat ſingularis famæ & ab vtroque latere paris elegantiæ. Vilius pannorum genus vocabant *Abaſca*, craſſi fili, tenuis artificii, cuius magna vis quotannis conficiebatur. Si quid reſidui eſſet de lana illa, aſſeruabatur in certis huic rei conſtitutis horreis, ad futuros vſus. Quæro iam ex te, Lector, quid tibi hæc legenti videatur? Satiſne barbari videantur qui hæc talia conſtituunt faciuntque? an vero ab hominibus à vera veri Dei notitia alienis, à philoſophicis ac legum inſtitutis procul diſſitis, potuerit melior formula publici commodi promouendi concipi. *Cura Regum Peruanorum circa greges.* *Lanificium frequens in Peruuia.*

Sane vereor, ne hi Indi multis Chriſtianis parum boni publici ſtudioſis, ruborem faciei incutiant.

Præter hæc Indos noſtros ea præcipue cura ſollicitat, vt liberos ſuos ſimulac per ætatem capaces ſunt, opificio alicui admoueant, cuius in vita humana præcipuus vſus eſſe poſſit. Etſi enim neque artem conficiendi calceos, aut ſuendi veſtes, vel texendi, præcipue addiſcant, habent tamen alias in quibus apprehendendis deſudent. Diſcunt igitur ſuas ſibi parare veſtes, è ſua ſibi lana confectas,

agrum ex diſciplina ruſtica colere, ædificare caſas ſuas, ad quã rem ne mulieres quidẽ ſuã viris negare ſolent operã: nec n. puellæ delicate & molliter educantur, ſed ad labores mature adſueſiunt. Cæterarũ artium, quæ nõ tam ſtricte ad vitæ humanæ neceſſitates exiguntur, diſpar eſt ratio, habebant enim certos ſuos doctores ac magiſtros, quibus vſi addiſcunt artes illas. huius cenſus ſunt Aurifices, pictores, figuli, præfecti fabrum, nautæ, rationales, ludii, aliique plures huius farinæ. Cæterum magnates in populo ſuos alebant opifices, ſuaque ſeruorum ergaſtula, quibus non ſolum ſuperius dicta, ſed & communia opera imponebant : vulgus vero vicariis officiis ea præſtabat, nec quidquam alter alteri mercedis nomine erogabat. neque certe alterius opera alter admodum indigebat, ad res quarum vſus eſt in vita communi, quales ſunt domum ſtruere, veſtes calceoſque conſuere, ſementem facere, metere, colligere fructus, quiſque ſuo ſibi hæc omnia præſtabat opere. Viuebant temperanter, amoto omni luxu: iniiciebant frenum cupiditatibus, libidini, ſuperbiæ. quamuis autem tenuiter veſtiti erant omnes, apparebat tamen aliquid diſcriminis in tegumentis capitum; alii enim textis ac varie plicatis vtebantur caputiis, alii pileolis, alii mitris in orbem fimbriatis: nec licebat habitum nationis ſuæ, in qua quis natus fuerat, vel tantum immutare, etiamſi alio habitandi gratia concederet, graui conſtituta pœna qui ſecus feciſſet, vt hac ratione populorum & nationum perpetuum obſeruaretur diſcrimen.

In adminiſtratione iuſtitiæ & cauſis matrimonialibus hunc obſeruabant ordinem. Igitur primo, vt recte ac laudabiliter factis ſua conſtituta erant præmia , ita ſceleribus graues propoſitæ erant pœnæ. Qui in bello fortiter feciſſent, aut regionibus cum laude præfuiſſent, in remunerationem virtutis multis prærogatiuis ac priuilegiis gaudebant, erant in precio apud reges, præficiebantur conſularibus prouinciis, Ingæ iis vxores elocabant è cognatione ſua, donabantur armis inſignibuſque. Contra qui ſcelerate vitam agebant atque flagitioſe, homicidiis, furto, adulteriis, inceſtoque polluti, grauiſſimis puniebantur ſuppliciis, vt & ii qui regiis edictis non obtemperaſſent: his omnibus mors certiſſima propoſita. Cum autem ſinguli plures vxores fere haberent, adulterium non reputabatur neque plectebantur qui cum vna illorum venere miſcebantur; vti nec feminis illis in alieno concubitu deprehenſis adeo fraudi erat: hoc autem vocabant adulterium, ſi quis cum alterius vxore matrimonii ritibus iuncta (non licebat autem niſi vnam ducere) coiuiſſet, id demum erat vindicandum legibus. Ducebant autem vxores hoc modo. Sponſus ad domum ſponſæ ſuæ proficiſcebatur, vti eam domum deduceret: in ſignum autem coniugalis fidei, pedem alterum eius induebat *Otoia* id eſt calceo ligneo. Si ſponſa virgo eſſet, calceus factus erat è lana, ſin vero non, è iunco. porro omnes aliæ mulieres ſiue concubinæ, quæ domi eius erant, aduenientem ſponſam honorifice excipiebant, & impoſterum honorem ei habebant.

Res matrimoniales in Peruana.

Si contingeret maritum vitam cum morte commutare, lugubri habitu per integrum annum vti iubebatur, teſtata luctum veſtimento atro, nec licebat per leges patrias, ante decurſum vltimum anni menſem nubere alii viro. Rex ipſe præfectis prouinciarum belli que ducibus ſua manu tradebat vxores: vt quoque præfecti ac ſatrapæ faciebant ſuis domeſticis, traditæque mulieres ita demum in manum mariti conueniebant. Præfectus regionis alicuius conuocare in vnum locum iuuenum puellarumque nupturientium magnam manũ. inde ſelectas ſingulas ſingulis adoleſcentib. iungere ac cõmendare ipſe. hoc erat initium matrimonii, quod deinde illis ceremoniis ritibuſque confirmabatur

quibus

quibus diximus. Adulterio capitalis pœna conſtituta. adulter deprehenſus ac conuictus cum muliere trucidabatur. quod ſi vir vxori gratiam delicti faceret nihilo minus plectebatur, quanquam non capite. Par ratio iuſtitiæ in inceſto, ſi quando cum matre, auia, filia, nepte committeretur. in cæteris gradibus agnationis non idem ius illis quod Europæis. licebat enim his omnibus matrimonio ſi vellent, iungi, nec arcebatur quisquam, niſi propinqui admodum primaque linea, veluti diximus, ſanguine iuncti eſſent.

Sororem ducere vxorem non erat quidem prohibitum, ſed tamen non habebatur legitimum coniugium. Et fuit aliquando cum ne hoc quidem licuit per leges patrias: Inga *Topa Iupangui* primus fuit, qui ſororem germanam matrimonio ſibi copulauit, quo facto reliquis feneſtram delinquendi aperuit. Cum autem videret, confuſionem inde naſci, populo rem in exemplum trahente, cohercuit eos lata Lege: Ne cuiquam præter Ingam ius fasque eſſet, ſororem germanam vxorem ducere, qua ratione ſibi indulſit quod aliis negauit.

Porro Philippus Hiſpaniarum Indiarumque rex edicto iuſſit, vt aui ac maiores Regum Peruanorum ab vltima memoria repetiti omni diligentia ac fide perquirerentur. *De origine & diuturnitate regum Peruanorum.* Qui iuſſi erant rem cum induſtria curauerunt, parum tamen effecerunt. deſtituti enim litterarum monimentis ad *Quipos* eorum, id eſt nodoſos funiculos verſiculores confugere neceſſe habuerunt, è quibus certis indiciis collegerunt, non vltra quadringentos annos ſtetiſſe Ingarum imperium. Originem ſuam debebant valli *Cuſco* dictæ, vnde progreſſi omnes circum ſeſe regiones ac prouincias, quas nos communi nomine Peruuiam vocamus, vel bello vel voluntate populariam ſui iuris fecerunt. Porrigitur autem ampliſſimum hoc regnum à *Quito* vſque ad *Rio de Paſto*, porroque vlterius ad prouinciam *Chilen* vſque, conſtituitque in longitudine ab aquilone verſus auſtrum milliaria Hiſpanica prope mille. Latitudo multo anguſtior, quæ à mari *del Zur* ſiue auſtrali per patentes campos excurrit, complectiturque Andium montes, quod ſpacium non omnino centum milliarium eſſe putatur. Nulla gens totius Indiæ Occidentalis ſcientia gubernandi rempublicam, procurandi bonum publicum, recte atque ordine agendi, prudentia, notitia armorum creditur eſſe ante Peruanos: licet *Canarij* qui Hiſpanis contra illos ſuppetias tulerunt, nunquam ſe armis inferiores faſſi ſint, ſemper illorum æmuli ac inuidi, quandoque etiam hoſtes.

Ne autem carerent Reges Peruani honeſta aliqua ſpecie aut colore quo violentas ſuas in nationes vicinas inuaſiones prætexerent, excogitauerunt hanc fabulam, vt dicerent poſt magnum illud diluuium, quo vniuerſum hominum genus interiit, inſtauratas fuiſſe gentes ac nationes per ipſos Ingas. *Fabula de origine Ingarum.* Poſt illam enim panolethriam è ſpelunca illa famoſa, cui apud Indos *Pacaritambo* nomen eſt, proſiliiſſe ſeptem homines, quorum beneficio & opera genus hominum impoſterum propagatum fuerit, inter quos Ingarum progenitores facile principes fuerint: Vnde rationi maxime ſit conſonum, alias omnes nationes, ad hos originem ſuam referentes, hiſce parere, à quibus genus ducant. Addebant & aliam rationem adſtruendæ tyrannidi non minus efficacem, Religionem ſcilicet, quam Peruani ſe ſolos ſcire, verumque colendi Dei ritum tenere affirmabant. par igitur eſſe pro acceptis rebus diuinis, illos ſubiectionem redhoſtimenti loco præſtare principi & authori religionis. Vnde videres in Cuſcana prouincia, loco velut ſacroſancto, domus publicas conſiliis deſtinatas vltra quadringentas, cætera vero loca omnia, quæ in aliquo erant numero, myſteriis, ſignis Hieroglyphicis, abſtruſisque rerum ſignificationibus abundare.

Primus igitur author atque ſtirps Indorum, ad quem & ipſi Ingæ generis ſui originem referebant, perhibetur fuiſſe magnus ille *Mangocapa* de quo hanc narrant hiſtoriam: prodiiſſe illum ex antro illo famoſo *Tambo*, quod ſex milliaribus diſtat ab vrbe Cuſco: qui fuerit author & conditor illuſtriſſimarum duarum familiarum Regiarum. Priori nomen fuiſſe *Hanan Cuſco*, poſteriori *Vrin Cuſco*. Ab illo deſcendiſſe longo ordine regulos ac principes, qui terram occupatam diu rexerint.

Primus Peruanorum rex, Inga-roca.

Primum qui cum authoritate ac potentia fuerit, nomē habuiſſe *Inga-roca*, qui etſi intra mediocritatem conſtiterit, multumque poſitus infra faſtigium regium, vſus tamen fuerit vaſis argenteis aureiſque, omniumque primus teſtamento cauerit, vt theſauri ipſius vniuerſi impenderentur, non in alios vſus quam in corporis ſui condituram, deorum cultum, alimentum familiæ aulicæ. Ab hoc Inga-roca mos obtinuit, vt nullus regum anteceſſoris ſui theſauros aut bona hæreditate capeſſeret, ſed vnuſquiſque poſterorum peculiarem ſibi ſtrueret aulam ſiue domicilium, nouoſq; coaceruaret theſauros. Huius principis æuo non aliis quam ſolido auro fabricatis ſimulacris vſos fuiſſe Peruanos perhibent. Excepit hunc in Imperio *Iaquarquaque*, quē poſſis interpretari *Ploratorem ſanguinis*, qui dicitur ad extremam ſenectutem perueniſſe. Accidit aliquando vt in prælio ab hoſtibus victus inferiora ferret. quæ ignominia tantopere doluiſſe viro dicitur, vt ſanguineis lacrymis oculi eius ſtillauerint, vnde cognomentum ipſi inditum. fuitq; hic author illuſtris familiæ *Acoalli Panaca*.

Secundus Rex Peruuiæ.

Tertius Inga.

Regnum Patris defuncti hæreditario iure excepit filius, cui nomen *Viracocha Inga*, qui ingentes theſauros argenti atque auri collegiſſe dicitur, vnde immani magnitudine vaſa è præſtanti metallo primus fabricaſſe fertur.

Ab hoc poſteritatis ſerie deſcendunt nobiles familiæ de *Cocco-panaca* dictæ. Conſaluus Piſardus, cui nullum ſcelus nullum facinus malum graue viſum fuit, cum fama aliquid accepiſſet de immanibus theſauris, qui in eius conditorio cum cadauere defuncti ſepulti eſſent, non deſiit exquiſitis ſuppliciis torquere miſeros Indos, donec ſilentii fidem rumperent, proderentque vbi conditum eſſet corpus principis: quod ille ſublatum igne cremauit.

Barbari vero de priſca fide in Reges ſuos nihil remittentes, collectos cineres inque vrnam poſitos ſedulo aſſeruabant, ſolemnibuſque ſacrificiis venerabundi admouebant: quæ res tam diu obſeruata fuit, donec *Licentiatus Polus* cum huius *Viracochæ* cineres, tum reliquorum defunctorum Ingarum corpora mirabili aſtu & artificio Indis ſubtracta, in ſuam poteſtatem redegit.

Cadauera regum Indis ſubtracta.

Hæc autem regia cadauera erant aromatibus condita, & à putredine conſeruata, quę cauſa fuit, vt illis pene integris potiretur. Factumque eſt hac cadauerum ſubtractione, vt magna materies Idololatricorum cultuum, quos Indi hi defunctis poſt fata præſtabant, illis ſimul ſubtraheretur.

Primus hic Inga antiquæ modeſtiæ limites eſt ſupergreſſus, quod ſe *Viracocham* appellari paſſus eſt, quod nomen cum Creatorem omnium rerum ſignificet, nulli alii præterquam Deo conuenire viſum eſt.

Et ſane non diſſimulauerunt Indi ſe hanc ſuperbiam moleſte ferre; quibus tamen hoc modo pacem perſuaſit, vt diceret, ab ſummo numine per ſomnum ſibi ſignificatum fuiſſe, vt hoc ipſo nomine vteretur.

Quartus Inga ſeu rex Peruanus.

Succeſſorem hic habuit *Ingam Pachacuti Yupangui*, virum fortem multiſque illuſtrem victoriis, patrem atque auctorem Rerumpublicarum. Imperauit hic magnificę ſexaginta annis. Victorias ſuas auſpicatus eſt ab infelicitate fraterna.

Cum

Cum enim frater eius maior natu, cui à patre ſupremum belli Imperium commiſſum fuerat, in prælio quod cum vicinis *Changis* iniquo loco commiſerat, profligatus, caſtriſque exutus fuiſſet, cum paucis domum reuerſus, fratris minoris aſtum effugere non potuit. *Jupangui* enim animaduertens, maiorem fratrem aduerſo prælio facto, multum de fama & felicitate ſua deperdidiſſe, inſidioſo conſilio hanc fraudem commentus eſt. Deorum ſummum, quem *Viracocham* dicunt, ſibi lugenti damnum publicum, eoque nomine affliƈtanti ſe apparuiſſe, inque hæc verba allocutum fuiſſe: Mirari ſe atque indignari vehementer, quod cum ipſe eſſet vniuerſarum rerum Dominus & creator, cui cœlum, Sol, aſtra, homines, omnia quę ſunt habentque debeant, non tamen debito modo ac reuerentia coleretur.

Eſſe enim pleroſque in populo, qui Soli, Tonitruo, hominibus, aliiſque vilioribus rebus maiorem haberent honorem, quam ſibi, vnde hæc omnia dependerent, & à quo virtutes, durationem, officia, efficaciam velut ab fonte haurirent.

Velle ſe igitur, atque iniungere ſerio, vti poſthac *Viracocha Pachaya-chacac* appelletur, id eſt Creator totius vniuerſi, rerumque omnium. Ne autem laboraret fides eius apud populares, cum teſtem huius rei non produceret, ſignificauit, ſe hac ratione comprobaturum diƈta, quod hoc ſolo nomine & Titulo eſſet colleƈturus magnam militum manum, qua *Changas* hoſtes quamuis numeroſiſſimo exercitu inſtruƈtos, ſe debellaturum conſideret. Addebat inſuper Viracocham ſibi pollicitum, ſe miſſurum copias, largiturum viƈtoriam, & conſtituturum ipſum principem deuiƈtæ nationis. nec improbauit hominis conſilium fortuna.

Præferens enim hoc Viracochæ monitum velut militarem teſſeram, multos collegit milites, quibus repente adortus hoſtes vicit profligauitque. Inde vi belli in patriam conuerſa, patrem fratremque aggreſſus prælio vicit vtrumque, ſpoliatoſque imperio ac libertate in ſuam poteſtatem redegit. *Pater a filio regno euerſus.*

Ita firmata ſibi poteſtate regia, denuo in *Changas* conuerſa vi belli, auſos concurrere acie deuicit, belloque finem impoſuit. Fuitque hic primus viƈtoriarum eius fruƈtus, vt *Viracochæ* ſtatuam cæteris omnibus collocaret ſublimiorem, quippe qui eſſet vniuerſalis dominus omnium rerum, à quo commonefaƈtus principatum occupaſſet. nec tamen prohibebat, quo minus *Solis* & *Tonitrui* ſtatuis ſuus haberetur honos, ita tamen vt *Viracocha* potiora in omnibus rebus ferret.

Faƈta poſtmodum diuiſione, qua Soli, Tonitruo, aliiſque diis maioribus ac minoribus ſuus certus agri modus aſſignatus fuit, certique pecudum greges, nihil tamen horum ipſi Viracochæ attribuit, hac ratione in medium allata, quod hic eſſet abſolutus & vniuerſalis dominus omnium rerum, qui non opus haberet huiuſmodi aſſignationibus priuatis, cum ſuo iure poſſideret omnia.

Poſtquam retuliſſet à *Changis* viƈtoriam dicitur ad hunc modum ſuos affatus milites, non ipſos ſua virtute deuiciſſe hoſtes, ſed præſto ſibi fuiſſe viros aliquot, quos Viracocha ſibi miſerit, inque his ſtetiſſe maximum viƈtoriæ momentum, quos ipſe ſolus viderit prætereaque nemo. Illos enim finito prælio partaque viƈtoria in lapides mutatos fuiſſe. in cuius rei memoriam conquiri iubebat in montanis regionis aceruum lapidum, quos in aræ modum ſtruƈtos, cultuique conſecratos, diuinis affecit honoribus, adolendo iis & ſacrificia offerendo. quin & eoſdem ſecum ferebat in aciem, non ſine deuotione ac ceremoniis, nihil dubitans, ſe horum adminiculo & virtute certam ab hoſtibus reportaturum viƈtoriam.

Idem hic Rex prægrande fabricauit ſimulacrum, quod & collocauit in ſolio & puriſſi-

puriſſimo auro, ſui an alterius incertum. Polus Licentiatus inueſtigato eius conditorio in vrbe *Cuſco*, cadauer eius reperit, idque *Torocachem* alportauit, quod quidem fuit ſine carie aut ſitu integerrimum, haud ſecus, ac ſi ante proximum biduum tumulatum fuiſſet, cum tamen vltra octoginta annos ibi depoſitum fuerit.

Quintus Rex Peruanus. Hunc ſecutus, Regni Peruani gubernacula ſuſcepit *Inga Topa Tupangui:* qui ſceptra moriens reliquit filio ſuo eiuſdem nominis, à quo traxit originem familia *Apac-Aillorum.*

Sextus Inga ſiue Rex Peruanus. Ab hoc deuoluta eſt regni ſucceſſio ad virum iuuenem, I*ngam Guainacapam*, quæ vox *Diuitem* & *Prudentem* ſonat qui nomen hoc non ſine cauſa obtinuit. Diuitiis enim & prudentia omnes Ingas, qui ante ipſum Peruanis imperitauerunt longe ſuperauit. Exeruit ſe huius viri prudentia in conſtitutione nouarum legum, quibus multas confuſiones in omnibus prouinciis aboleuit, ſubſtitutis ſalubribus edictis. Res tamen bellicæ magis ipſi ex arbitrio fluxerunt, cum armorum ſcientiam cum animi fortitudine coniungeret.

Victorias ab hoſtibus multas reportauit, protulitque regni pomæria in tantam amplitudinem, quantam ante ipſum nemo ne ſperare quidem potuit. Obiit ex morbo in Regno Quitenſi quod paucis ante annis armis ſibi ſubiecerat, diſtans quadringentis milliaribus ab Vrbe Regia. Cadauer mortui exenteratum, velut ipſe viuus mandauerat, inteſtina cum corde in Vrbe Cuſco, corpus autem in magnificentiſſimo illius ciuitatis templo conditum fuit.

Nemo omnium regum pluribus monumentis ſui memoriam ad poſteritatem conſecrauit, ſpectandæ formæ excitatis ædificiis, ſtratis viis publicis, extructis magnificis domibus, propugnaculis, arcibus. *Laniena in funere principis.* Inferias dantes tumulo eius proceres regni, mille homines ex familia eius aulica trucidauerunt, ne ſcilicet in altera illa vita ſeruitiis deſtitueretur tantus Heros. Nec quisquam repertus fuit, qui mori hoc modo recuſaret: omnes enim læto animo & gratulantes ſibi iugulum cultro præbuerunt: quin & præter hos multi alii vltro ſe mactationi offerebant, is erat affectus in principem. Et hic humanæ ſortis auitæque modeſtiæ limites exceſſit inflatus fortunæ indulgentia, cum ſe pro Deo coli, adorari, ſibique adoleri paſſus non tantum ſit, ſed & iuſſerit: ad quam inſaniam nemo ex anteceſſoribus eius delapſus fuerat.

Mortuus tantum theſaurum reliquit, quantum ante ipſum mortalis homo poſſederat nemo, nec vnquam viſæ ſunt diuitiæ maiores. Inuadentibus paucis poſt eius obitum annis Hiſpanis, incolæ omni ſtudio annixi ſunt, vt theſauros illos in occulto ſeruarent. Verum *Attabaliba* poſtea capto, magna horum pars Caſſamalcam delata fuit, vt redimeretur captiuus princeps: quanquam hoc fruſtra fuit. Numeroſam admodum perhibetur habuiſſe ſobolem, quæ nepotibus neptibusque cum liberis ex ipſo procreatis ſimul numeratis, vltra trecenta capita è ſeſe extenderit, qui omnes cum ipſo intra Cuſcon Vrbem vixerunt. Corpus eius conditum, vt & cadauer matris eius Licentiatus Polus ſublatum Limam miſit, vt ſuperſtitionis ac Idololatriæ materiem ſubtraheret Indis, qui defunctum pro Deo colebant.

Septimus Rex Peruuiæ. Huic Guainacapæ, regum magnificentiſſimo ſucceſſit in Imperio filius maior, quem Indi *Tito Cuſſygualpa* nominant: quanquam & alio nomine *Guaſcar Inga* diceretur.

Huius corpus repertum non fuit, crematum quippe iuſſu fratris Attabalibæ. Hic autem Attabaliba & ipſe filius erat Guainacapæ magni regis. qui cum in vrbe Cuſco

habitaret,

habitaret,auſus eſt, calcato iure regni, fratri maiori bellum facere , quem & collecta magna manu militū inuaſit, cōmiſſoq; prælio ſuperior factus,in vrbem Cuſcon cōpulit. Gerebat aūt hoc fraternum bellum per legatos,viros fortes,quibus *Chili-cuchima*,& *Quiſquiz* erant nomina,qui & manus *Quaſcar Ingæ* attulerunt, captiuum facientes regem ſuum, nouo exemplo,quanquam eſſet legitime inanguratus regno,præſtito ipſi etiam ab vniuerſo populo fidelitatis ſacramento : & hæc res contra ius fasque admiſſa, multorum animos ab Attabaliba alienauit,non probantium fraternas diſcordias & facinoris audaciam , multaque pro captiuo faciebant cum alii , tum inprimis ſerui eius,& familia aulica, vt eum vinculis eximerent. Cum autem parum promouerent, multo ſcilicet pauciores & imbecilliores quam pro captu tantæ rei , extrema tentantes, ad ſacrificia conuerſi,ab diis opem & auxilium poſtulabant. Capto hac ratione *Guaſcar Inga* à duobus illis belli ducibus,ſuperuenit ipſe Attabaliba, magnum trahens exercitum, viresque belli iungens viribus. Quo animaduerſo,qui hactenus Guaſcaris Ingæ partes vtcunque tutati fuerant,ad deſperationem redacti; (nec enim duobus exercitibus reſiſtendi facultatem habebant,qui vni pares eſſe non potuerant oblatis ſupremo deorum ſuorum Viracochæ iugibus ſacrificiis precabantur : quando ipſi dominum ſuum præter ius faſque vinctum,eximere carceri non poſſent, vti ipſe cælitus miſſis militibus, vires ſibi ſuppeditaret, liberandi principis.

Attabaliba octauus rex Peruanus, fratricida.

Dum autem toti ſunt in procurandis religionibus offerendisque ſacrificiis , in quibus omnem ſpem habebant repoſitam ; defertur ad ipſos velut ἀπὸ μηχανῆς, quod aiunt, nuncius,peregrinum quemdam populum è transmarinis terris nauibus adueniſſe , qui victum bello Attabalibam & ipſum viuum ceperint. Audito igitur *Guaſcaris* familiares , tam paucos Hiſpanos tantum exercitum Peruanorum acie fudiſſe , capto ipſo principe in facie Vrbis *Caſſamalca* , quod factum fuerat eo tempore,cum ipſi maxime ſacrificiis oblatis Viracochæ auxilium implorabant, vocabant ſacrificatores illo Hiſpanos & ipſos *Viracochas*,id eſt,Deos quosdā,ſiue diuinos viros,cælitus ſibi miſſos, quod ipſi omnibus votis expetiuerant: vnde Hiſpanos in hunc vſque diem diuino illo nomine *Viracocharum* appellant,quanquam negandum non eſt,ſcelerata, auara, ac crudelia eorum facta cum illo nomine nequaquam conuenire.

Hinc autem clariſſime apparet prouidentiam diuinam Hiſpanis in occupando validiſſimo hoc regno mire fauiſſe. Niſi enim diſcordia fratrum vires prouinciæ diſtractæ fuiſſent,his illum illis alterum ſequentibus: niſi item diuinitatis naturæque cæleſtis opinio Hiſpanis popularium fauorem conciliauiſſet : vix videtur fieri potuiſſe, tam paucu-lis militibus tantum regnum inuadere,expugnare,penituſque ſubigere.

Diſcordia fratrum hoſtibus victoriam peperit.

Sublatis è medio,vt diximus,duobus illis fratribus *Guaſcar Inga* & *Attabaliba*,tertius *Guainacapæ* Herois filius *Mangocapa* imperium ad ſe pertinere ratus, ſe pro rege geſſit. Collecto igitur valido exercitu, Cuſcon vrbem regiam , quam Franciſcus Pizarrus vi expugnatam iam ante occupauerat obſidione cinxit , multumque ipſi negocii exhibuit.

Mangocapæ nonus & vltimus rex Peruuiæ.

Cæterum deſtitutus ſcientia belligerandi cum Iberis, coactus obſidionem ſoluere, reduxit copias, ſeque fugienti ſimilis , ac plenus deſperationis in montana regni contulit,lecta ciuitate *Vilcabamba* pro domicilio.

In his montibus latuerunt poſtmodum Ingarum hæredes & poſteri , vſque ad Amaxon,quem Iberi captum Cuſconque reductum,in publico illius ciuitatis foro ſecuri

percuſ-

percuſſerunt: quæ res auxit Indorum dolorem mirum in modum, cum viderent legitimum ac naturalem dominum ſuum manu carnificis publice capitali extremoque ſupplicio affici, quod ante eum diem ne cogitauerant quidem fieri poſſe. Nec ſtetit in huius ſupplicio crudelitas Hiſpanorum in regiam proſapiam, quicquid erat ex Ingarum poſteritate, omnibus locis conquiſitum & in vincula datum eſt. Vnus tamen, Guainacapæ ex filio nepos, ſuſcepto Sac: Baptiſmatis fonte Chriſtianiſmum profeſſus, Hiſpanorum partes ſecutus eſt, quos & contra patruum *Mangocapam* bellum gerentes pro viribus iuuit: quo obſequio partem regni Peruani impetrauit precario, nempe Vallem *Iguay* cum nonnullis aliis regiunculis, quas poſtmodum filia ipſius, cum ipſe deſtitueretur hærede maſculo, defuncto parente eſt adepta.

Hic finis fuit Potentiſſimi regni Peruani, cui ſimile in toto nouo Orbe non fuit vllum, luculentum exhibens ſpectaculum rerum humanarum, in quibus nihil firmum ſiue ſtabile,

Sed ſubito caſu quæ valuere ruunt.

Hiſtoria regni Mexicani.

ABSOLVTA Peruanæ Monarchiæ hiſtoria, conſequens eſt, vt ad alterum quoque Monarchicum Imperium, nempe ad *Mexicanum* nos conuertamus; de cuius Origine, ſucceſſione regum, modo gubernandi, conditione ac legibus agemus ordine, conſueta vſi breuitate: amputantes quæ parum ad rem aut hiſtoriarum notitiam faciunt, ea tantum perſecuti quæ ſcire quam maxime operæ precium videbitur. Vnde meridiana luce clarius patebit, quam ciuiliter ac politice adminiſtrauerint rempublicam, quamque recte egerint omnia atque ordine.

Igitur à primo rege *Acamapico* vſque ad vltimum *Motecumam*, ſecundum huius nominis, omnes ad vnum electione libera ad Imperium peruenerunt, nec quiſquam inter eos alteri hæreditario iure ſucceſſit.

Primum ſuffragium ferebat populus, quod acceptum proceres regni dein porro exequebantur. Potiente rerum *Iſcoalte* quarto rege Mexicanorum conſtituti ſunt principes Electores quatuor, qui adſcitis in collegium duobus regibus, *Texcucano* & *Tacubano*, vaſallis ſiue beneficiariis regis Mexicani, ita demum eligerent regem. Legebant autem fere non ſenio infirmos aut debiles, ſed viros ætate integra vegetos, cum nunquam fere à bellis eſſent immunes. Hæc eadem cauſa erat, ob quam in electione quærerent homines, bellicoſos, quibus Mars ſpirare ex oculis videbatur, quibus arma cordi, cædes voluptati erant; hos demum dignos pronunciabant ſublimitate regia.

Electores Mexicani.

Peracta legitimis modis electione, duo celebrabant feſta. Prius indicebatur, nouitio rege delatum imperium acceptante, agebaturque in hunc modum. Ingreſſis Templum non ſine mille ceremoniis ac ſuperſtitionibus adolebant diis, coniicientes thuris micas in ignem, quem diuinum appellabant, quique perpetuo ante aram ſimulacri ardebat, magna cura conſeruatus.

Hoc facto prodeuntes Rhetores variis habitis orationibus, (erant enim artis Rhetoricæ perſtudioſi) recitatisque panegyricis, gratulabantur nouo regi, & ita ſoluta fuit Concio.

Alterum feſtum ſolenne agitabatur, rege Diadema de more ſuſcipiente. Non autem coronabantur reges Mexici niſi prius hoſtilem aciem aperto prælio fudiſſent, magnumque numerum captiuorum in triumpho duxiſſent, quibus nihil aliud erat expectandum, quam vt proximo quoque feſto inſtar victimarum immolarentur.

Factus igitur bello ſuperior rex nouiter electus, deportatis legionibus, magna cum pompa, ouantis in morem ingrediebatur Vrbem regiam, cui excipiendo effundebatur totus



totus populus.Procedebant autem ei ſigillatim obuiam Sacerdotum manipuli, cum omnibus templo dicatis,qui eum decoro ordinę incedentes,canentes, ludentes fidibus cæteriſque organis muſicis,ſumma cum reuerentia excipiebant. Ab altera parte comitiua palatii,magiſtri aulæ,familiares,curatores fiſci &domus principalis,pari lætitia effuſi, inſtrumentis muſicis ac cantu perſtrepentes certabant cum ſacrificorum induſtria, non minore ſtudio atq; affectu reuertentem à ſtrage hoſtili regem ſalutantes. Signum Regni quod capiti eius imponebatur,nec Coronam nec diadema recte appellare poſſis: propiùs accedebat ad mitræ formam,ab anteriore parte rotundam,à poſteriore reflexam modice,vt ab exacta rotunditate aliquantum diſcederet. Hanc igitur mitram acceptam Tezcucanus Rex,qui inter electores principes,capiti noui regis veteri quodam ſuo iure ac priuilegio ſuis manibus imponebat,qui longe maximus iudicabatur honos. Populus vniuerſi regni ſumma fide & obedientia regibus erant addicti, quos & tanta animi ſubiectione colebant,quanta fieri poſſet maxima. Antiquitus, cum res eorum eſſet tenuior,omnia in aula eorum moderate ac frugaliter gerebantur. Creſcente autem potentia ac diuitiis,idem paſſi ſunt quod aliæ nationes,ad luxum,libidines,ſuperbiamque prolapſi.

Proceres regni Mexicani.

Poſt Maieſtatem regiam erant & aliæ dignitates Illuſtrium, Generoſorum & Nobilium, erantq; hi omnes diſtincti certis gradibus ſublimitatis, vt ſtatim dignoſci poſſet, quantum vnicuique honoris eſſet deferendum. Primi à rege erant Principes Electores, qui ferè regia proſapia oriundi, vel etiam fraternitate, conſanguinitate, aliisque agnationis gradibus Reges ipſos attingebant. Vocabantur autem *Principes Haſtilium* ſiue miſſilium lancearum, quarum ipſis frequens ſemper vſus. Poſt hos erant qui dicebantur *Diſſectores hominum.* Tertiis nomen erat *Effuſoribus ſanguinis.* Et hæc tria cognomenta aptè conueniebant hominibus militaribus, gloriam bellicam aucupantibus. Quarto dignitatis gradu conſtituti erant, qui dicebantur *Domini Nigræ Domus,* qui erant velut Senatores Eccleſiaſtici, quoniam, vt & ſuperius audiuimus, Sacerdotes totum corpus atra fuligine inficiebant.

Hæc erant quatuor ſumma officia, & velut interior ac ſanctior Senatus, quibus inconſultis nefas erat quicquam publici aggredi aut perficere. Rege autem ad inferos digreſſo, ex hac quatuor officiorum curia moris erat alium eligere collatis calculis lectisq; ſuffragiis.

Præter hos primæ claſſis iudices atque præſides multa erant inferiora dicaſteria ac tribunalia, in quibus ius populo dicebatur in prouinciis, quibus ſui erant iudices, auditores, Senatores Pedanei, Notarii, Commiſſarii: Sed hi omnes ſubiecti erant quatuor Electoribus, quibus ſolis ius erat de capite & vita hominis ſententiam ferendi. Ad hos inferiores iudices referebant ſi quid in grauioribus cauſis pronunciaſſent, qui iudicia eorum ventilata amplius vel probabant vel improbabant. Quod ſi quæ grauior conſultatio in medium afferebatur, concernens ſalutem regni & incolumitatem reipublicæ, ad ipſum Regem reiiciebatur.

Commoda Fiſci in Mexico.

De commodis regni, redditibusque regiis pulcræ erant conſtitutiones. per totum enim regnum Quæſtores, Theſaurarii, procuratores Fiſci, Publicani, collecta vectigalia, tam à mari quam terra reſultantia, ſingulis menſibus ad Cameram principis mittebant, aut ipſi in fiſcum inferebant.

Erat autem defalcata pars quædam, quæ in vſum fanorum, delubrorum, ſcholarum conferebatur, ne cultus deum intermitteretur, neu pueri in ritibus & ceremoniis erudiendi negligerentur.

In vniuerſum reputanti patebit, omnem Mexicanorum gloriam in rebus bellicis conſtitiſſe. qui armorum notitiam habebat, qui fortiter feciſſet in acie, ingentibus præmiis afficiebatur, ſoli illi ad officia, ad præfecturas admouebantur, ſoli illuſtres, ſoli nobiles habebantur, & ſi plebeio loco nati eſſent editis facinoribus bellicis, inter nobiles adſcribebantur. Sed & pro modo virtutis noua ſortiebantur cognomina, appellationibus ab Aquilis, Tygribus, Leonibus deſumtis.

Arma Mexicanorum.

Arma eorum præcipua erant ſilices vtrimque acutiſſimi, infixi manubrio ligneo, iunctura firmiſſima. erat autem tanta acies, tamque penetrabilis, vt vel iumento potuerint ceruices amputari. Præter hæc ferebant ponderoſas clauas, haſtas prælongas, haſtilia minora non multum à verubus abeuntia, miſſilibus iaculis, fundis balearicis, lapidibusque quos manu mittebant ſimul vſi. Sed & ferebant in prælio Clypeos rotundos, paruos quidem nec tegendo corpori ſufficientes, ornatiuq; potius quam ſecuritati factos: ideoque illos in ambitu pennis verſicoloribus ornabant.

Veſtitus eorum ſimplex (de militibus loquimur) minimeque operoſus, pelles

Tygri-

Tygribus Leonibus aliisque beſtiis, quarum notabilis eſt ferocia, detractas, circumponebant corpori. alii ferebant faſcias latas inſignum militiæ quam ſequebantur. omnes autem criſtati pennis in capite.

Cum conſerendum eſſet prælium, celeriter & magno impetu adoriebantur hoſtem, nec minore celeritate ſe recipiebant, luctatores periti ſſimi, quibus maior cura capiendi hoſtis quam occidendi, ſcilicet vt victimas futuras deo ſuo domum referrent. Equeſtris ordo, (quem ita appellare liceat, etſi nec equi nec equites inter illos) armis vtebatur etiam prophylacteriis, præter quoſdam, quibus à cinereo colore nomen, qui inter leuis armaturæ velites habebantur. his thoraces ſciſſi de induſtria, qui collum etiam vſque ad aures obtegerent, ſingularibus vtebantur ſignis militaribus, à pectore vſque ad vmbilicum tecti armis, nec vlterius.

Nobilibus & equitibus hiſce anippis, ſingulari priuilegio à principe conceſſus erat inter ornamenta auri & argenti vſus, vt & precioſæ veſtis, nec aliis quam his, licebat vaſis vti aureis, nec vero etiam calceis: cum plebeii homines non niſi fictilibus vterentur vaſis, nec geſtarent calceos niſi è tilia aut leui ſubere confectos. Omnibus his, (de nobilibus & generoſis nobis ſermo) domicilium & habitandi locus intra ipſius Palatii regii capacitatem, certis & ſecundum dignationem ordinum diſtinctis locis. Prima habitatio aſſignata erat principibus regni ſanguinisque regii, (vnde & nomen loco, *Conclauia Principum*:) Secunda eorum erat qui ab *Aquila* denominabantur: tertia, quibus à *Leonibus* & *Tygribus* nomen: quarta dicebatur *Cinereorum equitum*. Minoribus ordinibus & præfectis militiæ habitandi locus ſub illis: qui vero auſus fuiſſet extra ordinarium ſuum conclaue alibi pernoctare, ſine dubio capite plectebatur. *Equeſtris ordinis habitus & conditio.*

Vnum eſt, quod in barbara hac & humanis hoſtiis perlitante gente non ſatis mirari poſſumus, etiam cum rubore & verecundia noſtrorum hominum; exquiſitum ſcilicet ſtudium in bonis moribus erudiendi iuuentutem: dabantque operam, vt liberis ſuis in ipſa pueritia adimerent libertatem, infringerent voluntatem, quæ licentia niſi eripiatur adoleſcentulis, præſentiſſimi illis veneni loco eſt.

Pueros ſuos non ſinebant ignauo ocio obtorpeſcere, aut ludicris ineptiis ætatem terere, ſed exercebant eos in honeſtis & vtilibus exercitiis, cui fini in ipſis fanis Templisque extructæ erant ſingulares ſcholæ & Pædagogia ſeparatim pro pueris & puellis: quibus nec deerant ephori ſui & diſciplinæ magiſtri, à quibus tenerior ætas in moribus bonis honeſtisque inſtitueretur, vti ſtuderent humilitati, Parentes omni cultu proſequerentur atque obſeruantia, honorem deferrent ſuperioribus, deos metuerent. Cibus illis præbebatur vulgaris & vix naturæ ſufficiens, humi cubandum, non ſuper mollibus ſtratis, corpus inedia erat & patientia durandum.

Prætor ſuperiores illos morum magiſtros alii pueris admouebantur pædagogi, qui eos docerent apte cantare, rite ſaltare, ludere pila, tractare arma, gladiatoriam exercere, vt ne torpore aut inertia perditi obſoleſcerent, ſed ſuo tempore vtiles ac idonei Reipublicæ ciues euaderent. *Ludi literarii & palæſtræ Mexicanorum.*

Hæc quæ diximus, de plebeiorum liberis, aut quibus humilior cenſus, capienda potiſſimum ſunt. Principum vero, Nobilium & Generoſorum liberis ſingulares ludi erant attributi in quibus exercerentur.

Cibus illis atque alimonia à parentibus, Pædagogi viri ætate prouecti, experientia celebres, vita graues, qui commiſſam fidei ſuæ iuuentutem ad morum concinnitatem & virtutum ſtudium ſedulo formatam, exemplisque ſuis commonefactam, in caſtitate

inſuper, temperantiaque, cibi & potus parcitate, ieiuniis, inceſſus grauitate, corporis rectitudine inſtituebant, quibus etiam, licet ſublimi loco natis, nulla indulgebatur mollicies, quin imo difficilibus & arduis laboribus exercebantur. Seniores vero ac ludorum Rectores in erudienda tam nobili iuuentute prudenter verſari, ſcrutari inclinationes naturæ, ſtudia notare, diſcernere ingenia, & pro re nata ſuas moderari inſtitutiones.

Quibus bella atque arma cordi eſſe videbantur, illos ſuppeditatis ſumtibus in caſtra prætoria mittere, vt militibus aſſuefacti, mores eorum & diſciplinam mature combiberent, neue delicias aut ocium in militari vita ſibi fruſtra pollicerentur, ſimul paupertatem, labores ac vigilias eorum oculis vſurparent, prouide & in anteceſſum. Fuit cum onerati hi nobiles adoleſcentes grauibus ſarcinis ad exercitum mitterentur, vt edito ſpecimine tolerantiæ ſuæ, facilius inter ordines admiſſi, in numerum militum legionariorum adſcriberentur: hiſce ſarcinis onuſti ceruices, aliquando ad copias militum profecti, nouo honore in caſtris aucti domum repetebant. Fuit alias, cum iuuenili feruore abrepti, mandatorumque limites transgreſſi, ferrentur in hoſtem audacius, vbi fere dabant temeritatis ſuæ pœnas, capti viui vel trucidati, parentibus ſuis præmaturæ virtutis non aliud relinquentes præmium quam luctum.

Cæterum ingeniorum puerilium arbitri, cum alios animaduerterent, non ad bellum propendere animis, ſed ad deorum potius cultum & templi miniſteria: his alio modo, vt oportebat, conſulebant. Aſſecutos legitimam ætatem è ſcholis puerilibus exemtos, ad ſacerdotum ac monachorum collegia deducebant, cellisque eorum aliquantiſper mancipabant, Charactere ſacerdotali initiatos, ſacrisque veſtibus indutos. Nec hic deſtituebantur grandæuis ſacrificis, qui nouitios hoſce in ritibus & ceremoniis ſacris patrio more peragendis edocebant, continuata eo vſque inſtitutione, donec & ipſi ad ſacerdotalem dignitatem promoti inter myſtas conſcriberentur.

Cum autem Rerumpublicarum authores ac nomothetæ recte conſtituerint, vt ſeriis ac laborioſis rebus nonnunquam recreationis ergo ludicra interponerentur, quibus animus ciuilium curarum onere feſſus reficeretur, ſi certo debitoque modo ac tempore adhiberentur: illis ne Mexicani quidem deſtituti fuere, quæ ludicra quaſue exercitationes eorum, quibus animum oblectabant, corpus firmabant, non minus volupe erit fortaſſe lectori intelligere, quam nobis referre. Vt autem de Choreis dicere initium faciamus, ſaltationum tanta apud eos eſt multitudo & varietas, vt omnes deſcribere velle, ſit rem non difficilem ſed impoſſibilem aggredi, omnes tamen in vniuerſum eundem fere modum atque metron ſeruabant, accentu non multum variante, plauſu pedum non celeri, ſed graui ac tardiuſculo, motu corporis compoſito. Alias inſuper exercebant choreas, perſonati, faciem laruis diabolicis tecti, alter alterius inſiſtens humeris.

Ludorum ludicra.

Potiſſima pars harum ſaltationum eo tendebat vt idololatrici ritus confirmarentur, ac ſimulacrorum execrabilis cultus ſtabiliretur.

Muſica Indorum & Choreæ.

Muſica eorum ſymphonia fere in pneumaticis conſiſtebat, in tubis, inquam, tibiis minutis acutiſſimi ſoni, & cornibus. Sed & κρουστὰ non omnino ab iis ſpreta, tympanorum varia genera pulſantibus.

His inſtrumentis omnes qui aderant, ſimul ſublata voce accinere, alii præcentorum vicem obeuntes, verſus quoſdam è carminibus patriis præire, quos cæteri

canentes ac perſequentes hymnos illos, ſequi. Nonnulli ambulare in extentis funibus, alii ſuper defixum palum aut ſtipitem ſaltabundi corpus iactare, alii incredibili agilitate ſtupendos edere ſaltus, & quæ præterea commemorari omnia non poſſunt. Varie ſeſe exercent hi barbari in hac palæſtra, multaque agilitatis ſuæ edunt ſpecimina, ſcandendo in altum, ſaliendo, luctando, immania ferendo pondera, ſimulacra pugnæ ciendo, tolerando verbera ſine gemitu & querimonia. Vocant Chorearum quoddam genus *ſolennele mitote*, cui ipſi primas deferunt, plurimum in eo eſſe recreationis exiſtimantes, cuius oblectatio tanti fiebat, vt ne reges quidem his Choreis intereſſe turpe ſibi putarent, eoque nomine potiſſimum in interiore templi parte, aut etiam in ipſa aula Palatioue regio agitabantur, ſeruato decoro, & honeſtatis habita ratione ac elegantiæ, admiſſis tantum nobilioribus.



Et hæc quidem de Mexicanorum moribus, vita communi, ratione belligerandi, iure patrio, Republica, Imperio dicta ſufficiant, in quibus omnibus propoſitæ breuitatis ratio habenda fuit, ne cum ipſo commentario tædium lectoris creſceret: Videamus iam, quid de Origine horum populorum, veteri ſede, migrationibus, ſucceſſionibus Regum, factis memorabilibus, decremento ac ruina dicere habeamus.

 Igitur

Otomeyes primi Nouæ Hiſpaniæ habitatores.

Igitur hanc terram, quæ nunc Hiſpaniæ nouæ nomine vſurpatur, habitauere antiquitus populi *Otomeyes* dicti ab Indis, quibus vita cum re tenui in paupertate fere tranſigebatur: habitatio illis in locis incultis, victus tenuis & ſponte proueniens: cum autem πολιτκοτέρως quam cæteri Indi vicini eorum viuere crederentur, iccirco illos conueniente nomine *Nauatlacas* appellitabant. Hi à ſeptentrionalibus Americæ partibus prodiiſſe dicuntur in has regiones vbi poſtmodum Regnum Mexicanum conſtitutum, & ab Hiſpanis euerſum eſt.

Diuiſum tum fuit in duas prouincias, quarum illa *Azlan* id eſt ardearum locus; hæc vero, *Thecul-huacan* id eſt, diuinos atauos habentium, regio dicta fuit. in vtraque harum prouinciarum Nauatlacas illi ſedes & domicilia ſibi poſuerunt, ſolum coluerunt, reipublicæ aliquam formam conſtituerunt, deorumque cultum erexerunt.

Hic autem populus, cum eſſet numeroſus, in ſeptem alias nationes ſiue genera diuiſus fuit, vnicuique horum certa terræ portione, certoque agri modo dato & adſignato, vnde viuerent.

De origine gentium Mexicanæ prouinciæ.

Hanc generis ſui originationem hoc modo oculis ſubiicere ſolent. Pingunt ſpeluncas ſiue cryptas ſubterraneas ſeptem, adduntque homines ex iis prodeuntes: quibus innuunt ſeptem illa familiæ ſuæ genera, quæ ab Aquilone velut è ſpelæis progreſſa, terram Mexicanam primo poſſederint, illudque regnum fundauerint. Tempus addunt, quando id ſit factum, quod, ſi noſtro calculo cum noſtris Hiſtoriis compono, euadet annus à nato bono publico Octingenteſimus viceſimus: vnde non eſt difficile colligere, quantum fluxerit tempus à prima huius populi migratione ad annum vſque euerſionis regni eorum. Et hæc eſt Originationis illorum antiquitas.

Anno Chriſti 820.

Cæterum tarde admodum progreſſi, hanc viam longiſſimo octoginta annorum tempore demum confecere, ita imperantibus idolis, quæ ſecum religionis ergo ferebant, cum, ſi expedito rectoque itinere licuiſſet progredi, omnis illa via menſtruo ſpacio potuerit confici. Illis autem annis octoginta non continuo ambulabant, ſed nacti terram aliquam à diis ſibi indicatam, fertilem ac culturæ patientem, conſidebant aliquantiſper, factis noualibus, ſementemque facientes.

Nec tamen hic conſiſtere dabatur, ſed ad alias porro oſtenſas terras migrare, addita cauſa quod meliores eſſent iſtæ illis, ita deſertis prioribus agris nouos quærere iuſſi, populariter inde migrabant: nec tamen penitus priora rura deſerebant, relictis illic decrepitis, morboſis ac inualidis, cum timidioribus, qui ſimul proficiſci vel non poterant, vel non audebant.

Nomina Septem nationũ.

Harum autem nationum quæ populari migratione in Mexicanam peruenere, primi erant, quos *Suchimilcos* vocabant, quod interpretaberis populum floridorum agrorum. His in ſorte ceſſit meridionale latus in ripa magni illius lacus, in quo ſtructa deinde fuit vrbs Mexicana. Multo deinde intercedente tempore ſecunda natio, *Chalcas* dicta, id eſt populus menſium, aliam extruxere vrbem, à ſuo nomine dictam, diuiſis cum Suchimilcis agris atque finibus.

Tertii erant *Tepanecas*, Populus de Ponte, quibus attributum latus occidentale, ad ripam dicti lacus. Hi præ cæteris magnopere aucti, aliquandiu rerum potiti ſunt illis in locis. Quarti hos ſequuntur, *Culhuæ* dicti, (quos noſtra lingua Populum incuruum dixeris) elegantius his quam reliquis omnibus Idioma, ſtudium facundiæ & mundiciei. Quinto loco ſcribendi ſunt Populi Montium, quos illi ſuo ore *Tlatluicas* appellabant, quibus ingenium immite & ferox, alienis ab omni humanitate.

Hi cum vidiſſent quicquid terrarum per circuitum lacu illo alluitur, iam à prioribus

occupa-

occupatum,omiſſa hac ſede,progreſſi trans montes in alterum terræ latus,vbi ſeſe illis aperuit ſpacioſa planities,agris fertilibus ſpectanda,quos occupatos coluere, multis villis ac pagis hinc inde excitatis. Metropolin harum omnium appellabant *Quahuna-chua*, id eſt,Locum vbi vox Aquilæ auditur. noſtro æuo hæc regio Marchionatus titulo & dignitate inſignita eſt.

Hos ſexto loco ſequuntur *Tlaſcal-tecas* quibus à panibus nomen inditum. Hi ſuperatis montibus in orientem conuerſo itinere vſque ad niuoſas alpes perrexerunt, conſederuntque haud longe ab igniuomo monte, cuius iam tum fama late ſparſa,qui media via inter Vrbes Mexicanam & De los Angelos poſitus eſt. Obuenit his terra miræ fæcunditatis & pulchritudinis: non pauciores hi extruxere pagos,villas & caſtella, ſuumque genus longe lateque propagauerunt. Vniuerſæ prouinciæ,& primariæ vrbi vnum idemque nomen inditum,vt *Tlaſcala* diceretur. Hi ſequuti partes Hiſpanorum, odio popularium multum eos iuuere in debellandis vicinis regibus Mexicanis: & hæc eſt cauſa, quod in hunc vſque diem immunes ſunt à contributione & vectigalibus. Cum primum hæ ſeptem nationes occupaturæ terras illas aduenirent,priſci coloni, quos *Chicimecas* appellabant,illos aditu non prohibebant, neque ſe vlla violentia illis opponebant,ſed nouitate rei ſtupefacti quid facerent non inueniebant,tandem admirabundi in ſpeluncas & receſſus montium abditi locum habitandi cedebant nouis hoſpitibus.Non tam ignaui nec ſtolide fuere,qui oppoſitum latus montanæ regioni incolebant veteres coloni ac indigenæ. Cum enim illa pars Terræ *Tlaſcaltecis* ſorte obueniſſet, hique occupaturi eam proficiſcerentur,ab antiquis habitatoribus admiſſi minime ſunt, qui arreptis armis omni vi ſe oppoſuerunt peregrinis,freti viribus corporis, (gigantea enim mole erant & robore) quos & ſine dubio profligaſſent, niſi fraude ac aſtu ferociæ ac viribus itum fuiſſet obuiam. Tlaſcaltecæ enim pacem cum Cyclopibus illis inibant,quam fædere firmabant ac amicitia,ſed ficta erant hæc. Vocatos enim prægrandes illos fungos magnifico adhibebant epulo,quibus non ſolum cibariorum affatim appoſitum,ſed & ad bibendum largius inuitatis ſtructæ inſidiæ. Animaduerſo autem peregrini ,illos iam ebrios nec ſuæ poteſtatis,ſubtraxerunt iis clanculum arma,quæ ſecum more barbarico conuiuio intulerant: erantque nodoſæ clauæ, præuſtæ ſudes ac ſtipites, fundæ prægrandes iacientes lapides,gladii lignei,ſed & rude lignum,aut pertica vt fors obiecerat; his inquam fraude ſublatis,ſemiſepulta illa pecora ebrietate, ac crudas epulas ructantia *Tlaſcaltecæ* maiore animo quam corpore inuaſerunt,quibus ſe colligentibus vtcunque,poſtquam ſubtracta arma,ſeque circumſcriptos ſenſere, ad vicinum nemus refugium,vnde iracundia vires ac animum addente,ramos arboribus defractos pro armis habuere,ſeque aliquandiu tutati ſunt. Sed fraus fraudi ſuperaddita gigantibus exitium attulit: abdiderant enim *Tlaſcaltecæ* armatam manum ſuorum hominum in proximas montium ſpeluncas, quibus mandatum vt ſignum irruendi expectarent. gliſcente igitur bello ac furente Marte, Triarii illi euocati inſtaurauerunt prælium, quo factum eſt, vt peregrinis ſeruantibus ordines,& acie ſtructa pugnantibus,Grandes illi confuſe irruentes à minoribus victi cæſique ſint. *Gigantes aſtu victi cæſique.*

Sunt autem *Tlaſcaltecæ* crudeliter vſi hac victoria,trucidatis omnibus gigantibus, nec paſſi ſunt vllum ex iis ſuperſtitem aura vitali perfrui. Eſtque ſecundo hoc prælio non ipſis victoribus tantum,ſed & cæteris eorum contribulibus pax parta atque quies ſempiterna.

Sex igitur illæ nationes,quas hactenus commemorauimus amicitiam hoc pacto inter



ſeſe coluere, quam & nuptiis liberorum ſuorum confirmabant, ab aliis petentes vxores, illisque ſuas viciſſim elocantes filias, terramq; ac agros inter ſe diuidebant ex æquo bonoque. Inde ad publica commoda conuerſi augendæ genti ſuæ atque excolendæ incumbebant, operam dantes, vt claritate nominis alias anteirent: quibus ſtudiis factum eſt, vt potentia & opibus non parum augerentur. Videntes hoc Barbariores illi *Chichimecæ* prodiuere denuo è ſpeluncis ac latibulis ſuis, abiectaque feritate & ſtultitia, veſtibus vti cæperunt more ac exemplo hoſpitum, iungentes cum peregrinis dexteras, à quibus tantum didicere humanitatis, vt & ipſi ſibi magiſtratus legerent, aliquamque Reipubl. formam conciperent. Hæc ita habuerunt in illa parte Occidentalis Indiæ, quæ Noua Hiſpania dicitur multis annis, quibus terra illa magis magisq; exculta, frequentiusque habitata, miram incolarum multitudinem aluit, qui diſciplinæ ac honeſtatis capaces ciuili ratione publicum commodum adminiſtrauerunt, quoad licuit. *Mexicanorum Origo.* Annis autem à prima ſex harum nationum migratione trecentis viginti elapſis, Septima Aquilonarium populorum natio ex antro ſuo prorupit, (hi autem fuere ipſi *Mexicani*) qui populariter profecti, eamdemque quam ſuperiores inſiſtentes viam famoſas illas prouincias in ſuperioribus à nobis tactas, *Azlan & Tecul-huacan* peragrauerunt, quæ habitabantur

bantur à populo ciuili, ingenioſo, manſueto, nec minus bellicoſo. His præcipuum Idolum quod colebant, erat ſæpe nobis vel inuitis memoratus Vitzlipuzlius. Antiquus autem ille Draco per os huius ſimulacri oracula promens, imperauit huic populo, quem vniuerſum poſſidebat & ductabat pro arbitrio, vti contemta patria ſua inde populariter migrarent, ſe eos ducturum alio, vbi futuri eſſent principes & dynaſtæ omnium regionum, quas ſex illæ nationes iam olim occupatas ad eum modum, vt diximus, excoluiſſent: daturumque ſe iis terram auro, argento, gemmis, vnionibus, precioſis pennis, veſtibus, aulæis, velis abundantem.

Migratio Mexicanorum in Nouam Hiſpaniam ſuaſu Dæmonis ſuſcepta.

Huic promiſſo tam ſplendido adhibentes animum Mexicani, profecti ſunt, ferentes ſecum Vitzlipuzlium ſuum, quem è Sacerdotum ordine quatuor primarii viri ferebant humeris, impoſitum arculæ aut repoſitorio è iuncis plicato.

Belliſſimus ille Puſio hiſce quatuor ſacerdotibus ſecreto aperiebat, quid eſſent in hac migratione perpeſſuri, oſtendebatque modum euadendi pericula.

Inſuper oſtendebat eis rationem colendi ſui, quibus ceremoniis, quibus vtendum eſſet ritibus, quæ ſibi offerenda ſacrificia, quo pacto recte foret perlitandum. vt verbo dicam, tam arcta diſciplina cohercebat eos, tamque rigidis Imperiis, vt ne mouere quidem pedem liceret, ipſo Idolo non conſulto.

Hic erat vnicus imperator, hic dux viæ, hic modum præſcribebat itineris, vbi conſiſtendum, quatenus progrediendum, quo deflectendum. hunc miſeri ſequebantur ſolliciti admodum, ne vel tantillum mandata eius negligerent.

Si quo loco erat aliquandiu commorandum, primum omnium in caſtrorum medio legebant idoneum locum Idolio conſtituẽdo, ponentes ſimulacrum ſuper altare barbarico more exornatum. Curatis hoc modo ſacris, ad agriculturam conuerſi agros colebant, conſerentes aruum omne genus frumento ac leguminibus.

Quod ſi mutandus locus vertendumque ſolum foret, ſementem in agris relinquebant, vt eſſet ſenio, aut morbo affectis, nec non & ignauis qui illic deſtituebantur, vnde viuerent impoſterum.

His certo conſilio erat manendum, vt vel per has reliquias, quantum pote, genus eorum propagaretur.

Omnia, quæ hactenus à nobis dicta, & ex eorum populorum relatione vere hauſta conſcriptaque ſunt, magnam habere videntur affinitatem & ſimilitudinem cum hiſtoria ſacra de Exitu Iſraelitarum in Canahanæam ex Ægypto, vnde videre eſt, quo pacto malignus ille ſpiritus, qui ſimius diuinorum operum dici poteſt, Cacozelian ſuam etiam hic oſtentauerit.

Exitus Iſraelitarum ex Ægypto à Cacodæmone in imitationem tractus.

Mirare mecum, lector, & indignare malitiam huius veteratoris! Nullus vnquam omnium Cacodæmonum tam proteruus & profligatus fuit, quam hic Vitzlipuzlius. nullus vnquam tam imperioſe miſeris hominibus illuſit, nullus tam abſurdum cultum, tã fœdas ceremonias, tam crudelia ſacrificia docuit, quam hic egregius Mexicanorum Archiſtrategus.

Nominis autem ratio, cur Mexicani dicerentur incolæ, ipſa regio atque Vrbs primaria, orta eſt à primario principe & ductore ordinum inter eos, cui *Mexio* nomen.

Cæterum

Vnde dicti Mexicani. Cæterum hæc ſeptima natio aquilonarium, vt ſex anteriores, paulatim progreſſa, multiſque habitis in tanto itinere ſtationibus, in quibus quandoque diu hæſerunt, tandem exantlatis multis miſeriis, periculis, laboribus in piſcoſam illam & irriguam regionem *Mechoacan* peruenit: vbi peregrinationis pertæſi, & quietis appetentes, eam ſibi perpetuam legere voluerunt domicilium ibiq; conſiſtere.

Negauit hoc iis Idolum Sathanicum Vitzlipuzlii, vlteriusque progredi coegit. Quia tamen ſoli vbertas, amœnitasq; & piſcoſiſſimorũ fluuiorũ copia animo alte inſederat, vix magnis precibus & ſacrificiis frequentibus obtinuerunt, vti paucos ex omni numero lectos ibi relinquere liceret, qui terram tot modis expetendam colerent & habitarent: cuius rei ſcientiam non ab alio magis quam ipſo dæmone haurire erat integrum.

Porro cum magna populi pars, tam viri quem feminæ in eximiæ pulchritudinis lacum, quem *Pazcuaro* vocant Indi, lauandi gratia deſcendiſſent, imperauit cæteris Idolum, vt ſubtractis clanculum veſtibus, deſertisque in lauacro ſociis, celeriter proficiſcerentur.

Mechoacani populi vnde orti. Quod cum ſine mora factum fuiſſet, illi lauandi ſatietate capti, cum aquis egrederentur, ac animaduerterent, non tantum ſe ludibrio habitos à contribulibus, qui veſtimenta ſuſtuliſſent, ſed etiam deſertos ignominioſe, miſcuerunt cum terrore & formidine, vindictæ cupiditatem, infelices ſe quam maxime exiſtimantes, niſi aliquo modo vlciſcerentur perfidiam ſociorum. Inde cepit initium veteranum illud & hæreditarium Mechoacanenſium in Mexicanos odium, vt in ſignum inimicitiæ & alieni animi linguam & veſtiendi rationem mutauerint, quæ hoſtilis animi ſignificatio amplius ſe exeruit tum, cum *Marchioni de valle* ſolenniter gratulati ſunt *Mechoacani*, de victoria à vicinis eorum, Mexicanis reportata, peſſundatoque regno.

Diſtant autem hæ duæ Vrbes, *Mexicon & Mechoaca* milliaribus pluſquam quinquaginta, interque duo hæc oppida aliud quod *Malinalco* dicitur. Magna his incolis querimonia de Saga quadam ſiue ſortilega, quæ ex eorum eſſet gente, quam graphicam perhibebant veneficam (etſi ſe ſororem Dei ipſorum nominaret) quæ veneficiis & incantamentis ſuis multum damni daret popularibus, affectaretque diuinum cultum, vt pro Dea adoraretur.

Saga Malinalcenſis. Delata hæc res fuit ad dæmonem; qui conſuluit ductoribus ordinum, vt deſerta Sorore ſua, anu ſcelerata, effera, malitioſa, cum omni eius familia & ſequela, vniuerſi protinus de nocte migrarent, ne veſtigio quidem vllo relicto profectionis ſuæ. Monito dæmonis protinus paruere omnes.

Saga illa, quæ ex malitia & dolis conſuta erat, deluſam ſe deceptamque animaduertens, viciſſim ſpretis illis, à quibus deſerta fuerat, fixit in illo loco ſibi domicilium, extructo oppido *Malinalco* cuius incolæ præ cæteris venefici & incantatores famoſi extiterunt.

His igitur diſcordiis, deſertione ſenum, morbidorum, timidorum, multum detritum eſt de prima Mexicanorum multitudine, quæ domo exiuerat.

Multo igitur pauciores facti, cum & peregrinandi tædium eos cæpiſſet imbecilliores factos labore viæ, conſilium ceperunt ſubſiſtendi in valle *Tula*, ibique conſiſtendi, donec aucti viribus reſtitutiq; fuiſſent. Idolum autem imperauit illis, vt fluuium vicinum perfoſſis ripis deriuarent: quo facto aqua fluuialis patentes campos eſſet inundatura.

Nec

Nec mora, ſimul cum dicto extitit ingens lacus, quem circumcingebant editi montes *Coatepec*, in cuius ripis ab omni parte lacum ambientibus diuerſi generis arbores collocatæ loco decorem conciliauerunt. Lacus abundauit piſcium copia, in arboribus mille volucrum ſpecies nidificauere, quæ res non exiguam loco addidit gratiam.

Mexicanis igitur pertæſis laborum & peregrinationis, optantibusq; beatas ſedes & finem exilii, cum amænitas loci non parum arrideret, placuit ibi vel inuito ſimulacro conſidere, terram ligone & aratro colere, oppida extruere.

Simulauit Diabolus, magnam ob id factum ſe concepiſſe iracundiam: inde ſacerdotibus atrocem comminatus mortem, iuſſit vt è veſtigio reſtituta ripa fluuium veteri alueo redderent, niſi exquiſitis modis perire mallent. addidit inſuper, appariturum ſubſequente nocte, quodnam exitium eſſet manſurum inobedientes. quod quidem ita factum, veritati fidem fecit.

Circa enim noctis medium in quadam caſtrorum parte magnus ortus eſt tumultus. *Animaduerſio grauis Sathanæ in inobedientes.*

Sole autem admouente diem inuenti ſunt mortui quotquot federe ſe obſtrinxerant non proficiſcendi vlterius. Genus autem mortis quo interierant tale erat. Aperta velut cultro erant illis pectora, & cor fibris auulſum exemtumque.

Statim hinc collegit Idololatrarum veſania, quæ nam potiſſima eſſet ſacrificiorum pars, qua numen illud cruentum foret placandum.

Tractaque res eſt in pernicioſam conſequentiam, vt omnibus hominibus, qui immolabantur, pectora ſecta, corque exemtum idolo oblatum fuerit, more immaniſſimo.

Caſtigatis ad hunc modum rebellibus, cæteri alieno exemplo edocti conclamatis vaſis, profectionem indixere, progreſſique ſunt aduſque locum *Ghapultepec*, vno, non amplius diſtantem à Mexico milliaribus, cuius præcipue commendatur amœnitas & fertilitas.

Hic locus, quia montibus cinctus eſt, & veluti vallatus, munimenti vicem præbuit Mexicanis aduerſus vicinas gentes, quas illi non iniuria metuebant, hoſtiliter erga peregrinos hoſce affectos: accedente inſuper alia cauſa, quod *Copil* filius famoſæ illius Sagæ, cuius ſupra malitiam & facinora attigimus, diſcurrens hinc inde colonos commonefaciebat, (inſtigatus ſcilicet materno in hanc gentem odio) vti atreptis armis Mexicanos aduenas adorirentur penitusq; delerent. *Copil Magus veneficæ filius.*

Quo velut Claſſico cantato multos in ſuam ſententiam pertraxit: ipſe ſedem ſibi legit in colle eminente è medio lacu *Acapulco* habitaturus illic atque ſpeculaturus, quo pacto Mexicani funditus & ab ſtirpe eradicarentur.

Mexicani autem de conſilio Idoli ſui Vitzlipuzlii Magum hunc armis adorti, cum ne ſuſpicaretur quidem tale aliquid, interfecerunt, eiusque cor pectori extractum dæmonio ſuo obtulerunt, quod quidem ab illo non acceptatum, ſed in lacum abiici iuſſum eſt, è quo poſtmodum, vt ipſi perhibent, *Tunalis* arbor nata

fuit,

Tunalis arbor è corde Magi prognata. fuit, eo ipſo in loco vbi nunc quoque Mexicana ciuitas muris ædificiisque ſuperbit. Poſt hæc Chalcarum natio coniunctis ſibi vicinorum viribus in aciem progreſſi, prælium cum Mexicanis conſeruere: quo quidem Dux horum ſiue Imperator bellicus *Vitzilouitlius* occubuit, vincentibus nihilo ſecius Mexicanis, qui facta ſibi per hoſtilem aciem via perruperunt, perueneruntque vſque in Gulhuanorum pagos, vbi recollegerunt ſe, viresque ſuas, nec vnquam poſt eum diem tentati ab aliis nationibus bello fuerunt.



Paucis poſt hæc diebus iidem illi Mexicani de Conſilio Vizlipuzlii ſui oratores miſerunt cum mandatis ad *Culhuacanorum* regulos, petitum habitationis locum, vbi viuere & vrbem extruere poſſent. Hi audita petitione ablegauerunt eos ad *Ticaapan*, id eſt albas aquas, perſuaſi, eos illic viuere non poſſe, ſed mox interituros ob magnam vim ſerpentum aliarumque noxiarum beſtiarum, quæ è vicinorum montium latibulis eo confluere ſolent. Improbantibus his conſilium, Idolum ſuaſit, vti omnibus modis oblatum acceptarent, nec horrerent venenum animalium, quibus quo pacto adimeretur verus, ſuos inſtituebat, vt nō modo non obeſſent, ſed & in cibo ſalubriter ſumi poſſent. Quę res ab *Culhuacanorum* proceribus animaduerſa, illos in ſtuporem dedit, vt omiſſa ſimultate odium in amorem verterent: cumque viderent ſtrenuos illos eſſe colonos, qui magnos ex agris fructus perciperent, aperuerunt illis vrbem ſuam, communicatoque ciuitatis iure, amicitiam cum illis coluerunt percuſſo fœdere.

At

At vero bellus ille Vitzlipuzlius (vt eſt diabolus ſuapte natura hoſtis amicitiæ ac concordiæ, amator homicidiorum) iniquo animo tulit hæc federa: non placere ſibi locum illum dicens, progrediendum eſſe vlterius, belloque ac ſanguine parandum regnum. Imperare igitur ſe vt inquirerent mulierem, quæ Dea ipſis foret diſcordiarum & litium. quam vt nanciſcerentur edocuit eos peſſimo conſilio, vt miſſis oratoribus filiam regis *Culhuacani* peterent, Mexicanorum futuram reginam, Matremque dei ſui. Non diſplicuit Culhuacanorum regi poſtulatio, paucisque inter ſe pacti tradidit illis puellam in manus, non indotatam, verum probe exornatam coronatamq;. Suadente autem atque iubente ſcelerato illo Vitzlipuzlio puellæ crudelem in modum interemtæ detracta pellis eſt, atque ſtatuæ inducta, quam veſtibus regiæ filiæ indutam exornatamque pone Idolum ſui illius cruenti deaſtri collocauerunt, ipſam vero excoriatam mulierem in Dearũ numerum retulerunt, conſecratamque dei ſui Genitricem appellauerunt, Magnamque populi Mexicani Matrem, Sacrificiis eam de cætero & ceremoniis vſitatis venerati. Hac fraude & immanitate ſatisfactum illis minime eſt, ſed vt ſcelus ſcelere cumularent, Patrem illius regem Culhuacanorum invitauerunt, vt veniens filiam ſuam iam Deam factam munere aliquo inuiſeret. Lætus rex honore gnatæ ſuæ, cum donis & magno nobilium comitatu comparuit, qui in obſcurum ac tenebricoſum locum deducti omnes, vbi collocatum fuerat Simulacrum dæmonis, iuxtaque ſtatua amicta pelle filiæ regiæ, cæperunt illis iunctim honorem habere. Adolente autem rege ac grauiores thuris micas foco imponente, repente emicans flamma præter ſpem fraudem detexit. Cognita enim pelle filiæ ſuæ rex Pater animaduertit impoſturam, ingentique, vt credere fas eſt, concepto dolore animo, non tenuit lacrymas. Fugiens igitur funeſtum locum preſſit iracundiam, donec reuerſus domum comparato exercitu, magno furore Mexicanos adortus eſt, quos iuſto prælio fuſos in ipſum vſque lacum compulit, nec multum abfuit, quin in aquas præcipitati ſubmergerentur omnes. Hæc pereundi neceſſitas deſperatis animum addidit, vt collectis ordinibus prælium inſtaurarent, quo factum eſt, vt multis Culhuacanorum vulneratis, hoſtes ſe reciperent. Ita nacti Mexicani ſpacium euadendi multis deſideratis deſeruere illum locum, partimque nauigiis, partim nando ſuperato lacu in alteram ripam feſſi ac madidi vix euaſere. Mulieres autem puerique extrema perpeſſi, multis clamoribus & conuiciis deum ſuum proſcindentes aperte incuſabant, horum malorum præter illum autorem neminem, à quo iuſſi fuiſſent rumpere amicitiam fedusque confundere.

Tandem, cum nimium fuiſſet impoſturarum, nimisque diu deluſi Mexicani fidem deo ſuo non amplius haberent, pertæſi inſuper tot fruſtrationum, ambagum, periculorum, cumque non ſufficerent amplius ferendis laboribus, cogitauit mendax ſpiritus, promiſſis tandem aliquando ſtandum. Accidit ſub id tempus vt quidam ex primi ordinis ſacerdotibus per locum iuncis & arundinibus denſis vix peruium facto itinere ad aquas argentei ſplendoris & candoris peruenirent, quibus hæc cum ſtupore conſiderantibus aliud oſtentum oblatum eſt. Arbores enim, prata campiq; circumiecti, vt & piſces in vndis omnia argenti colorem referebant. Hic illos admiratio primum tenuit, poſt in mentem venit vaticinium, quod ab Idolo audiuerant: candorem illum argenteum ſignum illis fore Quietis ſuę firmiq; ac ſtabilis domicilii, quo poſito domini futuri eſſent ac principes vicinorũ populorum.

Manauerunt illis lacrymæ præ gaudio, vixq; ſe noſcentes ipſi reuerſi ſero in caſtra, vniuerſum populũ inſperato gaudio tam læti nuncii affecerunt. Subſequente nocte Vitzlipuzlius ſummo pontifici, decrepitæ ætatis viro per ſomniũ imperauit: nunciaret patrib.

 ac ple-

ac plebi in illo lacu quærendam eſſe Tunalem arborem, è ſaxo prognatam, quo loco ante multos annos cor famoſi illius Magi, *Copilli*, qui matre ſaga perditiſſima editus fuerat, ſepulturam inueniſſet. Super arborem autem illam inuenturos ſpectandæ magnitudinis aquilam, quæ illic continuo habitaret, auibusque aliis elegantibus ac pictis paſceretur. Hoc ſigno illos debere intelligere, quo loco extruenda eſſet vrbs, omnes alias totius orbis ſuperatura diuitiis, Imperio, ſplendore, nominisque claritudine. Acceptis his mandatis à dæmone longæuus ſacrificus conuocatum populum omnia edocuit, quibus magno gaudio exultantibus placuit è veſtigio ſenatum habere, quid facto opus eſſet exquirere. Viſa eſt omnis mora longa, confeſtimque conclamatis vaſis iter indictum, neque deſiſtendum donec fatis deſtinatam inueniſſent terram. Inde magna cum deuotione ſummo mane viam ingreſſi, bifariamque diuiſi vaſtum illud ſpacium iuncetis ac arundinetis frequentibus denſum vno illo die eluctati, ſub veſperam ad aquas illas candoris argentei, (quæ tamen iam colorem in ſanguineum mutauerant) peruenerunt. Vagati igitur hinc inde, diu quæſitam Tunalem arborem tandem conſpicati ſunt, quæ è ſaxo pronata alte eminebat: in cuius ſummitate Regalis Aquila ramis inſiſtens, dilatatis alis, faciem in orientem Solem obuertebat. Pennis pictis vndique fulgebat coloribus variantibus, albis inquam, rubicundis, croceis, cæruleis viridibusque: vngulis captum tenebat alium volucrem non minoris pulchritudinis.



Viſo Mexicani alite, agnitoque loco oraculis deſignato, proſtrati ingenua ſua honorem Aquilæ habuerunt prope diuinum, quæ & ipſa annuente capite acceptare ſe deuotionem viſa eſt ſignificare, verſis in omnes partes oculis. Capto hoc augurio tam felici, ad gratiarum actionem conuerſi Mexicani, magnis laudibus ferebant deaſtrum ſuum Vitzlipuzlium, qui ſe tot modis communem huius populi patrem oſtenderet, tot ſignis proderet ſuum in eos fauorem, quique mentitus fuerit nunquam, ſed ſemper euentus certitudine ſua comprobauerit vaticinia. Inde loco huic indidere nomen, vt *Tenoxtitlan* diceretur, quod eſt, ſi interpreteris, Tunalis arbor ſupra lapidem.

Augurium Mexicanis oblatum.

Sed & pro inſignibus regiis vſurpauerunt inpoſterum arborem illam cum inſidente volucre, alium minorem vnguibus ſuſtinente. Altero die Idolo ſuo tumultuario opere delubrum ſtruxere, in quo tantiſper deponeretur ac conquieſceret, donec magnificum illud Templum, quod iam tum animo concipiebant, foret excitatum.

Poſt hæc applicuerunt animum ad vrbem condendam. cæterum deſtituti lignis, lapidibus, cęmentis, quibus abundare vicinos ſuos intellexerāt, ab iis emerūt non aurum aut argentum rependentes, ſed piſces hamo captos, anatesque, mergos, anſeres & id genus volucres lacuſtres, aucupio acquiſitos, quod illi dextre exercere nouerant: qua permutatione mercium factū eſt vt affatim materiæ nanciſcerentur, ad fundamenta vrbis nouæ ponenda. His ita alacriter magnaque cum ſpe laborantibus, nouum ſuperuenit ab Idolo mandatum. Sacerdos enim quidam in medium progreſſus, placere Vitzlipuzlio aſſeuerauit, vt in medio ſatis amplo relicto ſpacio, in quatuor familias & tribus populus diuideretur, quibus ſingulis ſui eſſent Tribuni & principes, quæ tribus in quatuor partes diuiſam futuræ ciuitatis aream, ſingulæ ſingulas occuparent, ædificia ibi ponentes vicatim: vtque in ipſis plateis certa quædam loca deorum cultui dicata, quam fieri poſſet commodiſſime aſſignarent: deos autem, quos colere deberent, ab ipſo Idolo nominandos eſſe. Quod diuinum conſilium, qui non ſequendum putaret, nemo erat. Et hactenus quidem inter illos concordia ſtetit, quæ tamen ob ſequentem cauſam rupta illis prope exitium attulit. cum diuiderentur vici & plateæ nouæ ciuitatis, erant, qui exiſtimarent ob antiquæ proſapiæ dignitatem ac nobilitatem, obque merita in populum vniuerſum deberi ſibi aliquid extra vulgarem ſortem; quorum ratio cum non haberetur, læſos ſe non parum credentes, ingratitudinemque popularium incuſantes, de iniuriis queſti ſeditionem excitauerunt, contractisque familiaribus & clientibus, quorum non parua manus erat ſeceſſionem à reliquis fecerunt. cumque ripam lacus ſecundum longitudinem emenſi fuiſſent, conſederunt in regione *Tlatelluco*, cuius ſolum non depreſſum ſed rarum & in edito. Durante autem odio, nec dum ſepultis migrationis cauſis, vicinos Mexicanos quacunque repoſſent offendere non deſtiterunt, multum illis laboris & moleſtiarum exhibentes. Qua importunitate fatigati Mexicani, vt & his, & aliis hoſtibus obſiſtere poſſent validius, de eligendo rege in medium propoſuerunt. Placuit conſilium multitudini, eligere aliquem ex ipſis non placuit: ne inuidia tacti alii, nouitio regi parum æqui controuerſiam de regno armis mouerent. Re igitur penitius deliberata in mentem venit, placandum eſſe regem Culhuacanorum, quem ob trucidatam, excoriatamque Anteceſſoris ſui regis filiam (quod exiſtimaret ad ſe quoq; pertinere ignominiam) nouerant offenſam in ſeſe alere. Indictis igitur comitiis creando primo regi, elegerunt ſibi principem *Acamapixtlin*, filium viri principis inter Mexicanos, cuius mater erat filia regis Culhuacanorum. In cuius electionem cum conſenſum ab omnib. eſſet, legauerunt ad eum primæ dignitatis Oratores, qui Regnum illi cum magnis donatiuis offerrent. qui vbi eum conuenerunt, ad hunc modum allocuti perhibentur.

Vrbis Mexici prima fundamenta.

Seditio in diuiſione vrbis ortā.

Primus Mexicanorum rex.

Senatus populuſque Mexicanus, ſubiecti ac ſerui tui, miſerunt nos ad te, Domine, vti ratione noſtri habita, qui loca iuncis & arundinibus vluaque paluſtri obſita inhabitantes omni conſilio & ope humana deſtituimur, noſtras preces pondus apud te habere ſinas. Cum autem loca illa inculta, quæ colendo meliora facere ac fructuoſa conſtituimus, tuo ſint ſubiecta ſceptro, nos quoq; illud imperium agnoſcentes ſummâ obſecramus deuotione: vti *Acamapixtlim*, qui è veſtro & noſtro ſanguine procreatus eſt, nobis tuo ſuffragio regem conſtituas dominumq;, qui Princeps & Caput populi noſtri, nobis imperet, ius dicat, litigia componat, leges ferat, in expeditionem ac bellum euntes ducat, hoſtes profliget, cuius ſub imperio res noſtra publica, ſparſa ad hunc diem & confuſa, coaleſcat atque incrementum capiat. Nos contra ſtipulamur ei omnem præſtituros obedientiam, opem, ſubiectionem. quod facturi ſumus eo lubentiore animo, quod ſciamus eum vtriuſque populi iura ſeruaturum, ac velut glutinis loco futurum inter vtroſque, cum ad vtroſq; genus referat, materna cognatione Reges Culhuacanos cõtingens, paterna vero Mexicanorum optimates. Quibus dictis Rex vocatis in conſilium proceribus ſuis, non ſine emolumento ſuarum rerum futurum arbitratus eſt, ſi Mexicanorum gentem prudentia, ingenio, armis potentem hac ratione ſibi deuinciret. Vocatos igitur Oratores, initoq; cum ipſis adeoq; omni Mexicanorum populo fędere, ita dimiſit, vt de rege poſtulato omnia ſe ipſis gratificaturum diceret: Cæterum ſi mulierem petitum veniſſent, fuiſſe ſe omnino negaturum: non obſcure ſuperiorem perfidiam in regia filia ipſis exprobrans. Vocatum igitur Acamapixtlin in hæc verba allocutus fertur. Macte fili virtute & prudentia, proficiſcere accepturus oblatam dignitatem regiam, proficiſcere ſeruiturus ſimul diis tuis, quorum vices in terris obiturus es; abi recturus imperio creaturas illius, per quem viuimus, qui eſt dominus Lucis ac diei, noctis ſimul & ventorum. Proficiſcere, inquam, futurus dominator quicquid terra marique omne nomen Mexicanum poſſidet. Oratores Mexicanorum magnis laudibus vehere regem Culhuaçanum, prædicare eius comitatem, gratiasque ingentes agere, traditumque regem cum vxore regina ſecum in nouam Vrbem Mexicon deducere: vbi exceptus magno gaudio ab omni populo, felicibusque ſalutatus acclamationibus, nouo regno nouus rex inauguratus eſt. Thronus cui eum impoſuere, parum elegans veterem frugalitatẽ & ruditatẽ ſapiebat: Palatiũ humili culmo ſtructũ tenuitatẽ populi & initia creſcentis regni loquebatur. Regem ipſum gubernacula regni capeſſentem, vir ſenio & authoritate inter ſuos clarus ac grauis in hunc ferme modum adorauit. Merito gratulamur nobis tibiq; fili mi, idemque ſimul rex & domine noſter, quod non fueris aſpernatus tenuitatem noſtram, noſtræque vrbis hæc velut incunabula, qui hic inter iuncos & paluſtrem vluam vitam inopem viuimus, tolerantes cum omni patientia, quæ nobis à creatore noſtro ferenda imponuntur. *Suſcipe ô iuuenis tutelam & patrocinium huius populi, qui Mexicanorum nomine cenſetur, quique poſteri ac filij dei noſtri Vitzlipuzlij audiunt, cuius mandato ac nomine principatus non alij quam tibi delatus, non alium quam te dominum agnoſcit.* Non te latet, O rex bonis vocate auibus, nos in antiqua noſtra patriaque terra minime eſſe, ignari quippe ſumus, quid de nobis inpoſterum futurum ſit, vnde facile eſt colligere, te non ad quietem, ocium vel ſaginam ventris vocari, ſed ad noua pericula, indubitatosque labores. Nec enim dubitandum eſt, vicinos noſtros, quibus præſentia noſtra ſemper hactenus oneri fuit, non conquieturos, ſed bellum ex bello moturos, vt nos pellant his terris; his vt reſiſtas multum tibi erit deſudandum. Veniſti quidem regnaturus, ſed non minus ſeruiturus huic vniuerſæ multitudini, quæ odio habetur ab omnibus quarum fines attingimus, nationibus.

Oratio notabilis.

Cum his erit tibi colenda pax, feriendum fedus, iungendæ affinitates, cum in ipſorum agris conſederimus. Hæc ſi ad animum admiſeris, Rex, nec te regnaſſe, nec nos te ad regnum noſtrum vocaſſe pœnitebit. His dictis conticuit ſenex: fuitque Orationis huius ad omnem poſteritatem tanta gloria, vt pueris ad ediſcendum proponeretur. Ita locutum grandæuum excepit rex blando ſermone, actisque pro gratulatione gratiis, breuiter pollicitus eſt, daturum ſe operam vt recte præeſſet, reque ipſa comprobaturum huius populi ſalutem ſibi curæ cordique eſſe. De bello, deque patrocinio breuiter reſpondit, non admiſſurum, vti ſua deſideraretur opera, dummodo ipſis viris fortibus bonisque commilitonibus vteretur. Nec dilatum eſt vlterius obedientiæ ſacramentum, omnes conceptis verbis in fidem regis ſe vltro obſtringentibus, impoſitoq; capiti eius diademate (forma à Venetorum mitra Ducali non multum abludente) finitisque ita regni comitiis, Inſignia, quibus ex more clypeum ſuum pro vt à nominis ſui Etymo mutuauit, quod ſignificabat faſciculum telorum ex arundine factorum. Hoc ſigno ſemper in bellis vſus eſt rex iſte.

Non male ceſſerunt Mexicanis hæc noui regni auſpicia, breui tempore regis ſui induſtria ciuili quadam reipublicæ forma conſtituta, creſcente vrbe commodisque publicis. nec abſtinuere inuidum oculum ab hac felicitate vicini populi. Etſi enim ſuo vterentur rege ſuisq; Mexicani legibus, tributarii tamen erant omnes *Tepanecenſibus*: quorum regi magis magisq; ſuſpecta erat Mexicanorum in dies creſcens potentia, quæ iam dum videbatur maior, quam vt vicinis eſſet ferenda. non igitur deſtitit omnibus modis exitium machinari nouis illis hoſpitibus, quo omnes ingenii vires conuertebat. Vt autem videretur iure illos bello aggreſſus, cauſſatus eſt Tributi exiguitatem, quod cum minus quam pro re diceret, iuſſit vt impoſterum ligna ad nouæ vrbis , quam moliebatur, fabricam ſibi ſimul penderent. Imperauit præterea, vt agrum portatilem, in quo varia leguminum olerumque genera ad maturitatem perueniſſent, aduerſo flumine ſibi ſubueherent, integrum illum quidem, nec vlla imminutum parte. quod ſi mandatum neglexiſſent, obſidionem in vrbe, populationem in agris illos expectare iubebat, totiusque gentis internecionem. Conſternati Mexicani tam iniqua poſtulatione, quæ non eſſet humanarum virium, ingentes animo concipiebant iras, facile intelligentes, quorſum hæc tenderent. Quos eo nomine triſtes & attonitos ſolatus Vitzlipuzlius, ſibi rem curæ fore ſpopondit ſeque omnia effecturum quæ imperata forent. nec mora nouo commento rem aggreſſus, edocuit populum per ſacerdotes, quod faciendum eſſet. Tignis ac trabibus colligatis inque fluuio diſpoſitis, iuncos denſos imponi iuſſit, his rurſum terram ſufficientem inſterni, ſtratam omni ſeminum genere conſeri tempusque maturitatis expectari. Quo factum eſt, vt Mexicani ad diem conſtitutum, agrum frumento Mayzo, Axi, Blito, Tomate, friſolis, cucurbitis, Chiis aliisque conſitum aduerſo fluuio remulco trahentes Tepanacenſibus, velut iuſſi erant, exhiberent. Hæc res, quæ omnium expectationem ſuperauerat, admirationem primo, deinde inuidiam peperit. Nihil igitur de veteri odio remittens Rex Tepanacenſium, addidit ſuperioribus poſtulatis, rem difficilimam, vti vertente anno parem agrum ſibi repræſentarent, in quo ſimul anſeres & ardeolæ incubarent ouis, pullosque excluderent, ſed non ante, quam ager ille verſatilis Tepanacenſium regiæ appulſus eſſet.

Incrementa regni Mexicani.

Quæ res etſi videbatur fruſtra imperari, captumque hominum multum ſuperare, in effectum tamen perducta eſt, annitente Vitzlipuzlio quam maxime, adeo vt eo ipſo momento auiculæ ouis excluſæ comparuerint, cum Mexicani appulſo agro ad locum *Atzcapuzalco*, in terram exſcenderent.

Quibus omnibus animaduerſis rex Tepanecenſium clare profeſſus eſt, has res non eſſe humanarum virium, neque ſe dubitare, quin Mexicani, ſi pari prudentia & felicitate porro vterentur euaſuri eſſent ſuperiores omnibus populis & gentibus in illa orbis parte.

Deſtitit igitur illis porro moleſtus eſſe huiuſmodi rebus, à tributo tamen illos immunes non pronunciauit, quod quinquaginta prope annis continuis pendere coacti ſunt.

Mors primi Regis. Circa hoc tempus contigit *Acamapixtlin* primum Mexici Regem diem ſuum obire in Vrbe regia Mexico, quam mire auctam ædificiis, publicis priuatisque domibus, ſtratis plateis, aquæ ductibus, commeatibus, ex lateritia, vt ille aiebat, marmoream factam, teſtificatus amorem ſuum in patriam, reliquit. Imperauit annis quadraginta ſumma cum laude iuſtitiæ & clementiæ. Etſi autem non deſtitueretur maſculis hæredibus, conuocatis tamen optimatibus Mexicanorum, liberum ſuffragiorum ius in eligendo rege reſtituit: maluitque vir bonus & iuſtus liberos ſuos, regni ſucceſſione excludere, quam libertatem patriæ vllo pacto infringere. nec quicquam ipſi acerbius contigit, quã quod ciues ſuos viuus tributi onere leuare non potuit, quam rem etiam moriens grauiſſime tulit. Ad extremum cum proceribus vxorem ac liberos ſuos omni cum affectu commendaſſet, viuendi finem fecit, ampliſſimam lugendi materiam omnibus regni ordinibus relinquens.

Tumulato cadauere regis, iuſtisque patrio more perſolutis (quæ tum pro captu fortunarum exigua pompa conſtabant) conuenientes principes cum populo Mexicano de Electione noui regis conſilia inibant. Multa ibi habita deliberatione, tandem, vti demortui regis honorarent memoriam, qua nihil apud illos erat gratius, vtque oſtenderent, ſe beneficiorum eius in gentem hanc non eſſe immemores, ſumma ſuffragiorum concordia concluſerunt, vti *Vizilouitlius*, *Acamapixtli* filius in regem eligeretur. Significat autem *Vizilouitlij* nomen pennam miræ pulchritudinis. *Secundus Mexicanorum Rex.* Hic igitur creatus rex inque ſolio paterno ab electoribus collocatus, diadema ſolenni more ſuſcepit, vnctus eodem vnguento, quo ipſum Idolum Vitzlipuzlii ab ſacerdotibus vngi ſolebat, cuius & in ſuperioribus ampliter eſt facta mentio. Vir ſenio & authoritate ſpectabilis Orationem inauguralem habuit, cuius præcipuum erat argumentum, nouitio regi animum addere, vt populum triſti iugo ſeruitutis eximeret, ſi vel armis res expedienda foret, neu quid ante libertatem popularium poneret, qui graui ac pene pudendo tributo multis iã annis opprimerentur. Sed parum placebat *Tepanecenſes* intempeſtiuo bello laceſſere, rege nouo, nec dum in regno confirmato. Igitur, more etiam noſtrorum principum, per connubia res tentata fuit, petita iuueni regi in vxorem filia regis *Atzcapuzalcani*, cui nomen erat (vix literis noſtris ſcribendum, vix lingua efferendum) *Ayauchigualæ*. Nec opus fuit longa deliberatione, petita puella impetrataque eodem eſt labore. Iuncta hæc regi nouo *Vizilouitlio* matrimonio, puerum peperit. Mexicani læti hoc partu, inque ſpem optatæ libertatis vertentes, ab rege *Atzcapuzalcano* precibus contendebant, vt magnum aliquod & illuſtris ſignificationis nomen imponeret puero, ſimulque ab tributo liberos ſeſe atque immunes aliquando pronunciaret: nec vana fuere vota precantium.

Nam rex nepoti ſuo nomen impoſuit, vti *Chimalpopoca*, id eſt, *fumans Clypeus* diceretur: de tributo nec omnino aſſenſum, nec plane negatum. Conſultus Senatus populusque conſenſerunt, vti demtis grauioribus tributis impoſterum quotannis Mexica-

nus

nus populus Tepanecenſibus & Atzcapuzalcanis præter duos anſeres paucosque piſces nihil penderet: & hoc tantillum quidem tributum conferrent in ſignum ſubiectionis priſtinæ.

Acceptatum hoc ab Mexicanis, gratiæque actæ: ita vterque populus pace gauiſus eſt atque quiete. Cœterum, vt nulla repentina felicitas diuturna eſt, ita ne Mexicanis quidem diutius hac pace frui conceſſum, mortua poſt paucos annos regina, (cuius fauore & apud patrem gratia ſuperiora beneficia impetrauerant) ipſoque non multo poſt rege è viuis ſublato, poſtquam vixiſſet annis paucis ſupra triginta, & annis tredecim imperio non ſine ſumma laude præfuiſſet.

Igitur multitudo omnis Mexicanorum deſtituta rege confluxit ad comitia. Prima deliberatio non tam fuit de eligendo Rege, quam conſeruanda amicitia & concordia cum rege *Atzcapuzalcano.* quem vt vlterius demererentur concordib. ſuffragiis Regem dixere *Chimalpopocam* nepotem illius regis ex filia, quamquam decimum annum nondum compleuiſſet. Huic puero in ſolio collocato omnia contulere ſigna regia, arcum, ſagittas, gladiumque quibus ei manus oppleuere, more gentili. Laborantibus autem Mexicanis ciuibus aquæ potabilis inopia, cum lacus paluſtris vnda potui non eſſet, miſere ad Regem *Atzcapuzalcanum*, auum maternum regis ſui *Chimalpopocæ*, petitũ aquam. qui rem tantillam conſanguineo & nepoti negandam non ratus, permiſit, vt aquam in loco *Chapultepec* ſalientem, intra vrbem ſuam, quæ non niſi milliari vno à fonte tam vbere diſtabat, deducerent. quo facto, magno beneficio ſe affectos arbitrati Mexicani, ad aquam deducendam omni ſtudio accingebantur. *Tertius rex Mexicanorũ.*

Sed dum nulli parcunt labori, etſi res eſſet operoſiſſima, fruſtraneum animaduerterunt ſtudium ſuum, ruptis canalibus ligneis nec continentibus aquam, vt deiecti ſpe deducendæ aquæ animum ſimul deſponderent. Vnde neſcio quo pacto, animone gerendi belli cum *Tepanecis*, an alio propoſito ab eodem rege, materno auo regis ſui petiere, (ſed non ſubmiſſis precibus, vt ſuperiora omnia, verum procaciter & imperioſe) vti nihil efficientibus molibus ligneis quas ſtruxerant cementa, lapides lignaque ſibi ſuppeditaret, adiunctis etiam fabris ac opificibus ſuis, quorum opera firmum aliquem aquæductum ſtruerent, quo aqua in vrbem ſuam rite deducta, dono ſuo perfrui poſſent. Diſplicuit vehementer hæc petitio cum regi tum populo Tepanecenſium, interpretatique meram proteruiam, ac mali exempli rem, ſi inferioribus ac tributariis populis liceret ſuperioribus illudere: rem ad conſiliũ publicũ reiecere. Ibi variantibus ſententiis, vicit ea pars quæ durius cõſuluerat, quę & ipſum regẽ in ſuã ſententiã pertraxit, à quib. ipſe magis magisq; exacerbatus, iam nihil amici aut moderati cogitabat. Vocati igitur Mexicanorum oratores inter cætera ludibria hoc reſponſum retulerunt: Quidnam igitur de ſe ſentirent iuncei iſti homines? aut vnde tollerent ſpiritus? Placere Tepanecenſibus, illis non verbis, ſed reapſe breui oſtendere, quid de poſtulatis eorum ſentirent ipſi. nec enim ſibi deeſſe facultates ac vires ſuperbas eorum ſpes retundendi. irent igitur ſuisque hæc nunciarent quam ocyſſime. *Occaſio belli inter Mexicanos & Tepanecas.*

Edicto publico inde conſtitutum, vt capitale eſſet, ſi quis ciuis Tepanecenſis hominem Mexicanum hoſpitio excepiſſet, aut ſi commercia inter ſe exercuiſſent, aut ſi deniq; Mexicanus in Tepanecenſium vrbem admiſſus, aut Tepanecenſis vrbem Mexicon ingredi auſus fuiſſet.

Delato hoc Senatusconſulto *Atzcapuzalcum* Rex facile animaduertit atrocitatem conſilii, quod proceres regni ſui ceperant, neque conquieturos, niſi omne nomen Mexicanum ab ſtirpe deleuiſſent: conuocatos eos poſtquam à conſilio dimouere authoritate ſua non potuit, rem vnam orauit, vti ſibi nepotem, regem Mexicanorum adoleſcentem etiamnum primo ſiſterent: quo impetrato non obſtiturum ſe, quin in cæteros pro arbitratu ſæuirent. Nec deerant, qui regis poſtulatum calculo ſuo comprobarent, quosque commiſeratio perituri pueri ad clementiorem flectebat ſententiam. Duumviris autem, qui in omni populo authoritate erant facile principes, longe erat alia mens, aperte pronunciantibus, reuera noxium eſſe ſuperius iſtud conſilium de rege ſeruando. Etſi enim materno genere ipſos Tepanecas contingeret, multo tamen veriſimilius eſſe, illum paternæ nationis, in qua iam regnum adeptus fuerat, ſequuturum. qui cum non abſurda dicere viderentur, cæterorum ferme aſſenſum obtinuere. Concluſum igitur denique eſt, vt *Chimalpopocà* quam primum è medio tolleretur. Decreta nepotis nece, Rex Atzcapuzalcanus, cum obſiſtere decreto publico non poſſet, animi dolore nimio in ægritudinem lapſus, recuperare vires non potuit, ſed ſuccumbens mærori, paulo poſt oppetiit.

Rex Mexicanorum per inſidias trucidatus.

Sublato ad hunc modum eo, qui hactenus Mexicanorum partes fouerat, Tepanecenſes haud diu morati conſtituerunt Mexicanum regem, quando aperta vi non poſſent, proditione vita ſpoliare. familiaritate igitur contracta cum cuſtodibus corporis regii, corruptisque non nullis, ſub noctem ſilentem ingreſſi clanculum cubiculum regium, dicto citius iugulauerunt principem, celeriterque recedentes ad ſua illæſi peruenere, nec deprehenſi à quoquam, neque animaduerſi. Mane facto, cum nobilitas Mexicanorum ad conclaue regium adeſſet, ſalutaturi de more principem, & imperata facturi, cadauer adoleſcentis exanime inueniunt multis vulneribus ſaucium. Atrocitate ſpectaculi attoniti, cum præ iracundia parum rationis eſſent compotes, ad arma cum eiulatu prouolauere, vlturi ſcilicet mortem regis. quos ita proruentes cæco impetu & ſine ordine nihil quam vindictam crepantes, vir quidam equeſtris ordinis, maturi conſilii ſemper habitus, in perniciem ruere videns, auſus eſt ab impetu reuocare, verbisque ac conſiliis ſalubribus ad ſanitatem mentis adducere: Quo ruitis, inquiens, Viri Mexicani? aut quo vos perditum itis? conſiſtite quæſo aliquantiſper, non ignari, quicquid ſine conſilio aut deliberatione, per cæcum furorem agitur, aut non poſſe conſiſtere, vel infelicem ſortiri exitum. Componite pectora veſtra ad quietem, neque putate, vnius adoleſcentis per ſcelus ac fraudem interemti ruina omne nomen Mexicanum interiiſſe. Non eſt ita, viri contribiles, viuit valetque nobilis Mexicanorum ſanguis, nec vno ictu eſt exhauſtus omnium generoſorum cruor. Et ſi nulli alii, certe ſuperiorum regum filii nobis adhuc ſuperſunt, quibus ſuperſtitibus, quid eſt cur vnius morte abiiciamus animum? quidquid ille, ſi fraude vicinorum ac propinquorum viuere potuiſſet, facturus fuerat, idem & hi nobis efficere poterunt. Factum eſt initium libertatis noſtræ, quis de ſalutari fine diſputare aut ambigere volet? Me igitur audite, Viri Mexicani, abiicite hanc veſaniam ac cæcam vlciſcendi libidinem, recipite animum, & electioni noui regis omnium primum conſilia veſtra conferte, quo facto, habebitis qui vos in perfidos iſtos hoſtes ducat, qui vobis conſultoribus & commilitonibus vſus, ſuam vobis cum victoria parta communem habebit gloriam.

Intempeſtiua ferocia verbis reuocata.

Non eſt viſus inepte loqui nobilis ille: igitur qui arreptis armis præter cædem ac vindictam nihil ſpirauerant, mitiores facti, poſitis gladiis ad exequias

miſero regi faciendas,& iuſta perſoluenda ſe accinxerunt. quibus, vt ſplendidiores eſſent, inuitatos adhibuere proceres *Tezcucanos* & *Culhuacanos*, his & recitauerunt indignitatem & atrocitatem facti, vtque illos in *Tepanecas* concitarent, nihil omiſerunt quod ad inuidiam cædi faciendam pertinere videbatur. Vnde & ipſi hoſpites Tezcucani & Culhua cani miſericordia erga trucidatum adoleſcentem moti, diſplicere ſibi vehementer facinus pronunciauere. Facto hoc initio Mexicanorum Optimi, non diſſimulauerunt, eſſe ſibi in animo, tantum flagitium non lacrymis aut eiulatibus muliebribus, verum armis & forti dextera vindicare: Orare ſe igitur illos, vt amicos & vicinos, ne Tepanecenſibus hominibus iniuſtis opem auxiliumue in iſto bello ferre, ſed potius ſpectatores virtutis vtriuſque populi agere vellent: quod ſi ab iis obtineant, nihil ſe vltra deſiderare aut petere.

Tezcucani & Culhuacani, audito hoc Mexicanorum propoſito, non improbauerunt, quin potius commerciorum & mutui ius illis obtulerunt, nec ſe prohibituros, quin ab vrbibus ſuis res neceſſarias coëmerent, ſuasque viciſſim merces tam aqua quam terra diſtraherent. Cum autem Comitiorum dies inſtarent, quibus nouum regem eligi mos erat, Mexicani Tezcucanos & Culhuacanos, qui defuncti regis corpori inferias cum aliis dederant, magnis precibus exorauere, ne diſcederent propere, ſed aliquam moram necterent, adeoque ipſi noui regis electioni intereſſe vellent, quod hi non negauere.

Indicto igitur Conuentu, ad conſtitutum diem adfuere frequentes totius regni proceres, vti de more nouo regi creando ſuffragia mitterent. quod antequam fieret, Vir ætate grauis, fandique peritus eos in hunc modum affatus dicitur. Lumine oculorum deſtituti mihi videmini, Viri Mexicani, non mentium. Quamuis enim amiſeritis eum qui inſtar luminis vobis præiuit, quo duce & auſpice vſi eſtis, Cor ipſum tamen animusque vobis non eſt ſublatus, cum aliæ ſint faces ac luminaria quibus defectum abunde ſupplere poſſitis. Nam circumſpicite mecum ò ciues, atque hanc coronam generoſorum virorum intuemini: Spondeo vobis pro amiſſo rege non vnum, non duos ſed multos habituros, quos recte ei ſufficere poſſitis. Quid? annon ſuperſunt nobis tot præſtantes virtute & nobilitate viri, fortiſſimi regis *Acamapixtli* filii, quos hic præſentes adſtare videtis. Nec eſt quod vereamini, ne minus in his præſidii aut patrocinii inueniatis, viris ætatis & conſilii maturitate firmiſſimis, quam lugetis in nepote illius regis, adoleſcente amiſſum. Nec erit difficilis electio, quam periculoſam paucitas eminentium facit; è pluribus quibus eadem generis nobilitas, virtus par, idem in patriam ſtudium, facile eligetis vnum. Agite ergo, Viri Mexicanorum primi, mittite calculos, create vobis regem ex eius ſanguine, qui primus veſtrum Imperium fundauit, erexit, ſtabiliuit. Interea luctum ponite, qui quo eſt immoderatior, eo minus conuenit viris fortibus. Cogitate mecum Solem interuentu nubeculæ nobis ad tempus ereptum, ſed propediem, modo viri ſitis, nobis clariſſimis radiis ſtricturisque aureis micaturum Mexicanum regnum interitu regis ſui Eclipſin paſſum eſt. Reuocate ergo Solem veſtrum, lumen veſtrum, eligite alium regem in demortui locum, & quidem ex his quos non ego, ſed ſanguis, virtus, ſpes commendat. in eum toti reſpicite, hunc oculis ac mentibus veſtris proponite, nihil ambigentes, quin is ipſe ſit, quem Deus veſter Vitzlipuzlius vobis regem dedit atque principem.

Facto fine orationis non conquieuit hic rhetor, donec vocatis in ſuffragia tribubus concordibus votis Rex Mexicanorum pronunciatus eſt ISCOALTES, Acamapixtli primi regis filius.

Genus

Iſcoaltes quartus rex Mexicanorum.

Genus huic maternum paterno multo obſcurius, nec conferendum. Ex ancilla captiui generis procreatus eſt, matre in concubinatum regis aſſumta, non matrimonium. Tanta tamen fuit viri virtus, tanta morum probitas, prudentia, & in prælijs comprobata fortitudo, vt illam maculam non ſolum facile elueret, ſed & fratres ſuos longo poſt ſe relinqueret interuallo. Protractus igitur *Iſcoaltes*, inque Solio regio collocatus, adhibitis more patrio ceremoniis, ſine mora diademate inſignitus eſt. Prodiit tum denuo ſenex ille Orator, nouumque principem ad virtutem cohortatus, officii ſui paucis verbis commonefecit. multum enim fidebat ingenio viri, quem ſuapte ſponte regno digniſſimum, nec operoſis verbis excitandum nouerat.

Dum hæc aguntur in Mexicano populo, Tepanecenſes iactis belli fundamentis perniciosa conſilia ſuperſtruebant, omne nomen Mexicanum vi atque armis ab ſtirpe ſuccidendum perdendumque: quem in finem ad bellum totis viribus ſe accingebant, facta præparatione, comportatis armis atque commeatu. Non latuit hæc machinatio nouum regem Mexici: ſatius exiſtimauit, initio belli ab ſe facto, hoſtes adoriri, neque expectare, donec ab iis in ſuo regno inuaderetur, totoque animo bellum agitabat. Non placuit forte conſilium timidæ multitudini, vtique cum animaduerterent hoſtium copias, viresque, qui & genere armorum & bellandi peritia longe eſſent ſuperiores. Supplices igitur facti nouo regi precabantur, vt abiecta Martis cogitatione, nollet adire tantum periculum, cuius finis ſine dubio futurus eſſet cum vrbis ruina totiusque populi interitu coniunctus. Rogati igitur ſententiam, proponebant in medium: Scire ſe certis experimentis, nouum Regem Atzcapuzalcanum eſſe ingenio miti, qui facile ad pacem flecti poſſet; ad hunc igitur quam primum mittendos oratores, qui pacem peterent, ſuaque obſequia regi deferrent, orarentque, vti bona cum ipſius gratia è ſterilibus illis arundinetis ſibi prodire, inque regno eius conſidere liceret, cum ſatis ſpacii eſſet & agrorum vtrique populo, qui demum ſub vnius eiuſdemq; regis imperio in vnam gentem eſſet coaliturus, cum vtriusque emolumento. vt autem omnia ſuccederent expeditius, viſum eſt publice, Idolum dei ſui lecticæ impoſitum vna ferre, cuius interceſſione ac conſiliis Legatio hæc ad optatum deduceretur finem. Viſi ſunt non male conſulere, etſi timide: vt & multi ex nobilitate pedibus in hanc ſententiam irent: Concluſumque vt quam primum mitteretur in effectum. Lectica igitur propere parata, expectabatur profectionis ſignum. Ibi iuuenis illuſtri loco natus, forma egregia, animo magno, regisque conſanguineus, cui nomen *Tlacaellel*, ægro animo ferens nouum populi ſui ſeruitium, in medium prorumpens: Quid eſt, inquit, viri Mexicani? aut

Tlacaellel inſtaurator libertatis Mexicanæ.

Quo vobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementi ſeſe flexere ruina?

Itane ſtat ſententia, per vecordiam & ignauiam ſummam ſeruili iugo colla de nouo ſubmittere? placetne gratiam ſuperbi & inimici populi experiri precibus? Inde ad regem conuerſus, aliud conſilium exquirebat, nihil enim fædius turpiusque excogitari poſſe quam deditionem tam præproperam. Inde ad preces verſus atque obteſtationes, conſulerent honori ſuo, famæ nominis, incolumitati poſteritatis orabat. Iſcoaltes rex, auditis hiſce Conſanguinei ſui verbis, comprobauit ſententiam iuuenis, laudauit affectum: neue præcipiti feſtinatione oratores mitterentur, diſtinuit aliquandiu concionem populi, vocatisque in ſuffragia tribubus, rogauit, vtrum abiecto ſuperiore conſilio, honeſtius aliquod expedirent.

Viſum eſt vniuerſis, dilata ad alium diem deditione, hoſtium animos Legatione tentare, quo facto deinceps conſilium capiendum foret.

Nemine

Nemine autem hanc eundi prouinciam ob euidens periculum in ſe ſuſcipiente, prodiit in medium nobiliſſimus adoleſcens Tlacaellel, ſeque paratum oſtendit, obire hanc legationem, ſi vel cum præſentiſſimo vitæ periculo obeunda foret. Nemo fuit in omni Mexicanorum multitudine, quin damnato iuuenis propoſito, audaciam & temeritatem interpretaretur hominis promtitudinem. Solus rex boni publici ſtudioſior ita cenſebat faciendum, vt conſanguinei ſui potius periclitaretur vita, quam gloria & libertas populi Mexicani detrimentum caperet. Concluſit igitur, eundum Tlacaelleli, qui ſe protinus, nihil tergiuerſans, in viam dedit. Cum autem ad primam excubitorum ſtationem perueniſſet, quibus mandatum erat, vt omnes indifferenter Mexicanos; quotquot nacti eſſent trucidarent, ſine dubio iugulatus & ipſe dediſſet pœnas, niſi blandi loquio perſuaſiſſet præfecto vigilum, vti ſeſe ad regem deduceret. Comparente igitur adoleſcente, magnopere miratus rex, audiendum tamen cenſuit legatum, cumque intelligeret, Mexicanos honeſtis conditionibus pacem expetere, non omnino renuit, cauſſatus ſolum, de ea re ſe cum proceribus deliberaturum, ferret interim patienter hanc moram, inque diem craſtinum reuerteretur, quo liberaliter rex eſſet reſponſurus. Intellecto autem periculo caueri ſibi petiit adoleſcens, ne ab aliquo læſus contra ius gentium legatus foret. Sed non impetrauit, iuſſus ſua prudentia & induſtria vti quam poſſet optime. Hoc reſponſo dimiſſus Tlacaellel ad ſuos ſe contulit, perſuaſis cuſtodibus viarum, idcirco ſe à rege dimiſſum, vt rediret die craſtino. Redeuntem nepotem ac conſanguineum ſuum exoſculatus Rex Mexici, magnopere collaudatum altero die denuo ablegauit, vti reſponſum ab Atzcapuzalcanis referret. Interea temporis Rex Tepanecenſium, à ſuis perſuaſus alieniori ab Mexicanis factus erat animo: qui, etſi non abhorrebat à pace, victus tamen importunitate, optimatium, coactus eſt illis bellum indicere, profligata omni ſpe pacis ſanciendæ. Magnum hic legato propoſitum erat periculum, ne à cuſtodibus deprehenſus in fruſta diſſecaretur. Sed ſeruauit eum regis clementia, qui non indelectatus hominis dexteritate, per poſticam aulę partem, humili oſtiolo nec omnibus noto dimiſit adoleſcentem.

Hunc ſecuti feciales Tepanecenſium, bellum gentis ſuæ nomine denunciauerunt: quo intellecto multitudo Mexicanorum conſternata triſti nuncio ad regem confluxit, plenaque deſperationis ſignificauit, populariter vrbe deſerta migraturam, inque locum aliquem tutum ſeceſſuram. Solatus populum tumultuantem rex cum parum proficeret, ad deuotiones deſcendit, ſeque omnibus diris adſtrinxit, niſi ipſis victoriam pararet, modo ſe ſequerentur in expeditionem præſenti animo. Niſi, inquit, vicero, agite ciues, vindictam acerrimam de me ipſo ſumite, contrucidatum in fruſtra ſecate, meumque corpus lebetibus & verubus coctum abſumite. Hanc mihi ipſi pœnam ſciens volensq; conſtituo. Erectus aliquomodo populus contraſtipulabatur, ſi illum victoria potiri contingeret, ſeſe cum omni poſteritate daturos regibus tributa annua, extructuros domus regias culturos patrimonium principis, arma, ſarcinas, commeatum in expeditionem eunti baiulaturos, & vt verbo dicam, nihil recuſaturos eorum, quæ iuſſi eſſent facere. Et hanc ſibi legem viciſſim dicebat populus. Acceptæ ſunt vltro citroque conditiones, inque verba iuratum vtrinque ſolennibus adhibitis ceremoniis. His factis Rex Tlacaelleli ſummum imperium belli detulit, diſtributis inter fortiſſimos ex nobilitate cæteris præfecturis caſtrenſibus. Inde vniuerſum exercitum bifariam diuiſum in duo velut cornua partitus eſt. Priori, cui *Tlacaellel* præerat, vti hoſtem quanto poſſent impetu adorirentur, imperatum: alteri, quod rex ipſe ductabat, vti poſt principia conſiſtentes,

Iura regis Mexicani in populum.

ſtentes,

ſtentes,quieſcerent, donec viderent miſceri iam prælio priorem aciem cum hoſtibus, tum ſe facturum quod opus eſſet.

His ita ſeruatis ordinibus prodeuntibus Rex *Atzcapuzalcanus* hoſtes adeſſe monitus, magno cum impetu,inſanienti ſimilis, portis oppidi ſui effuſus manus conſeruit. fulgebant milites eius armis precioſis,auro,argento pictisque pennis exornatis, credebantque ob id ſe victoriam in manibus habere. Inflauit *Tlacaellel* acutiſſimam fiſtulam, quod conſerendi prelii ſignum erat,ſtatimque ſublato clamore *Mexico Mexico*, concurrerunt acerrime. Tepanecenſium copiæ multo erant maiores Mexicanis: quo non obſtante,virtute ſuperiores facti Mexicani,hoſtes in fugam actos aduſque ciuitatis mœnia propulere. Reſtitum ibi denuo aliquantiſper ab Tepanecenſibus, verum alterum Mexicanorum agmen,quod cum rege ſuo hactenus ſteterat, peropportune ex inſidiis prodiens geminato terrore hoſtes adeo perculit, vt deſperabundi per portas in vrbem fugerent,irruentibus ſimul Mexicanis, qui vt erat ab rege eorum imperatum, omnes puberes interfecerunt,quotquot eorum manibus offerebantur. Crudeliter vſi hac victoria *Iſcoaltæ* milites,etiam eos,qui fuga elapſi in ſiluas ac montes ſe abdiderant, perſecuti,quotquot aſſequebantur trucidauerunt.

Tepanecenſes à Mexicanis deuicti.

Pauci Tepanecenſium editum quendam montem occupauerant. Hi,vt vitam ſeruarent, proiectis armis deditionem fecerunt,incolumitatem pacti. Offerebant ſe inſuper in ſeruitutem victoribus, quorum terras agroſque colere, cæmenta, ligna, lapides, quicquid denique peteretur præbere ſe paratos eſſe dicebant. quin & Mexicani populi dominio in omne tempus poſterum ſe ſubiectos fore. Hæc profeſſos Rex Iſcoaltes in gratiam recipi iuſſit, vitaque frui,ita tamen,vt quæ polliciti pactique fuerant, iuramento confirmarent. Sic victi,dictis à victore legibus, ſuſceptoque ſeruitutis iugo Atzcapuzalcon triſtes amiſſa libertate & imperio rediere: Mexicani è ſeruis facti domini victoria parta domum reuerſi ſunt, magnam prædam ab hoſtibus acquiſitam ſecum ferentes. Altero poſt reditum à prælio die conditiones, quas ſibi Mexicani voluntarie dixerant,rege in expeditionem proficiſcente,nouo iuramento adactis popularibus confirmatæ fuere. Inde ad diuidendam vrbem agrumque ab hoſtibus captum conuerſi victores Mexicani ita regnum Tepanecenſium partiti ſunt,vt prima pars cederet Iſcoaltæ regi: ſecunda Tlacaelleli ſummo legionum ductori: tertia nobilitati, præfectis,centurionibusque,vt cuiusque meruerat virtus: quarta pars addicebatur cultui, vt ex agrorum eorum prouentibus ſacrificia Diis offerrentur. Quod reliquum erat certis legibus populo diuiſum. eſtque hic modus diuidendi agri ab hoſtibus capti deinde ſemper ſeruatus,quoties Mexicani ſuperiores facti bello terra & libertate multarent deuictos populos.

Belli occaſio inter Cuioacanos & Mexicanos.

Pepererunt ſibi libertatem regnumque hoſtium vno prælio, Mexicani, non tamen vno prælio omnibus belli laboribus defuncti ſunt. Vicini enim populi *Tacubenſes* & *Cuioacani*, victoriam hanc in inuidiam verterunt: qui nec intermittebant, reliquias Tepanecenſium inſtigare,vti ab victoribus Mexicanis deficerent,collectisque viribus illatum ab iſtis damnum vlciſcerentur. Cum autem vires Atzcapuzalcanorum adeo eſſent attritæ,vt mouere nihil in victores poſſent,prudenti conſilio à rebellione abſtinuerunt. *Cuioacani* vero,cum eſſet apud ipſos illuſtre forum rerum venalium, captis Mexicanorum mulieribus multoties illudebant,nec à viris temperabant, qui ad forum promercandi gratia veniebant,omni genere petulantiæ & ludibrii in illos debacchantes. Quam ob cauſam Iſcoaltes rex ſuis interdixit, vt ab omni cum *Cuioacanis* abſtinerent ſocietate &

commer-

commercio, neue quis ad eorum vrbem accederet; neu *Cuioacanos* in ſuam admitterent, propoſitis pœnis grauiſſimis. Hoc edictum Cuioacani interpretabantur iniuriam, vtque bello initium facerent, quod dudum ſpirabant, conſtituerunt, inſigni ignominia Mexicanos, nec vllo pacto ferenda afficere, quæ talis fuit. Agitantes ſolenne feſtum Cuioacani, Mexicanos ad epulum vocatos menſis adhibuere, quibus prandentibus, lætitia perſtrepentibus omnibus, loco bellariorum diſcos veſtibus muliebribus plenos menſis ſecundis intulere. quod dum mirantur Mexicani, coacti ſunt iſtas veſtes ipſi induere, non ſine cachinno & ludibrio ingenti Cuioacanorum, tali igitur ſchemate comti Mexicani domum deducti ſunt, exprobrantibus ſubinde Cuioacanis mollitiem & animum muliebrem Mexicanis, qui auſi non fuiſſent tot inſignes iniurias, quibus vltro affecti eſſent, bello vindicare, quod homines virili animo præditi haudquaquam facturi fuiſſent. Muliebriter igitur affectis, muliebrem conuenire, non virilem habitum. *Mexicani ludibrio habiti.*



Tot modis derídiculo habiti Mexicani, vicerunt patientiam ſuam, neue fruſtra deluſi eſſent, crudele vindictæ genus nec pro gentis gloria arripuerunt: fumo venenato intra portas eorum à quibus ignominioſe tractati fuerant, excitato, qui tantæ fuit peſtilentiæ, vt multæ mulieres abortirent, multi quoq; viri veneni potentia tacti expirarent.

Præbuit hæc res anſam publico iuſtoque bello. Progreſſi vtrique populi in campos ſtruxere aciem, funeſtisque cædibus ſæuientes, cum diu fortuna belli inter vtrosque dubia ſtaret, Tlacaellelis virtute & ſtratagemate in Mexicanorum partes pertracta eſt. Iſcoalte enim rege cum Cuioacanis pugnante, Tlacaellel aſſumta delecta bellatorum manu, quorum nouerat virtutem, per ambages facto celeriter itinere hoſtem à tergo adortus, grauiter afflixit, quem multis vulneribus affectum in fugam compulit. quo portas oppidi ſui effuſa fuga petēte Mexicani ſimul irrupere. Animaduertit aūt Tlacaellel illos tēplum petituros, quod pro arce aut propugnaculo aduerſus hoſtes haberent. id ne fieret audax facinus aggreſſus eſt. adſcitis tribus, non amplius, militibus, perrumpens denſos fugientium cuneos, ante illos fanum introiuit, occupatumque igne ſuccendit, quo conflagrante Cuioacani omni ſpe deiecti, cum in oppido nihil præſidii eſſet, fuga per aduerſam portam in campos euaſere, vbi palantes à Mexicanis ſeruato ordine pugnantibus magna ſtrage conciſi ſunt. Timor tamen alas addere ſolitus fugientibus, hos quoque celeres fecit, ad decimum igitur milliare fugiendo prouecti, incolumes eſſe non potuerunt, nam & ibi eos Mexicani aſſecuti ſunt. quos conſpicati fugitiui, timore pauidi, arma abiecere, miſericordiam victoris populi implorantes, cum lacrymis & ſuſpiriis vitam ſibi donari precantes, valde ſe pœnitere, quod ſtulta perſuaſione propriæ virtutis faſcinati, Mexicanos pro mulieribus habuiſſent, quos tam fortes bello viros experirentur. his dictis ſe in perpetuum ſeruitium obligabant, nihil præter vitam ac ſalutem pacti, inque gratiam à Victore rege recepti ſunt. Hac quoque tam illuſtri victoria parta Mexicani cum triumpho domum reuerſi, magnam vim precioſæ veſtis, armorum, auri, argenti, vaſorum optimorum, pennarum pictarum, gemmarumque vrbi ſuæ intulere. Ingens quoque fuit captiuorum multitudo, qui partim ſeruituti, partim ſacrificiis deſtinati ſunt.

Cuioacani à Mexicanis deuicti.

In hoc prælio cumprimis emicuit virtus *Culhuacanorum*, qui Mexicanis auxiliaturi venerant contra Cuioacanos, penes illos enim magnum ad victoriam momentum ſtetit. ob eam rem virtutis ergo collaudati donatique publice, iuſſi ſunt inpoſterum Mexicanorum ſignis militaribus vti, cumque in partem prædæ veniſſent, eos Mexicanorum proceres ad fidem & fortitudinem cohortati dimiſerunt.

Suchimilci aliique populi ab Mexicanis perdomiti.

Pari virtute & felicitate iidem illi Mexicani *Suchimilcos* bello vicere, qui primi fuerant inter ſex illos populos, qui ab Aquilonaribus Occidentalis Indiæ partibus egreſſi, terram hanc ante Mexicanos occupauerant. igitur hos *Suchimilcos* ita perdomuere, vt viam quæ ab vrbe ſua ad vſque ciuitatem Mexicum ducit, porrectam in longitudinem quatuor milliarium, lapide ſternerent.

Cumque *Cuytlauacarum* & *Tezcucorum* gentes Mexicanos Marte laceſſere auſi fuiſſent, ita ab his excepti ſunt, vt apertis præliis victi, armis caſtrisque exuti diſcerent obedientiam, quam poſtmodum bona fide victoribus præſtiterunt.

Tezcucani tamen clementius habiti. qui quod voluntaria deditione victores deliniuiſſent, ſocii potius facti quam ſerui Mexicanorum, habendi regis ius obtinuerunt, quem & Iſcoaltes regnare inter ſuos iuſſum, ſummo ac ſanctiori ſuo conſilio præfecit, vtque in eligendo rege Mexicano primi ſuffragii ius haberet ordinauit: quæ conſtitutio poſtmodum in omne æuum ita obſeruata, ad vſque interitum regni Mexicani durauit.

Ipſe Iſcoaltes, poſtquam duodecim annis magna proſperitate vſus imperauiſſet, morbo abſumtus fatis conceſſit.

Cuius

Cuius ſententia ſi obtinuiſſet, Tlacaellel haud dubie futurus erat rex, qui tamen glorioſius & maius quid exiſtimauit, reges conſtituere, quam regnare, velut ex iis quæ iam dicemus planum futurum eſt. *Iſcoaltes rex moritur.*

Ius eligendi noui regis, velut & ſuperius à nobis commemoratum eſt, penes quatuor principes Electores erat, quibus coniuncti duo reges, *Texcucanus* & *Tacubanus* ſex conſtituunt.

Hos conuocatos Tlacaellel, cuius iam erat ampliſſima dignitas & autoritas, in conſilium adhibuit, diſcuſſisque ſententiis & collectis ſuffragiis regem pronunciauere *Motecumam* primum huius nominis, Tlacaelleli proximo gradu ſanguinis iunctum. Recte iudicaſſe viſi ſunt Electores, lecto viro tantæ virtutis, qui & eo nomine omnibus probabatur. Confeſtim igitur indicto feſto ſolenni inaugurationi regum, deductus nouus Princeps, inter fauſtas populi acclamationes in templum, ad focum perennis flammæ, impoſitus eſt ſolio regali. Vbi oblatis multis ſacrificiis, quæ potiſſimum Tygrium aut ferarum aliarum carne conſtabant elicuit ſibi rex ipſe ſanguinem è genis faciei ſuæ, ex auriculis cruribusque. Adfuere etiam primi ſacerdotum, nobiles & præfecti prouinciarum, qui habitis orationibus Panegyricis, quarum eos perſtudioſos fuiſſe, ſupra oſtendimus, congratulationibusque variis regi feliciter precati, bene ominabantur. *Motecuma, quintus rex Mexicanus.*

Agitata etiam in multam noctem conuiuia, Choreæ, ludicra, ignes artificioſi (nam & horum aliquam rationem tenuere) nullumque publicæ lætitiæ ſignum intermiſſum. Finita electionis feſtiuitate, in medium eſt à nonnullis allatum, debere regem aliquam ex vicinis nationibus bello aggredi, ſi non alio certe hoc fine, vt parta victoria captiuorum multitudinem in triumpho duceret, è quibus ſolennes victimæ Vitzlipuzlio offerri poſſent.

Audito hoc Motecuma nouus rex nihil cunctatus, expeditionem in *Chalcos*, male ſemper erga rem Mexicanam affectos ſuſcepit, quibus cum nihil ſuſpicantibus repente ingruiſſet, occiſis multis, plures tamen captiuos retulit. Sed non potuit illos penitus deuincere, ſuoque imperio ſubiicere: vnde ſecuta eſt ex more & lege patria Coronatio. Ipſe Rex ſuſcepto diademate conſilium agitabat, quamnam ex vicinis gentibus primam inuaderet armis, nec tamen quicquam moliebatur, quod non Tlacaellel patruus eius, quem iure merito maximi faciebat, probaret. Variantibus ſententiis tandem in *Chalcos* mouendum eſſe ſtatuerunt, ſed hæc res periculoſa, plena erat aleæ, parumque ex ſententia Motecumæ, eos petere bello, qui fratrem eius habebant penes ſe captiuum, in quem poſſent atrocia ſtatuere, ſi ipſi atrocia paſſi fuiſſent. Chalcenſes huic captiuo fratri Motecumæ regnum offerebant, omnemque deuotionem & obſequium pollicebantur. Ille vero poſtquam aliquoties negaſſet, nec tamen illis perſuaderet, vti ſe omiſſo alium quærerent regem: tandem ne quid contra patriæ dignitatem aut gloriam generis ſui admittere cogeretur, hac fraude illos adortus eſt: quando, inquit conſtitutum vobis fixumque animo eſt alium quam me regem dicere neminem, agite, erigite in medio foro ciuitatis veſtræ malum tantæ altitudinis, quantæ fieri poteſt maximæ, in cuius apice conſtituite tribunal cum lorica vt adſcendens eo verba ad vos facere, vobisq; mentem meam aperire poſſim. *Motecumæ frater præcipitiũ regno apud hoſtes præfert.*

Nihil horum negatum eſt, Chalcenſibus omnia alacriter facientibus, expectantibusque quid dicturus eſſet frater Motecumæ. Ille conſcenſa malo, iuſſit vt concaptiui

 ſui

ſui Mexicani omnes in forum producerentur,& hic geſta mora, ſequente ingenti Chalcenſium multitudine. Ibi Regis Mexicani germanus conuerſo ad ciues ſuos ſermone: videtis,inquit,viri fortes,ac contribules optimi, quanto conatu populus Chalcenſium annitatur,vti me ſibi regem conſtituant. Sed hoc dii maiorum noſtrorum indigetes nunquam permiſerint,vt Motecumæ magni regis frater proditor patriæ ſuæ fuiſſe dicatur. Meo igitur exemplo ac glorioſo exitu vos docebo, multo optabilius ac pulcrius eſſe,oppetere mortem,quam ad hoſtes deficere. Hæc cum dixiſſet homo vitæ prodigus, gloriæ appetens,præcipitem ſe dedit de ſublimi,ex quo caſu ruptus ac membratim diſſolutus eſt. Quo facto Chalcenſes adeo exarſere iracundia, poſtquam ſe deluſos ſpretoſque ſenſere,vt in captiuos Mexicanos,qui ſpectaculo tam triſti triſtiores ipſi adſtabant,irruentes ad vnum omnes haſtis configerent: populum indomitum & exquiſitæ malitiæ aſſeuerantes,cuius corda à prauis dæmonibus occuparentur. Subſequente nocte auditus eſt feralis & tragicus clamor, quem duo bubones ſibi perpetim occinentes clare ciebant. Chalcenſes auguriorum non rudes,triſte omen interpretabantur, quod fatale infortunium & totius gentis interitum portenderet. nec ſane, cum ita præſagirent,mentiti ſunt,nec eos fefellit bubonum querimonia. Mexicanorum enim rex Motieuma,audito fratris exceſſu,plenus irarum,collectis totius regni viribus ingentem ex-



ercitum

ercitum in eos duxit ferro ac igne totam regionem vaſtauit, auſos ſe opponere, primo congreſſu obtriuit, totoque Chalcenſium regno in ſuam poteſtatem redacto vſque ad Mare aquilonare (*Mar del Nort*) pomæria imperii ſui porrexit, vt & ab altera parte occupatis niuoſis alpibus vſque ad Auſtralem Oceanum (*Mar del Zur*) limites protulit, rex omnium eorum qui ante & poſt eum imperitauerunt longe magnificentiſſimus potentiſſimusque, cuius fortitudo & felicitas Mexicanum nomen formidabile fecit apud omnes etiam remotiſſimos populos. Nec tamen tanta facinora patrauit ſine præſidio & auxilio Tlacaelleli, cuius inter alia hoc quoque commemoratur conſilium, non eſſe penitus perdendos Tlaſcalenſes, neque occupandam eorum regionem, vtcunq; male affecti eſſent in rem Mexicanam. habendos enim hoſtes in vicinia, qui eſſent velut cos fortitudinis ac materies, in qua iuuentus Mexicana ſe exerceret: altera cauſa erat, vt inde captiuos acquirerent, quos Vitzlipuzlio ſuo immolarent; nec enim alios ſacrificare licebat quam bello captos. Præter hæc author fuit Motecumæ regi, conſtituendi varias curias, variaque tribunalia, vbi pro diuerſitate Cauſarum ius diceretur petentibus: in his conſiſtoriis omnia recte atque ordine peragebantur, vnoquoque agente ſuas partes, ſiue is iudex, ſiue ſenator, ſiue denique aduocatus foret aut cauſſidicus: vt haud ſciam vtrum multum cedere debeant iudiciis & tribunalibus Europæ. Sub hoc rege Aulæ ſplendor multum auctus eſt: nam ampliores fecit habitationes, prolatis muris areæ, auxitque numerum miniſtrorum aulicorum, multoq; exquiſitius ac operoſius ſibi ſeruiri voluit, quam ſuperiores reges. Nec cultus Idolorum ſuis caruit incrementis duplicato prope myſtarum & ſacerdotum numero, auctisque ceremoniis ac ritibus quibus dæmonium ſuperbum coleretur, in cuius honorem, hoc Motecuma imperante, operoſum illud Vitzlipuzlii templum tanto labore extructum eſt. In huius fani dedicatione innumeras humanas hoſtias obtulit rex hic, trucidatis crudeliſſime captiuis, quos diuerſis præliis captos in hunc vſum aſſeruauerant. Tandem cum viginti octo annos imperii compleuiſſet mortuus eſt, vir nunquam dicendus ſuis ſine laude, qui aucto regno, parta gloria, inſtaurato cultu, conſtitutis iudiciis, excitatis ædificiis profectus è vita acerbum luctum ciuibus ſuis reliquit. Nullus enim eorum regum, qui eum ſecuti ſunt ad hanc ſummam gloriæ, diuitiarum, felicitatis, fortitudinis adſcendit.

Chalcenſes perdomiti.

Motecumæ potentia & regni amplitudo.

Tumulato corpore regio, iuſtisque rite perſolutis, conuenere de more principes Electores cum duobus regibus collegis electuri nouum regem. nec erat valde laborandum, cum Tlacaellel omnium votis & tacitis cogitationibus regno deſtinaretur, cui ſententiæ populi etiam Electores ſuffragati ſunt, vnanimi conſenſu Tlacaellelem regem ſalutantes. Sed ille propoſiti tenax pari conſtantia recuſabat, qua ei offerebatur principatus, allata cauſa, quod magis futurum eſſet ex vſu Reipublicæ, ſi collega, Legatus & director conſiliorum regis maneret, vt hactenus factitatum fuerat, quam ſi ipſe regnaret, vetabatque eos dubitare, quin eadem fide ac induſtria procuraturus eſſet commoda regni, ac ſi rex proclamatus & diademate vinctus fuiſſet. Quæ quidem res mihi ſummopere admiranda, omnique exemplo carere videtur: inueniri aliquem qui labores, curas, moleſtiasque regni in ſe ſuſcipiat, titulum, dignitatem ſupremam, potentiam, maieſtatemque recuſet.

Quod cum feciſſet Tlacaellel, impoſita Electoribus eſt neceſſitas, alium quærendi, quem Motecumæ ſufficerent: venerati igitur Tlacaellelem ob ingentia eius in omne nomen Mexicanū merita, primi ſuffragii ius ipſi vnanimes detulerunt: nec ille moratus, regem dixit *Ticociam* Motecumæ defuncti regis filium. Etſi autē hic admodū adoleſcens vix regno aptus videretur, meruit tamen Tlacaellelis virtus, vt recte iudicaſſe videretur,

Ticocia ſextus rex Mexici.

nec enim exiſtimandum eſſe, Tlacaellelem dicturum regem, quem non ſciret ex vſu regni fore.

Secuti ergo præſidem conſilii ſui Electores, & ipſi *Ticociam* in regem legitime elegerunt, quem & continuo in throno regali collocatum, conſuetisque ceremoniis inauguratum, regem pronunciauere: vtque decus illi conciliarent, perfoſſis terebello naribus eius Smaragdum inſeruerunt. Multum hic diſpar fuit fortitudine & felicitate patri cæteriſque regibus ſuperioribus. Cum enim populus quidam è ſubiectis ab eo defeciſſet, redacturus eos in ordinem nouellus rex bello aggreſſus eſt, vbi conſerto prælio infeliciter pugnauit, pluribus è ſuis amiſſis, quam ipſe ceperat ex hoſtibus. Reuerſus autem domum, diſſimulata clade qua eum hoſtes affecerant, non veritus eſt dicere, victorem ſe redire, iuſtumque numerum captiuorum ſecum ferre, quantus ſcilicet exigeretur ad victimas Vitzlipuzlio offerendas. Exceptus igitur à populo læto animo eſt, coronatusque more maiorum cum pompa & ceremoniis vſitatis. Sed Mexicanus populus, audita ſtrage quam acceperat, ſeque circum ſcriptum animaduertens, alieno ab eo fuit animo, vnde factum eſt, vt cum quarto regni anno vitam cum morte commutaſſet, hauſto veneno interemtus crederetur. Quod autem deerat huic infelici regi *Ticociæ*, à fratre eius *Axayaca*, qui in imperio ei ſucceſſit, largiter ſuppletum compenſatumque eſt.

Axayaca ſeptimus rex Mexicanus.

Hoc *Axayaca* à Mexicanis electo *Tlacaellel*, de cuius virtute ac meritis in gentem ſuam multa diximus, cui & ab vniuerſo populo is habitus fuerat honos, vt, proximus à rege, ferendæ Tiaræ regiæ ius ſolus vſurparet, cui & electores principes in ſuo collegio ſupremum gradum ac præſidis dignitatem vltro conceſſerant; is igitur Tlacaellel Mexicanorum optimus, ſenio admodum debilitatus erat, vt quoties in ſenatu ipſi comparendum eſſet, lectica eo deferretur.

Accedente autem inſuper morbo, qui ſenile corpus penitus affligebat, decumbentem inuiſit nouus rex, creatus quidem electorum ſuffragiis, nondum tamen cinctus diademate.

Hic viſo ſene ad mortem inclinante, vehementer plorare, lacrymari, affictare ſe, qui patrem, nutricium, totius regni columen eſſet amiſſurus. Tlacaellel contra ſolatus Principem ſalubribus monitis inſtruebat, eique liberos ſuos, inque primis natu maximum, cuius in aliquot belli expeditionibus fuerat ſpectata virtus fideſque, cum cura commendabat. nec hoc fruſtra factum. Vocatum enim filium è veſtigio, in facie decumbentis patris Supremum belli Ducem ſalutauit, indultis donatiſque ei inſignibus atque armis, quibus pater, donec ſummus militiæ præfectus erat, vſus fuerat. Quæ res moribundum ſenem tanta affecit lætitia, vt præ nimio gaudio mortuus dicatur, cum ad ſuperiorem gloriam, quam tota vita ſibi ſuiſque pepererat, hoc velut auctarium ſibi animam ex halanti acceſſiſſet, vt filium ſucceſſorem paternæ dignitatis videret. Et hunc quidem Tlacaellel vitæ finem inuenit.

Tlacaellelis, optimi viri inter Mexicanos mors.

Patria huic viro vrbs Mexicon, genus ab illuſtribus: ſolique debebatur huic ciuitatis inſtauratio, quæ ab humili origine ſemper intra tenuitatis Cancellos ſteterat, vſque ad hunc Tlacaellelem.

Is enim conſilio & virtute effecit ſua, vt ad ſupremum diuitiarum & potentiæ gradum aſcenderit, ipſumque regnum vna ad tantam amplitudinem deuenerit, vt cum maximis Imperiis orbi terrarum componi potuerit.

Non igitur abſque cauſa à Mexicanis fundator vrbis, pater gentis, velut alius quidam Cecrops aut Romulus habitus fuit, cum idem vel plus etiam ſuæ præſtiterit genti,

quam

quam illi ſuis ciuibus. Functus vita, vt diximus, maius deſideriũ ſui reliquit popularibus, quam vllus regum mortuorum: ideoque & maiore affectu à gentilib. humatus, pompa ſumtuque ſepulturæ regiam magnificentiam ſuperante: Et talis quidem fuit Tlacaellel.

Regem vrgebant leges Imperii, vt antequam diadema de more ſuſciperet, virtutis ſuæ bellicæ ſpecimen ederet, ductis in Triumpho captiuis hoſtibus. Nihil igitur humile ſapiens aut vulgare, expeditionem longinquam ſuſcepit in regionem *Tecoantepec* intactam bello ad eum diem, ducentisque milliaribus ab Vrbe Mexicana diſſitam. Commiſſum ibi eſt prælium atrox, & quale nulla priorum ſeculorum nouerat memoria. Intellecto enim Mexicanorum aduentu, non Tepoantepecenſes ſoli, ſed & omnis vicinia coiuerat, collatis auxiliis peregrino hoſti depellendis. Quorum multitudinem conſpicatus *Axayaca* rex, aſtum fortitudini coniungendum ratus hoc ſtratagemate vſus eſt. *Tepoantepec prouincia bello petita & peruaſtata.*

Aggreſſus omni vi hoſtilem aciem, cum aliquandiu valide pugnaſſet receptui cecinit. abdiderat autem in antro quodam depreſſisque vallibus magnum numerum fortiſſimorum militum, quos ramis arborum ſtramentisque contexerat. In has inſidias vt pelliceret hoſtem ſimulauit ſe hoſtilem impetum ferre non poſſe, igitur effuſe fugere cepit. Tepoantepecenſes victoriam in manibus habere rati vitulantes inſecuti, in locum inſidiarum pertracti ſunt: quibus vndique è latibulis proſilientibus, hoſtes in medio concluſi, cum in orbem pugnare cogerentur, magna ſtrage conciſi ſunt. Victores vrbem occupauere, quam vna cum fano ſpectandi operis incendio abſumſerunt. Inde irarum tenaces in vicinos conuerſi, qui Tepoantepecenſes auxiliaribus copiis iuuerant, cædibus & incendiis graſſati grauiter eos mulctauerunt. Inde ad famoſum portum Auſtralis Oceani *Guatulco* dictum profecti, hunc quoque in ſuam redegere poteſtatem: Partaq; vndique ingenti præda Mexicon reuerſi ſunt. Incredibile memoratu eſt, quanto gaudio, quantisque acclamationibus exceptus fuerit hic rex à ciuibus ſuis, erantque qui auerent hunc Principem intueri ſaltem, qui tam longinquas expeditiones tanta cum gloria confeciſſet: igitur ad eum viſendum etiam à remotis partibus homines confluebant. Impoſitum igitur eſt ei diadema magno cum conſenſu & applauſu Patrum ac plebis, innumeræque humanæ hoſtiæ oblatæ è captiuis, quos rex in illo prælio captos domum reduxerat ſacrificiisque mancipauerat.

Facto vincendi initio *Axayaca* rex non ceſſauit etiam alios populos aggredi, quos pari virtute & felicitate fudit, proſtrauit, debellauit, ſumma vbique fortunæ indulgentia vſus.

Quanquam videri poſſet, fortunæ nihil, ſibi virtutique ſuæ omnia debere. Strenui enim militis bonique imperatoris partes ſimul obibat, inter primos ordines manu pugnare, hoſtem intrepide ferire, exemplo ſuo cohortes animare, nihil ſibi ad ocium aut delicias præter communem legionariorum ſortem indulgere: eoque inuicti ducis nomen & immortalem gloriam ſibi comparare. *Axayacæ regis virtus in bellis.*

Sed parum exiſtimabat ad rem facere, ſi deuictis exteris gentibus, ſubiectisque liberis nationibus, eos qui ante id tempus Mexicano populo paruiſſent, ſed à fide defecerant, non ad obedientiam reduceret. Erant autem ii collectici a gens, qui excuſſo iugo Mexicanorum corpus quoddam ciuile inter ſe conſtituerant, extructo etiam oppido cui *Tlatelluto* nomen indiderant.

Hos igitur, vt ad officium reduceret *Axayaca*, conſilio prius quam armis rem ten-

Tlatellucani, quià Mexicanis fecerant bello petiti. tandam ratus, oratorem ad eos miſit, qui eos blandis verbis cohortaretur, redirent ad ſobrietatem, ſeruarent fidem populo Mexicano debitam, neue ſe ab iis ſeparatos vellent, quos ſanguinis & generis coniunctio ligaſſet. Elegantius multo facturos, ſi pactorum conuentorumque memores, eundem cum Mexicanis regem agnoſcerent, eiusque patrocinio fruerentur.

Hæc ita principi Tlatellucanorum expoſita ſunt. tantum autem abfuit, vt hominem ad ſanitatem mentis reuocarent, vt Legatos, contra ius gentium variis ludibriis affectos, contumelioſo reſponſo dato dimitteret.

Addita iniuriis eſt & ferocia. prouocauit ad prælium Regem Mexicanum: veniret, ſi vir eſſet, conſereret manum, tunc enim appariturum vtra gens bello eſſet melior. Nec in his ſtetit hominis petulantia. iuſſit quoſdam è ſuis lacum ingreſſos ſubter vlua ac iuncis paluſtribus latitantes voce quantum poſſent anſerum, fulicarum, mergorum, ranarumque clamorem imitari, quo facto exprobrabat Mexicanis in paludibus vitam degentibus, ſtudium aucupii & piſcationis, qui ob id ranis auibusque paluſtribus ſimiles, ætatem inter algam & arundines exigerent. Cunctantibus autem Mexicanis, caduceator venit ad Axayacam regem ab Tlatellucanis, qui ipſi horum principis nomine monomachiam offerret: inter duos conſtiturum virtutis diſcrimen, nec legionum ſanguine litandum dis inferis, ſiquidem ipſe velit duello congredi.

Duellū duorum regum. Auditis his omnibus Rex Mexici, vir animoſus non verbis ſed armis reſpondendum putauit. Tlacaelleli iuniori, copiarum ſummo præfecto imperauit, vt partem copiarum, quæ in ſecunda acie ſteterat, dimitteret: ipſe cum altero agmine declinata via regia, auerſo itinere Tlatellucanis repente imminuit. Nec hi ſibi ipſis defuere, progreſſi in campum hoſtibus ſe oſtendere. Axayaca vero, accipere ſe conditionem pugnæ, per tubicinem pronunciauit, depoſcereque ad duellum eum, à quo ipſe prior prouocatus fuiſſet.

Nec detrectauit monomachiam Tlatellucanorum princeps. Stetit vtraque acies immota ſpectatrix pugnæ principalis. Eſtque acriter pugnatum aliquandiu ab vtroque rege, ſed haud dubie Mexicanus fortior erat: cuius vires atque impetum cum non ferret antagoniſta, abiectis armis animiſque in fugam ſe dedit. Conſpecta fuga Ducis ſui, Tlatellucanorum acies, velut ſigno dato, & ipſa effuſe fugere cæpit, gnauiter inſequentibus Mexicanis, & terga fugientium magno furore ferientibus. Ipſe dux hoſtilium copiarū, poſtquam in templum delatus eſt ſummam illius loricam conſcendit, quieti & defenſioni locum quærens. Verum Axayaca ſequutus trepidum, necquicquam deprecantem valida manu corripuit, deque ſummitate fani præcipitio miſit, vbi membratim diſſolutus eſt.

Tlacaellelis filius, Principe ſuo rem ita ſtrenue gerente, ne ipſe interea ocio indulſiſſe videretur, aſſūmtis nonnullis è ſua acie, illos adortus eſt, qui inter iuncos & arundineta latuerant, illudentes ſimul Mexicanis ſimulque inſidias ſtruentes, quos paruo negocio, paucis trucidatis, in ſuam poteſtatem redegit. Nec tamen vitæ illis gratia facta prius, quam è limo & alga emergentes, itidem vt ante fecerant, mergorum, anatum, fulicarum, *Conuicia conuiciatoribus feſtiue reddita.* ranarumq; voces ad ſacietatem Cachinnumq; victorū identidem formarent. Sic illis ludibria & conuicia digne reddita, cum ſe ipſos ipſi petulantiæ ludicro modo damnarent.

Feruntque ſupra modum delectatum Regem Mexicanum hoc vindictæ genere, qui magna cum gloria domum reuerſus ouans vrbem ingreſſus eſt.

Hic

Hic eſt ille *Axayaca* rex, qui nulla re magnis illis imperatoribus Mexicanorum inferior iudicatus eſt, vtique poſtquam etiam Monomachia depugnauit, quam breuitate imperii; mortuus eſt enim cum non niſi vndecim annis regnauiſſet; nec facile dictu eſt, quanto illum cum luctu, quantisque lacrymis proſecutus ſit Mexicanus populus.

Conuenere de more Electores Regni, vtque ſolenne erat atque ſtatum, non obſeruata ſucceſſione, ſuffragiis ſuis regem pro arbitrio eligentes, vſi libertate ſua creauerunt regem ANZOLVM, magnæ authoritatis virum, qui prudentiæ & ingenii promtitudine multum valere ſemper creditus erat, eoque nomine popularium fauorem impenſe meruerat, quod miro temperamento ſeueritatem regiam, cum comitate, Martiale robur cum morum ſermoniſque blanditiis miſcere nouerat, quæ dexteritas haut ſcio an non in omni imperio plurimum poſſit polleatque. *Anzol octauus rex Mexicanorum.*

Primam expeditionem vt conſuetudo poſtulabat, aduerſus oppidum *Quaxutatlan* ſuſcepit, cuius ciues eo nomine rei erant, quod Quæſtorem & præfectos rationales, qui tributa republicæ nomine exigebant, (antiquitus autem erat obſeruatum, vti tributa Mexicanis debita quotannis ab illis exigerentur) illos igitur inuaſerant ſatis hoſtiliter, quibus ſe debere quicquam negabant; excitata inſuper ſeditione populari, minati grauiora ni actutum diſcederent. Horum improbitatem & inſolentiam primum omnium compeſcendam ratus, illos in ordinem redigere deliberauit.

Non videbatur res multi laboris aut difficultatis, vtique in iſta hoſtium paucitate & imbecillitate, ſed longe aliter accidit. *Quaxutatlani* enim incolumitati ſuæ aduerſus potentiorem hoſtem conſulentes, in ſinum quemdam profundum lacus, vbi inſula ſatis capax, ſe contulerant, quo terreſtri itinere adire Mexicanis non erat pronum, vtique cum deſtituerentur nauibus.

Rex vero moræ impatiens, ne fruſtra expeditionem ſuſcepiſſe videretur, ingenio non viribus obuiam eundum putauit. Auſus igitur eſt nouo commento & vix noſtris ſenſibus veriſimili, non nauem, non claſſem, non denique pontem, ſed inſulam fabricare, demiſſis in lacum ſaxis, ruderibus, ingeſtaque terra, cui ſuperſtruxit ſarmentorum ramorumque numeroſos faſciculos, eoque modo aditu facto ad hoſtem, velut per continentem *Quaxutatlanos* inuaſit, victosq; penitus protriuit, donec eos ad officium & obedientiam reduxit. Potitus hac victoria domum rediit, opima præda acquiſita, magnisque auctus diuitiis, nec longa interiecta mora diadema regni ei eſt impoſitū, ſolennibus adhibitis ceremoniis. Ne autem omnes huius regis expeditiones in diuerſa bella, victorias, pericula, ſtratagemata, perſequi, neue prouincias ab illo ſubactas, enarrare neceſſe habeamus, ſciendum eſt, illum limites regni Mexicani protuliſſe *Guatimalam* vſq;, ad trecenta fere milliaria. Liberalem eum primis & magnanimum ſe præbuit hic Rex, quod vel hinc colligere poſſis. *Magna acceſſio ad Regnum Mexicanū.*

Prouinciis enim Tributa magna cum pompa & apparatu, vti moris erat, exquiſito, per quæſtores offerentibus: conuocabat populum voce præconis, in certum quendam locum, ibi prolatis omnibus rebus, quas prouinciæ miſerant, veſtes quidem, frumentum & edulia, & minora dona inter egenos diſtribuebat; res autem maioris precii, exempli gratia aurum argentumque factum & infectum, monilia, torques, precioſa vaſa, pictasque pennas inter ductores ordinum, centuriones ac milites partiebatur, prout vniuſcuiusque virtus meruerat.

Mediocribus in populo alia ratione ſatisfactum. In excitandis ædificiis minime parcus: multa enim vetuſtate ruinoſa, nec pro nouo ſplendore, demolitus, ex fundamentis

mentis alia ſubſtruxit, vrbemque veteri ſqualore magna ex parte deterſit. Cum autem boni publici magnam ac præcipuam ſemper haberet rationem, animaduerſo, vrbem Mexicanam fluuialibus aquis non pro neceſſitate incolentium abundare, cum aqua lacuſtris, vti & ſuperius narratum eſt, vliginoſa ac limo turbida potabilis non eſſet, cogitauit cum animo ſuo, fluuium qui Cuiocanorum oppidum interluebat, perfoſſo alueo Mexicum deriuare. Cum autem hæc res eſſet magni momenti, viſum eſt ei Magum quendam primi nominis conſulere, quem & ea de cauſa ad ſe vocauit. Magus intellecto periculo conſuluit regi, ne quid tale conaretur, fore enim, vt deriuato eo modo fluuio, omnis vis aquæ in vrbem deuoluta, eam inundatione perderet. & cum dicto abiit. Rex autem, cum conſilium Magi pro ſtolido & ignauo repudiaſſet, incenſus ira, iuſſit hominem comprehendi, miſſo miniſtro, cui eas partes demandauerat. Ibi Magus adeſſe miniſtrum regium ſentiens, ad ſe intro vocauit, cum quo pauca locutus, vbi ſui comprehendendi ergo miſſum intellexit, repente in aquilam ingentis magnitudinis conuerſa forma ſua, ſeruum regium ita exterruit, vt trepidus refugeret, non executus mandata principis. *Anzolus* rex deluſus alium miſit, qui vertumnum illum correptum, daturum omnino pœnas, ad ſe adduceret vel vinctum. Sed hunc pari phaſmate illuſit, Tygridis induta ſpecie, vt vel ad adſpectum eius horrerent, quotquot ipſum acceſſiſſent propius. His igitur ad eum modum faſcinatis, miſſi ſunt alii, qui idem quod ſuperiores tentarent, ſed pariter deluſi ſunt: nam idem ille Proteus qui quoties ex vſu eſt,

Magus verſipellis.

Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens.

Draconis formam induit, tantæ magnitudinis & obſcœnitatis, vt è veſtigio omnes fugerent, quotquot eum conſpexiſſent. Tot ludibriis læſus rex ſupra modum excanduit, conceptisque verbis iurauit, deleturum ſe Cuioacanorum prouinciam, vrbemq; ipſam euerſurum, niſi ſibi Magum illum polymorphum vinculis nexum quamprimum traderent.

Perſuaſus veneficus à popularibus, vel quod alias ſibi metueret, nec artes ſuas ſibi ſemper profuturas arbitraretur, prodiit, Regemque Anzolum adiuit: qui viciſſim deluſus machinationibus eius, capitis ſententiam in eum tulit, interficique iuſſit.

Hoc cum ita perpetraſſet, ſublato eo qui diſſuaſerat, Rex in inſtituto ſuo perrexit, partem fluminis ſupradicti auertens, aquasque Mexicon deriuans, vnde porro in lacum illum, cui imminebat oppidum, ruentes defluxerunt. In huius Aquæ Cuioacanæ occurſum progreſſi ſacerdotes Mexicani, multam precati ſalutem, multisque ceremoniis ſalutantes, primi omnium excepere, ſacrificis adolentibus ad ripam fluuii, ipſiusque lacus littora ſanguine ſuo linentibus: aliis tubas ac cornua Barbarico ritu inflantibus, quibuſdam ad tibiæ ſonum leue ſalientibus, omnia in gratiam deriuati fluminis, ſummo ſacerdote ludente fidibus; & inſtar Naiadis aut Nereidis veſtito.

Fluuius Mexicon deductus cum periculo.

Ad hunc quidem modum aqua illa Mexicon diducta eſt, cuius primus inſultus tanti fuit impetus, vt parum abfuerit quin ipſam vrbem inundaret, quod magum illum, de quo ſupra diximus non fefellerat. Subruto enim & exeſo fundamento ac ſubſidente limo magna pars vrbis corruit, euerſis ædificiis, vnde fæda erat ciuitatis facies, cui malo poſtmodum obuiam itum eſt prudentia regis, qui nullis parcens ſumtib. aut laboribus, inſtauratis vrbis fundamentis, ea parte quæ collapſa fuerat lapidibus ſubſtratis, firmum effecit ſolum, quod ſaxeis compagibus irruenti vndæ ſufficeret, eiusq; eluderet violentiam. qua dexteritate effectum eſt, vt vrbs non ſolum aquis vndiq; cincta eſſet, ſed & fluuiolis ac canalibus per omnes plateas deriuatis, Venetiarum inſtar, vndique perlueretur.

Impera-

Imperauit hic Anzolus Mexicanis non pluribus annis duodecim, dignus ſane longiori vita,& qui breuitatem imperii fortibus factis,liberalitate,ingenii præſtantia, operibus viſendis inq; primis Aquæductu illo ad omnem poſteritatem memorabili extendit,quantum licuit. Excepit hunc *Motecuma* Secundus huius nominis vltimus quidem horum populorum rex,ſed qui ſplendore,magnificentia,exquiſito cultu, adde etiam potentia diuitiisq; ſuos anteceſſores longe ſuperauit.

ANZOLO enim ad plures profecto, principes Electores, conuocatis in collegium,vt moris erat,duobus regibus, qui velut feudi aut Vaſallagii iure à Mexicanis Principibus dependebant,in ſuffragia conuenerunt, Regemque dixerunt *Motecumam* Secundum huius nominis, vt diximus. Erat huic principi mira verborum parſimonia, mirus taciturnitatis amor,vt rei nouæ ſimile videretur,ſi quando in ſenatu(præterquam cum rogaretur ſententiam) loqueretur ac ſolitum ſilentium rumperet. Magna erat viri authoritas,etiam antequam ad regni faſtigium eueheretur. Cum adhuc priuatus viueret, ſelegerat ſibi peculiarem locum in Templo deaſtri ſui Vitzlipuzlii, haud procul adytis,vbi potiſſimum verſabatur ac tempus exigebat, aſſiduus Idoli ſui cultor, quod credebatur ſecretius & pene familiariter noſſe atque colere, vnde tanta homini religionis & ſanctitatis opinio, quanta vix ipſorum Monachorum aut ſacerdotum eſſe poteſt.

Motecuma, nonus rex Mexicanorum.

Nemo autem fuit ex omni populo,(nam & trib. in ſuffragia pro more vocatæ fuerant) qui ipſius electionem improbaret, aut ſex-virorum iudicium criminaretur, cum non tantum genere eſſet nobiliſſimus,ſed etiam animi magnitudine ac regio quodam ſpiritu clariſſimus,adeo vt omnium in ipſum oculi conuerterentur. Cum primum nunciantibus amicis intellexit,ab Electorum collegio ſe regem pronunciatum, grauate viſus eſt ad animum admittere: occuluit enim ſeſe in angulo quodam ſummi templi, vel quod laborum & moleſtiarum cumulos ſubterfugeret, quos norat in regendis tot ac tam numeroſis populis ſibi exhauriendos, cum coronam regiam ne humi quidem proiectam tollendam arbitraretur: vel quod contemneret elato quodam ſupercilio aureas regni compedes: vel denique, quod futuras calamitates regnique interitum præſaga quadam vi apud animum ſuum præſentiſceret. Extractus tamen eſt è latibulo ſuo, coactusque à populo mutare ſententiam,qui blande comprehenſum nouitium regem in Sex-virorum collegium introduxit, cum gaudio & fauſtis acclamationibus. Inceſſu ipſo tantam præſe tulit ſeueritatem,vt vulgo diceretur,non ſine cauſa *Motecumæ* nomen homini impoſitum,(quod noſtra lingua Grauem ac Seuerum ſonat) velut re ipſa talem ſe poſtea præſtitit.

Electores principes in occurſum eius progreſſi ſummum nouo regi habuere honorem,à quibus cum amplius accepiſſet, regem ſe appellatum, cum ſilentio & grauitate vultus,nulla lætitiæ ſignificatione data,ad Fanum properauit, ſacrificia ac munera dis oblaturus: & poſtquam ad focum perueniſſet, ac thus adoleuiſſet ex diſciplina ſacerdotum,vulnerata leuiter cute, ſanguinem extraxit è genis, auriculis atque cruribus, vt more receptum erat.

Inde exornato regiis inſignibus ac paludamento imperatorio,narium ima pars perfoſſa eſt,ſuccedente in cicatricem ſmaragdo viridiſſimi coloris.

Deductus inde à proceribus,inque thronum regium collocatus,cum iam ſe pro rege

gereret,

gereret, audiuit variorum Oratorum gratulationes, quibus ipſi & vniuerſo regno bene ominabantur cum plerique alii, tum rex Tezcunanus, qui omnium facile erat princeps. Reſpondit comiter rex nouus, nil ſublime præ ſe ferens, gratiasque egit, addito verbo, non exiſtimare ſe recte conſultum à Sex-viris Mexicano Imperio, qui ſe indignum elegiſſent.

Motecumæ Regis faſtus. Sed ficta fuiſſe hæc omnia, longeque aliter ipſum ſenſiſſe quam locutus fuerat mox patuit. Neque enim ſuperbiam ſuam aut faſtum Tyranno potius quam regi conuenientem diſſimulare diutius potuit: Sub ipſa initia regni emiſſis vocibus quibuſdam, quæ nihil moderati, aut ad exemplum ſuperiorum Principum compoſiti ſapiebant. Culpauit anteceſſores ſuos, quod plebeii generis homines ad aulæ miniſteria adhibuiſſent, edicto propoſito, ne quiſquam, niſi illuſtri loco natus aut nobili ortus genere, aut cenſus ampliſſimi coram rege comparere auderet, neue quiſquam præter generoſos in aula verſaretur, cum cogeret viros principes ſtationes ac excubias in curia ſeruare, interque comitiua palatii non admitteret, niſi quibus dignationis gradus à rege proximus.

Erat in familia regis vir ætate decliui, moribus grauibus, authoritate magna, inſtructor olim & formator adoleſcentiæ Motecumæ: hic animaduerſa tam repentina hominis mutatione, & quod procul à priſcorum regum popularitate diſſitus, Imperium Mexicanum, quod ad eum diem intra mediocritatem ſteterat, in Tyrannidem vertere velle videretur, non eſt veritus alumnum acriter corripere, propoſitis periculis, in quæ ſe coniecturus eſſet, ſi ita perſeueraret. Fore enim vt repudiatis plebeiis excluſiſque ab officiis, quæ hactenus ipſis cum patriciis communia fuiſſet, eorum ab ſeſe penitus alienaret animos: nec hoc ſolum, ſed etiam pertimeſcendum, ne populus conſternatus, contemtum ſe neglectumque ſentiens, in apertam ſeditionem erumperet, quæ res non caritura eſſet ſummis periculis: reſpondit Motecuma: recte illum ſentire, neque ſe quicquam horum negare: quin imo hoc ab ſeſe quæri, vt ſeceſſione populi facta à patriciis, nobilitas in poſterum à plebe ſeparatim viuat, neque ſe ferre velle, vt deinceps vtrique inter ſe permiſti degant, confuſis ordinibus, quod ad eum diem factum fuiſſet, ſed curaturum ſe, vt poſthac Equeſtris ordo & Patriciorum proſapia pluribus gaudeat priuilegiis, maioribusque fruatur dignitatibus quam plebs. Enim vero aiebat exiſtimare ſe, recte actum cum maioribus ſuis, quibus non fuiſſet is habitus honos, qui Maieſtati regiæ conuenit, poſtquam humili loco natos ac capite cenſos ad ſeruitia ſua admiſiſſent, quibus in plano fuiſſet, cauere, ſeque cauturum, ſiquidem imperaturus eſſet. Qua conſtitutione principis omnis acceſſus ad officia & præfecturas plebeis interclufus in ſolis nobilibus & generoſis peculiari priuilegio ſtetit.

Hæc fuerunt initia regni Motecumæ: reliquum erat, vt acquirendo diademati via ſterneretur per expeditionem aliquam bellicam. Placuit longinquum armis petere populum, amplioris gloriæ materiam. Vergebat in Oceanum Aquilonarem regio, longe ab vrbe Mexicana diſſita, quæ inimico erat in omne nomen Mexicanum animo, videbaturq; bellũ agitare. qua re per nuncios non ambiguos accepta, Moticuma Rex ſtatuit illos prior bello aggredi. Collectis igitur copiis, non minus multitudine & armis, quam ſplendore & ornatu viſendis edixit profectionem, continuoque in illos iuit. Probauit huius regis conſilia & expeditionem adeo fortuna, vt tempore non longo, occupata tota regione, grauiter vltus fuerit acceptas iniurias autoribus ſeditionis ad ſupplicium magna ſeueritate raptis, mulctatisque popularibus. Hinc onuſtis præda militibus, magnoque captiuorum parto numero (quos pleroſque omnes ſolenni ſacrificio deſtinabat,) domum reuerſus ab vniuerſa ciuitate, quam triumphanti ſimilis ingreſſus eſt,

ſummo

ſummo cum gaudio excipitur. Spectatu dignum erat, quo pacto principes imperii cœnaturi manibus aquam infuderint, mantile porrexerint, reliqua aulæ miniſteria, à viliſſimo ad ſummum nobiles obiuerint: quod ante eum diem nulli vnquam regi fuerat præſtitum, ſed neque expetitum.

Reditum Victoris ſecuta eſt coronatio, quæ tanta cum pompa, feſtiuitate, magnificentia peracta eſt, quanta nulla vnquam antea. Ludi omnis generis exhibiti, agitatæ comœdiæ, ſaltationes ſine fine aut modo, nulla lætitiæ ſpecies intermiſſa. Tributa etiam penſa ab regnis & prouinciis, quotquot Mexicanum agnoſcebant imperium, liberalius quam antea vnquam. Concurſus populi maior quam ad fidem dici poſſit. Nec enim ciues ſolum confluebant & indigenæ regni vicinique, ſed ex remotioribus partibus aderant ſpectaturi ſolennia munera. Deprehenſi etiam ſunt ex hoſtibus adeſſe, qui mutato ſchemate, & diſſimulata patria etiam cum periculo ſuo ſpectatores agerent. Nec latuere tamen vel hi circumſpectiſſimum regem: ſed nec hic oblitus eſt magnitudinis ſuæ Princeps Mexicanus. Notatos hoſtes inter ſpectatores iuſſit comiter haberi, aſſignauit eis diuerſoria, ſuppeditauit alimoniam. Neue quid eos lateret, quæ in publica lætitia gererentur, mandauit diſſignatoribus, vt eos editis locis conſtituerent, vnde poſſent omnia cum accuratione contemplari, nec periculum eſſet, vt inde deiicerentur. Appetente nocte, ne quid comitati deeſſet, ipſe rex obſeruatis eorum hoſpitiis, perſonatus adfuit, adhibitis fidicinibus & tibiis hoſtes ſuos inuiſens. *Coronatio Motecumæ regis.*

Tolerari hæc fortaſſe poſſunt, quæ hactenus recitauimus, fortaſſis etiam quædam laudari: ſed hæc quæ iam exponemus, nemo puto, probabit qui Tyrannidem & exceſſum ſortis humanæ oderit. Tantus inuaſerat hunc virum faſtus, vt immemor ſe hominem eſſe, pro deo coli & adorari voluerit. Si quando per populum ipſi iter capitale plebeio homini erat, regem propius intueri. Pedem humo, aut nudo ſolo non ponebat, lectica exquiſita materia & opere ſtructa ferebatur, humeris illuſtrium aut generoſorum virorum. Quoties deſcendebat poſita lectica, ne forte ſolum contingeret, pedibus ſubſternebatur culcita leuis aut amphimallus, poſtremo velum pictum aut veſtis variegata. *Faſtus & prodigalitas Motecumæ regis.*

Cibum ex eadem patina vel diſco, aut potum ex eodem ciatho non iterum capiebat, repudiatis prioribus vaſis ſemper noua ſubſtituenda erant: illa cedebant in vſum ſeruorum aulicorum, vt & ipſi venirent in partem magnificentiæ regiæ. Idem ſentiendum de veſtibus huius regis: neque enim eandem bis induebat, Neronianum puto ſequutus exemplum. Edicta ſua ita proponebat, vt nemo dubitaret, quin præſentiſſimum capitis aditurus eſſet periculum, qui vllo modo contrauenire auderet. Si quando parta victoria domum rediſſet, vel etiam confecto itinere longiori, cum contingeret ipſum diutius ab regia abeſſe, ſimulabat ſe venationi vel aucupio operam daturum, vt abſtergeret itineris aut belli moleſtiam animo. Inuitatis igitur præfectis ac quæſtoribus ipſe perſonatus, peregrino ſchemate obibat telonia & fiſci cameras, animaduerſurus, an per cauſam lætitiæ publicæ negligerentur rationes ac exactiones tributorum. Alias diſſimulato rege circumibat præfecturas, viſurus, an recte ius dicerent ſatrapæ, an negligentes eſſent, an iniuſti, an quatruplatoribus & ſycophantis aurem præberent, an captatores munerum, an cauſas litigantium in quæſtum verterent, an denique ſtellionatus aut peculatus rei: hoc inquam deprehenſos grauiſſime mulctabat, nonnullis etiam capite plexis: Eratque tanta viri ſeueritas, vt in tali aliquo crimine deprehenſis minime par- *Laus Motecumæ regis à iuſtitia.*

cendum exiſtimaret, ſi vel cognatione aut ſanguine iuncti, vel ex illuſtri & perantiqua familia oriundi fuiſſent. Exigua illi cum ſuis familiaritas, raro prodibat in publicum, vel conſpectum populi vitans, inque conclauibus ſuis latitans, vbi ſecreto & procul à ſtrepitu aulico commodis regni inuigilans, totos dies reipublicæ conſiderationi impendebat.

Præterquam autem, quod iudicis ſeueri partes pluſquam regia grauitate obibat, non minore dexteritate negocia militiæ tractabat, miles manu promtus, imperator fortunatus, qui multis relatis victoriis ſuis ſe venerabilem, hoſtibus formidabilem fecerat.

Splendoris aulici, viuariorum, rariorum beſtiarum ſupra modum ſtudioſus. Alebat auium omnis generis in Ornithotrophiis ingentem multitudinem: beſtiarum illi, etiam noxiarum, magna in certis caueis copia: nec piſcium minor in piſcinis affluentia, quibus paſcendis magnus hominum numerus operam dabat: iis omnibus alimonia ex munificentia regia. Si qua rarior auis, aut fera, aut piſcis minus obuius oblatus fuiſſet, quem non ſuper victurum arbitrabatur, mandabat artificibus, vt iconem eius vel lapidi inciſam vel auro argentoque effigiatam memoriæ conſeruarent, inque Theſauris principis reponerent. In ædificiis ac palatiis extruendis profuſæ erat liberalitatis, quibus ita vtebatur, vt ad certas vitæ fortunæque ac euentuum varietates fabricarum quoque ratio variaret. alia enim ſeruiebant luctui, alia recreationi, quædam ſolennibus epulis, nonnulla conſiliis habendis & dicundo iuri. In illis autem domibus certe viſebantur habitationes atque conclauia, non vnius generis, ſed pro captu & qualitate eorum, quibus ad inhabitandum aſſignata erant.

Talis igitur erat Motecuma rex ſecundus huius nominis, vltimus vero Regum Peruanorum. Hic cum multis annis imperauiſſet, eo veſaniæ prolapſus eſt vt diuinos ſibi arrogaret honores, ne adorantes quidem ſe aut adolentes ſibi reiiciens, adeo inflauerat hominem feliictatis perpetuus curſus & honorum multitudo: quo faſtu cum ſupremum numen haud dubie ad iram prouocaſſet, non potuit ruina & interitus eius abeſſe longius. Paſſa tamen fuit diuina clementia vel per Idola ſua ac dæmoniorum monita hominem ad ſanitatem mentis vocari. Multa inſuper ſine fine ſe offerebant oſtenta ac prodigia, qualia nullo vnquam æuo poſt hominum memoriam obſeruata fuerant, quæ non obſcure neque per ambages perniciem regni Mexicani in procinctu eſſe ſignificabant: quorum ſignorum atque portentorum non fuit alius apud hunc virum effectus, quam vt ipſum perplexum dubiumque animi atque conſilii redderent, vt tandem victus anxietate mentis, exutoque prope omni humano ſenſu ſæuiret in immerentes. Cum autem prodigia pleraque multum admirationis habeant, vti quidem bona fide ad aures noſtras peruenere, non pœnitebit nos quædam memoriæ prodere.

Prodigia interitum regni Mexicani ſignificantia.

1. Primum igitur *Chololenſe* Idolum, cui nomen *Quezalcoalt* iuſſit ipſi per ſacerdotes ſuos nunciari, aduentare peregrinam gentem, quæ à longinquis profecta terris, regnum eius cum omnibus ſubiectis prouinciis eſſet inuaſura ac poſſeſſura.

2. Itidem Rex Tezcucanus, Magus ſummæ peritiæ habitus, quippe cui pacta cum Cacodæmone intercedere credebantur, cum Motecumam inſueto tempore inuiſeret, nunciauit ei, accepiſſe ſe mandata ab Idolis ſuis, accederet regem, eique interitum regni ſui ſignificaret.

3. Alii inſuper Magi ex diuerſis partibus idem nunciabant, quorum vnus dum loquitur regi, ipſe rex animaduertit ſibi digitos manuum ac pedum deeſſe. Oblato hoc portento exterritus ſupra modum rex, deinde collecto ſpiritu, prędominante bilę, imperauit

ſine mora omnes Magos ac Necromantas in carceres abripi: cui mandato cum ſatis fa-
ctum eſſet Magi omnes è vinculis elapſi repente diſparuerunt, deluſis cuſtodi- 4.
is: quo tamen phaſmate male ſibi conſuluerunt diabolici homines. Rex enim laxatis
iracundiæ frenis ſæuire in coniuges liberosque ac familias eorum, quos omnes neci dare,
ædes eorum à fundamentis euertere, bona auctioni ac haſtæ ſubiicere.

Tot obuenientibus prodigiis extra ſe raptus rex, cum videret ſæuiendo ſe nihil pro- 5.
ficere, ad placandos ſacrificiis deos ſuos conuertit animum, quibus cum nouo more vi-
ctimas cædere conſtituiſſet, iuſſit vt ingens lapis vſum aræ ſuppleturus attraheretur.

Quibus hoc imperatum erat, omni ope adnixi, ne latum pilum quidem ſaxum mo-
uere loco poterant, quin omnibus conſumtis viribus vectes quoq; & obices confringe-
bant. Inde pluribus in auxilium vocatis inſtaurabant priores conatus, ſed irrito pariter
labore, nec deſtiterunt, donec audita vox eſt, Nolle Creatorem omnium rerum impo-
ſterum hoc ſacrificii genere coli, quapropter deſinerent, nec ſe inani labore fatigarent.
Perculſis omnium mentibus viſum eſt hæc regi nunciare: qui mutato conſilio, iuſſit vt
ſuper ſaxum illud loco priſtino relictum immolarent victimas. Sacerdotibus igitur o-
peri ſe accingentibus denuo vox illa intonuit: Non effugituros pœnam, qui ſpreto vati-
cinio, contra Creatoris omnium rerum voluntatem auderent damnata offerre ſacrificia.
Neue dubitarent de oraculi veritate, futurum, vt lapis ille trahentes aliquantiſper ſeque-
retur, mox rurſus aſſumto priore pondere immotus iaceret, ne tantillum quidem pro-
mouendus. Conſtitit ſua dictis veritas. Paruo enim molimine traxerunt ſaxum velut
ſponte ſua ſequens aliquo vſq;: ibi denuo iacuit immotum eluſo omni molientium co-
namine. Inde conuerſi ad preces, id ſaltem orabant multis verbis, vti liceret ſibi ad mu-
ros atq; portas Vrbis Mexicanæ vſque pertrahere fatale pondus: quod quidem factum
eſt, ſed lapis vrbi iam prope aduolutus repente in lacum delapſus oſtendit fruſtra eos co-
nari Creatoris voluntati obluctando. quæſivere igitur contis ac perticis portentoſum il-
lud ſaxum, eo loco quo demerſum fuerat, ſed luſerunt operam. Pauculis enim interpoſi-
tis diebus repertum eſt eo loco, vbi primum omnium poſitum fuerat, qua re aucto pro-
digio populus in admirationem & ſtuporem magis quam antea datus eſt.

In terra hæc obtulere ſe portenta: Sed nec cœlum ſignis feralibus caruit, quibus ex- 6.
territæ mentes humanæ imminentem mali vim vitare tamen non potuerunt. Nam in
ſumma aeris regione apparuit flamma viuidiſſima, forma pyramidali, late diffuſa. Circa
mediam noctem fere oriebatur, ac ſemper in ſublime tendebat, donec oriente Sole cune-
us ille igneus mutato loco in meridiem obuerteretur, eſtque hoc prodigium integro
prope anno obſeruatum.

Cometes inſuper inuſitatæ formæ conſpectus eſt, qui non de nocte ſolum ſed & in- 7.
terdius luxit, ſcintillantibus tribus apicibus, qui in tria capita deſinebant, non ſine hor-
rore adſpicientium.

Sed & Fanum ipſum fortuito igne correptum arſit incerto authore incendii, cum 8.
neque fulmine cælitus tactum, neque humana negligentia incenſum fuiſſet. & quamuis
innumera multitudo conflueret, ignis reſtinguendi cauſſa, parum tamen aut nihil effe-
ctum eſt, quin imo, vti certa conſtat fama, aqua ingeſta non aliter conualuit ignis, quam
ſi oleum infuſum eſſet, gliſcente incendio, donec quicquid fuit materiæ ligneæ in cine-
res penitus eſt collapſum.

9. Ingens ille lacus, qui inter duas Vrbes Mexicanam & Tezcucanam longe lateque excurrit, occulta quadam ignotaque cauſa feruere cæpit atque bullire, ſubſilientibus in altum fluctibus, tanto cum impetu, vt quicquid erat ad ripam ædificiorum collaberetur: cũ tamen nec venti flarent vehementius, nec terræ motus animaduerſus vllus fuiſſet.

10. Relatum eſt inſuper ab diuerſis locis, auditam fuiſſe vocem querulam velut lamentantis mulieris, in hæc verba eiulantis. Interitus veſter, ò filii mei, prope adeſt! Quo vos ego iam abducam, ò chariſſimi liberi, ne omnes internecione pereatis?

11. Præterea monſtrum quoddam triceps, formidandæ ſpeciei, inuentum, regique oblatum eſt, quod poſtquam contemplatus eſſet, diſparuit.

12. Monſtra hæc atque prodigia omnia, ſuperabant duo alia quæ ſigillatim enarrabimus. Prius ita habet: cum Motecuma rex plenus triſtitia & formidine conclaue luctuoſum ingreſſus, quod atratum vndique mærorem ac luctum præ ſe ferebat, de portentorum horum fœditate ac euentu ſecum diſputaret, oblata eſt ei auis, quæ à piſcatore quodam in ipſo lacu capta fuerat. magnitudo aliti quanta gruibus, ſpecies quoque non multum abludens. In ſummo capite ferebat ſpeculum luciddiſſimi ſplendoris, quod intuitus Motecuma, viſus eſt ſibi cæli ſtellarumque in eo contemplari pulchritudinem, non ſine admiratione ſingulari. dum autem intentius ſpeculatur, videt exercitum ab oriente venientem, qui peregrinis armis pugnabat, magnamque hoſtium edebat ſtragem. Magi ipſius atque harioli eamdem videbant ſpeciem. interpretari autem non valebant, nec minus ipſo rege hærebant ancipites. Ipſa auis, poſtquam ſe ſatis conſpiciendam præbuit, ex oculis eorum neſcio quo ſubducta diſparuit.

13. Alterum duorum illorum prodigiorum, de quibus diximus, ad hunc modum habet. Homo ſimplex & incultus, qui omnem ætatem ruri exegerat, acceſſit regiam, petens ſibi copiam fieri alloquendi Principis. Vix ægre admiſſus narrauit: laborandi ſibi in agro, ingentis magnitudinis ſuperveniſſe aquilam, quæ intentũ operi ruſtico corripuerit vngulis, ſine tamen læſione vlla, inque antrum quoddam detulerit remotum è conſpectu hominum: poſt aquilam mutuata humana loquela ita cæpiſſe profari. Ecce me, O potentiſſime omnium, & eum quem tibi meo miniſterio adduci imperaſti. agreſtem autem ipſum diu circumſpexiſſe, neque tamen quenquam vidiſſe, cum quo ſermonem miſceret aquila: vocem autem allapſam auribus ſuis: nunquid illum noſſet, qui extentus humi dormiret? excitatum ruſticum vidiſſe virum quendam poſito humi corpore, qui manu altera pro more regionis ſuſtinebat faſciculum florum: altera funiculum ardentem, miræ fragrantiæ. quem cum exactius conſideraret, dixiſſe agreſtem: hic quidem Motecuma rex eſſe videtur. tum ſpectrum: non erras tu, ò homo, reſpondiſſe, ipſus eſt. Viden' vt ſtertat ſecurus in vtramque aurem, nec quicquam penſi habeat, quid futurum ſit de ipſo atque vniuerſo regno eius, contemtis periculis quæ ingruunt longe grauiſſimis? Venit tempus, vt debitas deo pœnas pendat faſtus ac intolerabilis ſuperbiæ ſuæ, qua moderatum ante hunc diem Mexicanorum imperium, in apertam transformauit Tyrannidem. Nec videtur affici poſſe ſenſu miſeriarum futurarum, talpa cæcior, mulo ſtupidior. in cuius rei documentum, age, cape funiculum ardentem è manu eius, & admoue coxæ dormientis, videbis illum velut omni ſenſu deſtitutum ne moturum quidem latus admoto igne.



Correpto autem formidine,ac tergiuerſante ruſtico adire propius ad regem, ſpectrum perrexiſſe loqui: quid trepidas accedere? vel quid metuis regem? Confirmo tibi me millies plus poſſe atque pollere, quam homuncionem hunc, eſſeque in mea manu, ipſum perdere è veſtigio, te conſeruato, quare, age, quæ iuſſus es, exequere. Auditis his, agreſtem acceptum è manu regis funem ardentem coxæ eius admouiſſe, quod ſtertens ille quidem haut ſenſerit, neque corpus vllo modo commouerit. Ibi dixiſſe genium: cum videas hominis ſtuporem & veternum immedicabilem, abi, excita eum è pernicioſo lethargo, omniaque quæ vidiſti, quæque audiuiſti bona fide narra, ſiquidem ſaluus eſſe voles. Cum dicto adfuiſſe Aquilam illam priorem, quæ itidem comprehenſum agricolam blande detulerit in agrum eius, vnde non ita pridem abſtulerat. Qui redditus ſibi ipſi, non putauerit reticendum tantum myſterium, ſed continuo regi aperiendum. Ibi Motecuma, faciendæ fidei ergo, apertam coxæ partem velut cauterio inuſtam deprehendit, vnde in tantum terrorem ac mentis inopiam fuit redactus, vt parum abfuerit quin animo linqueretur penitus.

Annus Chriſti 1517. Mexicanis fatalis.

Igitur decimo quarto anno Imperii Motecumæ, ſecundi huius nominis, regis Mexicani, qui fuit annus à nato bono publico milleſimus quingenteſimus decimus ſeptimus, euenit, vt Hiſpanorum naues littora occidentalis Indiæ, quæ in Septentrionalem Oceanum porriguntur, legerent, quibus conſpectis Barbari ſupra modum obſtupuerunt. vtque ſcirent, qui noui illi hoſpites forent, aut quid veniſſent, emiſſis lintribus & ſcalmis vſque ad ipſas naues acceſſerunt, præferentes manibus cibos omnis generis, veſteſque ſuo more textas ac alia mercimonia, ſimulantes ſe ea vendere velle.

Hiſpani contra blande compellatos Indos in ſuas naues aſſumſere, factaque permutatione mercium, pro fructibus allatis, proque materia veſtiaria globulos vitreos perforatos dedere, quos barbari gemmas lapilloſque magni precii rati, ita acceperunt. Porro ipſi Indi, ſcilicet vt Iberis terrorem incuterent, multa narrauerunt de regis ſui potentia, diuitiis, regnique viribus, cui & oblaturos ſe gemmas illas vitreas ſpoponderunt, multa inſuper de beneuolentia ſua in illos polliciti. Hiſpani viciſſim orabant, referrent regi magno Motecumæ, nihil ſe æque in votis habere, quam ipſum inuiſere: quod quia iam certis de cauſis non poſſent, ferret patienter moram, prima enim occaſione oblata ſe reuerſuros, regemque qua par eſt veneratione ſalutaturos.

Cum ita vtrinque diſceſſum eſſet, Indi Mexicon reuerſi, attulere ſecum linteum picturis variis illitum, vbi depinxerant quicquid viderant: genus nauium, velorum multitudinem, apparatum bellicum, armaturam nauticam, ipſorumque Hiſpanorum veſtitum, ſpeciem ac habitum. Motecumæ magnum hic nuncius incuſſit terrorem: nec tamen oblitus prudentiæ ſuæ, ſeueriſſimo edicto inhibuit, ne hæc in vulgus ſpargerentur. Altero die conuocato ſanctiori conſilio in medium propoſitis linteis depictis gemmiſque illis vitreis, deliberatum eſt, quid faciundum foret: concluſumque omnium calculis, littora omnia maris firmis munienda excubiis, quarum hæ eſſent partes, vt cum primum tale aliquid animaduertiſſent, ſtatim per diſpoſitos curſores regem edocerent, & tale quidem erat illud ſenatus conſultum.

Aduentus Hiſpanorum in regnum Mexicanum.

Sequente anno, qui fuit à nato Domino Chriſto milleſimus quingenteſimus decimus octauus, ſub initium ipſius anni advenit magno Indorum malo *Ferdinandus Corteſius* Marchio de Valle, appulſis nauibus ſuis ad littus Oceani Aquilonaris, expoſitiſque in terram militibus.

Senſit rex Motecuma fatales viros adeſſe, ideòque vehementer eſt perturbatus animo. Conſiliarii autem illius ſtulta quadam opinione (quamuis inueterata) ſibi perſuaſerunt, *Quezalcoalem* generis ſui primum autorem, ab orientis partibus, in quas olim profectus fuerat, reducem adeſſe. Fuerat enim apud Indos recepta omnium aſſenſu fabula, diſceſſiſſe aliquando è terra ſua cum magna hominum ſequela principem quendam verſus orientem ſolem, qui fuiſſet pollicitus, decurſis fatalibus annis ſe reuerſurum, magno popularium bono. Hunc igitur iam adeſſe ſibi perſuadebant ſtultiſſimi.

Tandem rex Motecuma vocatis in conſilium principibus, ſtatuit ad Hiſpanos oratores mittere. delecti ſunt ex omni numero quinque, inſtructi donis, authoritate præſtantes, qui Hiſpanis de aduentu gratularentur, comiterque exceptos ita compellarent: Non ignorare regem ſuum, fatale tempus adeſſe, quo proauus & author generis eorum, *Quezalcoalt* ſe ab orientis partibus reuerſurum prædixiſſet. Hunc igitur non dubitare ſe quin præſto eſſet: ſeque eo nomine veniſſe, vt ipſum ſumma cum reuerentia exciperent, ſuique regis obſequia, vel cum ceſſione Imperii deferrent.

Loquentes ad hunc modum Indos Hiſpani magnam partem intelligebant, vſi interprete quodam Indo, cui nomen *Marinæ*, quem ſecum attulerant, quiue diu inter Hiſpanos

nos verſatus eorum idioma apprehenderat. Ipſe autem Hiſpanorum dux Corteſius Legatorum ſtudia pro ſe interpretatus, exiſtimauit hac ratione ſe vrbem Mexicon ingreſſurum ſub pacis & amicitiæ nomine.

Iuſſit igitur papilionem extendi, ponique ſellam operoſe ſtructam, adornatisque rebus omnibus ad pompam & ſtuporem barbarorum iuſſit, introduci legatos: qui ingreſſi ac contemplati hominem peregrino ſchemate ſuperbientem, prolapſi in genua, inclinatoq; capite prope diuinos ei habuere honores, additis verbis: Noſſe Motecumã, ipſum (Corteſium) eſſe non alium quam Quezalcoalem, cuius ſe Motecuma ſeruum fateretur, qui regnum Mexicanum ad eum diem ipſius nomine adminiſtrauiſſet. Petere ergo, quando ipſi ita viſum fuiſſet, promiſſis ſuis de reditu poſt tot annos ſatisfacere, vti arma & veſtimenta, quæ tum geſtauerat; cum adhuc inter ipſos vixiſſet, cum donatiuis atque muneribus regiis vellet recipere: additisque nonnullis, quibus ſtudium Motecumæ regis in Hiſpanos prolixe efferebant, conticuere. Vſus opportunitate hac, quæ præter ſpem oblata fuerat, Ferdinandus Corteſius, acceptisque muneribus, affirmauit, ſe eum ipſum eſſe, quem illi crederent, ſicque dimiſit legatos: qui læti ac hilares domum reuerſi ſunt, laudantes comitatem & manſuetudinem Hiſpani ducis, à quo tam liberaliter habiti fuiſſent. *Ferd. Corteſius fingit ſe Quezoalcalem eſſe.*

Conſtituerat omnino Corteſius, perſpecta barbarorum ſimplicitate & ruditate, nequaquam in illos ſæuire, ſed lenitate ac beneficiis eos ad Euangelii cognitionem perducere, non ignarus hoc ſe in mandatis ab rege ſuo habere: ſed profecto ſi vera fateri volumus, tantæ idololatriæ in his populis erat fœditas, tantum magiæ ac diabolicarum artium ſtudium, quibus ſe ipſos Sathanæ in peculium addixere hi barbari, tanta homicidiorum licentia, vt maturas pœnas non poſſet vlterius differre diuina Nemeſis, quas & paulo poſt abundanter dedere. Igitur non eſt mirandum, benignum Corteſii propoſitum locum in iis inuenire non potuiſſe.

Sequente die, poſtquam legatio ab Motecuma audita eſt, Corteſius conuocato ſenatu in medium propoſuit, quid facto opus eſſet, viſumq; pleriſque eſt: quando Motecumæ magnæ eſſent vires, magna potentia, ingentes opes, omnino laborandum, vt formidabiles ſeſe facerent Hiſpani, quo metu perterriti Indi eos in vrbem ſuam admitterent. Nihil igitur omiſſum, quod ad oſtentationem virium & autoritatem conciliandam facere videbatur, dataq; opera, vt tam paucis exiſtentibus hiſpanis, quicquid deerat multitudini, virtuti adderetur. Vtque ſpecimen aliquod ederent potentiæ ſuæ diſploſis repente omnibus machinis ſiue tormentis puluere pyrio repletis, tantus extitit fragor, tanta tonitrua, vt barbari qui tum forte aderant, diffugientes haud aliter exiſtimarent, quam cœlum in capita eorum ruiturum, vtique cum nihil tale vnquam vidiſſent aut audiuiſſent. Edito hoc velut progymnaſmate, Hiſpani per interpretem Indos ad pugnam prouocauerunt, experturos fortitudinem nouorum hoſpitum, ſiquidem auderent congredi. Indi vero detrectauerunt prælium amicitiam ac fœdera præferentes. Exprobratum hoc ipſis eſt acriter ab Hiſpanis, conuiciis eos ob ignauiam & timiditatem proſcindentibus. nec in verbis ſtetit hæc contumelia: vt plus terroris incuterent miſeris, gladiis, haſtis, bipennibusq; eos aggreſſi in fugam compulerunt, quibusdam vulneratis & ſanguine fluentibus, aliis alio modo male mulctatis. Hoc facinore perpetrato longe alia mens fuit Indis, longe aliud de Hiſpanis iudicium. Non eſſe hos è familia Progenitoris ſui Quezalcoali, neque ſe recte ſenſiſſe, qui ita credidiſſent: ſed malos quoſdam genios, hoſtili in Mexicanos animo, qui eorum quærerent perniciem ac interitum: fugiebant igitur eos horrebantque. *Hiſpani ſine cauſa ſæuiunt in Indos.*

Dum hæc ad eum modum apud Hiſpanorum naues geruntur, interim Motecuma ſollicitus Legatorum aduentum præſtolabatur: quem vt dii gratum ſibi atque ſalutarem regno efficerent, ſacrificiis eos placare nitebatur. magno igitur hominum numero è mancipiorum genere mactato, extractiſque cordibus è pectoribus eorum Vitzlipuzlio immolabat, eorum etiam cruore Oratores à Corteſio redeuntes aſpergens, vti læta ſibi nunciarent precatus. His autem de magnitudine Hiſpanicarum nauium, deque genere armorum, de tormentorum violentia ac impetu, de virorum agilitate ac pugnandi peritia prolixe quæ viderant, quæque audiuerant referentibus, parum abfuit quin moribundus concideret, tantus pauor hominem inuaſerat. Diffidens igitur armis ſe eos expellere poſſe, ad Magorum opem conuerſus eſt, vt diabolorum auxilio hoſtes aut protererent, aut regno ſuo eiicerent. Polliciti ſunt Magi ſatis liberaliter, ſed poſtquam omnes incantationes, omnes dæmonum adiurationes & carmina fruſtra inſumſere, Hiſpanis nec pilo nec vngue deterius habentibus: nunciauerunt regi, nouos hoſpites vltra humanam ſortem eſſe, quos nulla læderent veneficia, nullæ artes magicæ. Deiectus & hac ſpe rex Mexicanus, diſſimulandum ſibi timorem arbitratus eſt. Igitur ſpem fronte ſerenans, præ ſe tulit, Hiſpanorum aduentum ſibi non ingratum eſſe, dimiſſiſque in omnes regni partes apparitoribus, imperauit populis, vt cæleſtes illos ac plane diuinos homines, qui ſuum regnum inuiſere dignati eſſent, omni honore proſequerentur, eos colerent, nullumque non genus obſequii præſtarent. Accepere triſtes hoc imperium populares, nihil boni ominati, vtique cum audirent Hiſpanos admodum ſollicite inquirere, de regis perſona, deque forma reipublicæ ac modo adminiſtrandi, poſtremo de diuitiis ac theſauris regni.

Nec minus ipſe Motecuma audiens hæc, ſe affligebat: cui vt conſulerent Magi, ſuaſere, vti aliquo ſe abderet, polliciti, ſi hoc amplecteretur conſilium, ſe eum occultaturos, vt à nullo mortalium inueniri vllo pacto poſſet. Rex autem, qui animo magno erat, conſilium hoc pro turpi ac ignauo repudiauit, addita cauſa, nihil minus decere Regem, quam ſe occultare. Statuit igitur omnino, intrepido animo expectare hoſpitum aduentum, neq; cedere vrbe ſua, ſi vel cum capitis ac fortunarum periculo manendum eſſet. Tandem, vt ſolet timor ſubinde mutare conſilia, deſeruit regiam, atque alio ſe contulit, eo fine, vt *dij illi terreſtres ex Iberia* in aula hoſpitarentur.

Tlaſcalenſes Hiſpanorum partes ſecuti.

Intermedio tempore, cum Motecuma intellexiſſet, Hiſpanorum ducem cum hoſtibus ſuis *Tlaſcalenſibus* fœdus pepigiſſe, quod in perniciem Mexicanorum vergeret, iamq; amicos Mexicanæ republicæ populos, interq; eos cum primis *Chololenſes* grauiter afflixiſſe, in animum induxit illos fraude circumuenire. Exornatum igitur miniſtrum quendam aulicum regiis inſignibus, & veſte imperatoria conſpicuum ad illos ablegauit, qui ſe regem Motecumam verbis & geſtibus mentiretur, vt ita videret quidnam facturus eſſet Ferdinandus ſi regem ipſum comprehendiſſet. Sed male ſucceſſit hiſtrionica. Proditus enim eſt à Tlaſcalenſibus hic Pſeudo-Motecuma, ac repudiatus à Corteſio, qui poſtmodum ipſi regi hoc grauibus verbis exprobrari iuſſit.

Patefactas technas ſuas Motecuma vehementer doluit, pudore ſimul & formidine anxius, quod parum candide egiſſet: iterum igitur ad Magos conuerſus, eorum opem ſerio expetit,

precibusque minas regaliter addit

perituros omnes peſſimis modis, niſi quam primum nouos hoſpites artibus ac machinationibus

tionibus quibuscunque poſſent, amolirentur eliminarentque. Magi hoc regi recepe- runt effecturos. Egreſſi igitur in viam qua in Chalcenſium regionem itur, quaque Hiſpani venturi erant, conſcenſo colle quopiam deuotiones ſuas procurauerunt (vt Apuleius loquitur,) adiuratoque dæmonio, apparuit illis *Tezcatlipuca*, præcupui nominis inter Idola patria, qui ex caſtris Hiſpanorum ſe venire ſimulabat, habitu inceſſuq; Chalcenſi ſimilis, geſtibus furioſum, aut ebrium, aut vtrumque mentiens. Hic cum ad veneficorum agmen perueniſſet, conſtitit, plenusque irarum ita infit. Ecquid tandem quæritis ac machinamini, ipſeque Motecuma per vos? Sero iam ad meliorem mentem redire cupit, cum iam concluſum ſit, lataque ſententia: vt ſpoliatus omni honore, opibus, regnoque ipſo in ordinem redigatur: qui non regnauit vt Rex & princeps, ſed vt latro ac Tyrannus, hoc ei nunciate ſultis. *Dæmon apparet Magis Motecuma.*

Agnouere loquentis vocem incantatores, præſentiamque Tezcatlipucæ ſui ſentientes proiecti in faciem diuinos dæmoni honores habuere, excitato inſuper altari e vicinis lapidibus congeſtis, quod operiebant floribus temere collectis, vt propinqua humus ſuppeditabat, ita pacem Idoli expoſcentes. Nec vero dæmon hæc quidquam moratus eſt, ſed contemto fortuito cultu increpuit eos vlterius: Cur nam huc veniſtis proditores & parricidæ inquiens, conuertite retro oculos & reſpicite vrbem veſtram. quod cum feciſſent ſortilegi iſti, viſa eſt ipſis vniuerſa vrbs Mexicana conflagrare igne, flamma cœlum feriente. ſic diſparuit dæmon, nec ſe viſendum præbuit poſthac.

Effœtis ita velut Magis & nil vltra incantamentis ſuis efficere valentibus, viſum eſt omnia quæ viderant audiuerantque regi bona fide referre, qui auditis præſagiis *Tezcatlipucæ* & prodigio oblato, aliquandiu immotus ſtetit defixis humi oculis, deſperanti ſimilis, diuque ipſum fugit loquela. tandem collecto ſpiritu in hæc erupit verba. Ergo neque Dii neque amici noſtri opem ferre nobis volunt aut poſſunt. Quid faciemus porro amici ac ciues mei? Mihi quidem ſedet animo firmum atq; fixum, quicunq; huius rei ſit futurus exitus, turpi fuga rebus meis conſulere nolle, neque vllum de me ſignum timoris aut ignauiæ dare, neu peregrinis prodere ciuitatem. De me, vobisque viri fortes, quid fiat parum ſollicitus ſum. Decrepitorum & puerorum ac muliebris ſexus me miſeret, quibus nec arma aut vires ad ſtrenue pugnandum, nec animi ad fortiter moriendum.

Et hæc quidem tunc Motecumæ loqui viſa ſunt. Aduentante autem Ferdinando Marchione cum copiis Hiſpanorum, Rex Mexici, cum aliter non poſſet, ſtatuit illi prodire obuiam. Exornata igitur ſumtuoſiſſime lectica, quam quatuor primi nominis proceres ſubibant, tectus vmbone vario è pennis & filamentis aureis, cinctus nobilium cuneo in occurſum Corteſii progreſſus eſt, ad inſtar viæ horæ vnius. Vbi conuenere propius principes, deſiliit Motecuma de lectica, exceptumque Ferdinandum ſalutauit: qui & illum viciſſim amplexatus, bono animo eſſe iuſſit: neque enim eo ſe veniſſe fine, vt regnum ipſius faceret deterius, multo minus vt ſibi vendicaret. His dictis, vltro citroq; honore habito prægreſſus rex Marchionem in vrbem vſq; Mexicon, inque ipſam Palatii regiam deduxit: ipſe vero in priuatas ædes ſeceſſit. Hac nocte, delibuti gaudio Hiſpani, quod tantam Vrbem ſine vllo labore aut certamine ingreſſi eſſent, omnes ſuas grandiores machinas cum minoribus ex diſciplina bellica exploſere, teſtati de more lætitiæ magnitudinem: ſuntque hac re infelices Indi, qui tale nil vnquam audiuerant, vehementer exterriti, cachinnantibus Hiſpanis. *Motecuma excipit Corteſiū.*

Altero ab ingreſſu vrbis die, Corteſius, altiora animo agitans, cum Regem ipſum tum principes Imperii conuocauit: quibus comparentib. in palatio, iuſſit tribunal poni, con-

Propoſitio Ferdinandi Corteſii. ſidensque per interpretem ipſis propoſuit: Miſſum ſe à Magno Principe, totiusque orbis longe potentiſſimo, vt harum regionum procuraret pacem, quæreret commoda, tolleret inteſtinas diſcordias, vtq; has gentes ſingularibus afficeret beneficiis. Non poſſe aũt ſe diſſimulare, quod ab Tlaſcalenſibus amicis ac confederatis ſuis, graues ad ſe delatæ ſint querimoniæ contra Mexicanos, à quibus ſe iugiter bello peti atque infeſtari variis modis illi queſti eſſent. Cum autem non ſit boni iudicis, ſolo actore audito pronunciare ſententiam, voluiſſe ſe illos quoque audire, vt ventilata cauſa poſſet cognoſci, vtri culpæ affines eſſent. quo cognito ſe non conquieturum, antequam illos in gratiam reduxiſſet, ſublatis diſcordiarum occaſionibus, factisq; amicis ex inimicis, ne poſthac ſeſe mutuis vulneribus laniantes, vtrique in damna ſua pugnaces eſſent. Velle autem ſe interea apud fratres ſuos & confederatos Tlaſcalenſes morari, ne quid cuiquam inferret moleſtiæ aut incommodi. Hæc cum dixiſſet, non obſcure præ ſe tulit, non ſe neglecturum Tlaſcalenſium querimonias.

Motecuma his auditis, vt & proceres ac ſenatores regni, acquieuerunt penitus, lætitiam ac publicum gaudium nihil diſſimulantes, quod ipſis Hiſpanis, etſi linguam ignorarent, non erat difficile colligere ex officiis ac miniſteriis, quibus Indigenæ peregrinos demerebantur. Sed hæc amicitia vt erat mala fide inita, doloſisque nitebatur fulcris, ita celerem inuenit finem. Vtraque enim natio Mexicanorum & Tlaſcalenſium æmulatione aucta non poterant ſe non odiſſe, (fuerant enim ab antiquo hoſtes) creſcebantq; ſuſpiciones in ſingulos dies, vt omnia mala fide agi viderentur. Igitur Corteſius ne quid *Motecuma captus à Corteſio.* Mexicani nouarum rerum molirentur anteuertendum ratus, Motecumam in ſuam poteſtatem redactum vinculis mancipauit. Auſus quoq; eſt aliud facinus, quod vix quiſpiam ſatis mirari poſſit.

Vt militibus ſuis omnem fugæ aut reditus præmaturi in patriam ſpem præcideret, iuſſit naues ſuas cum omni inſtrumento & armatura nautica ignibus ſuccendi atque abſumi: inde in medios hoſtes ſe contulit certus aut honeſte mori aut glorioſe vincere.

Magno autem infortunio cum Indorum tum Hiſpanorum ipſorum Corteſio neceſſitas impoſita eſt, *Veram Crucem* cum parte copiarum proficiſcendi, ad compeſcendam *Pamphilus Nauarez bellum facit Corteſio.* ſeditionem, cuius autor erat *Pamphilus Nauarezius*, qui cum octingentis militibus Hiſpanis, excuſſo Ferdinandi imperio turbas dabat. Ad hunc igitur in ordinem redigendũ profectus Ferdinandus, *Petrum Aluaradum* Legatum ſuum conſtituit, qui homo ingenio auaro & immiti multum aberat à Corteſii humanitate, eratque Indis eius præſentia intolerabilis, vnde factum eſt, vt non longo tempore poſt Marchionis diſceſſum orta atroce ſeditione multum vtrinque damni datum acceptumque fuerit, quæque non tam paruo labore ſedari potuit quam excitata fuerat.

Aluaradus enim, exiſtimans ſe iuſtas habere in Barbaros animaduertendi cauſas, quod *Aluaradus trucidatis Mexicanorum nobilibus ſeditionem concitat.* parum ſincera fide deprehendiſſet, multos è nobilitate in atrio curiæ congregatos, ſolennesq; Choreas agitantes, trucidari iuſſit. Alii vero ita narrant, & fortaſſe veriſimilius. Celebrantibus Mexicanis ſtatum quoddam feſtum, delibutis omnibus lætitia, prodiiſſe de more nobiles primiq; nominis viros inter Mexicanos, indutos veſtibus precioſis, monilibus aureis gemmatisq; ac torquibus oneratos magis quam ornatos, vt ſaltantes more patrio ac tripudiantes feſtiuitati ſatisfacerent. Spectatores fuiſſe ſaltationum harum Hiſpanos milites. cumque omnia argento, auro, gemmis fulgere conſpicati eſſent, non tenuiſſe eos cupiditatis vehementiam, ſed iam oculis deuoratos theſauros & Cimelia manibus quoque inuaſiſſe, proponente ſignum Petro Aluarado, crudelitatis & auaritiæ magiſtro,

magiſtro, inuaſiſſe autem tanto furore & inſania, vt non contenti miſeros ciues ſpoliaſſe, magnum inſuper eorum numerum iugulauerint. Quicquid ſit iſtud ſane conſtat, hac cæde populum Mexicanum adeo exacerbatum fuiſſe, vt correptis armis excitataque ſeditione publica Hiſpanos inuaſerint, certi graues de illis exigendi ſceleris tanti pœnas. Primum igitur coacta ingenti multitudine, obſidione cinxerunt Palatium regium. Incluſi Hiſpani glandibus plumbeis in illos fulminabant: qui nihili facientes vulnera & cædes ſuorum, (multi enim cadebant vi tormentorum) continuata obſidione, cum deſperarent de expugnatione, ſtatuerunt prohibitos omni annona fame ad deditionem aut mortem cogere. Hiſpani miſſilibus, lapidibus, iaculis, gladiis haſtisque rem gerebant: Indi contra ſuis armis ſe tutabantur & illos viciſſim oppugnabant. Cum autem iam aliquot dies ad eum modum pugnaſſent, obſeſſi in ſummam regiæ planitiem, quæ edito loco erat, produxere Motecumam regem, cum alio quodam primi nominis viro principe; tectos clypeis militum. quo viſo ab armis repente velut pactis induciis conquietum eſt, nec telum amplius ab Indis eſt in hoſtem coniectum. Facto igitur ſilentio Motecuma rex, vſus interprete primario illo viro, de quo diximus, affatus eſt populum: Conſideratius agerent, neu irrito labore Hiſpanos oppugnarent. Se enim capto, non videri ipſos ſaluos eſſe poſſe: nec ſe ſperare illos in regem ſuum adeo iniquos fore. Mouerat plebem conſpectus principis, & iam videbantur remiſſius agere: ſed Iuuenis acer, atque animo intrepido, *Quicuxtemoc*, quem populus tacitis ſuffragiis iam regem deſtinauerat, è medio agmine progrediens, Motecumam clara voce appellauit: Tenebrionem & vecordem vocans, qui per ignauiam ſummam hoſtes in regiam ſuam admiſiſſet, quique ob hanc formidinem muliebri potius nomine dignus eſſet; nec nos tibi, ô effeminate, parebimus impoſterum, (aiebat) ſed per nos non ſtabit, quo minus iam dudum debitas fatis pœnas perſoluas, Tyrannus ſimul & proditor patriæ. Et cum dicto ſagittam in ipſum direxit, quem ſecuta vniuerſa multitudo coniectis lapidibus & omni miſſilium genere exoſum ſibi hominem ab illo loco diſcedere coegit.

Bellum inter Hiſpanos & Mexicanos.

Aluaradus autor huius incendii, intellecto periculo, in quo cum ipſe tum cæteri Hiſpani hærebant, grauiora metuens Corteſio rem omnem per literas ſignificauit, celeriter vti ſibi ſubueniret orans. Hic nihil cunctandum ratus, vſus ſingulari aſtutia Nauarezio pacem perſuaſit, qui nec ipſe grauate componi litigia inter ipſos paſſus eſt. Ibi Ferdinandus aſſumta potiſſima copiarum ſuarum parte, magnis itineribus Mexicon properauit, quo cum perueniſſet, non inuaſit Indorum multitudinem, ſed expectato quarto die, quo ſolebant illi ab armis interquieſcere, tum demum ad oppidum acceſſit: partimque aſtu, partim vi armorum patefacto ſibi aditu cum ſuis qui in arce obſidebantur ſe coniunxit, qui ducis ſui & auxiliariorũ adventu ſupra modũ (vt eſt credibile) gauiſi, in ſignũ publicæ lætitiæ, vt moris eſt, exploſis tormentis fragorem immanem edidere. Barbaris autem nequaquam perterritis, ſed in propoſita obſidione pertinaciter perſeuerantibus, omniaque pacis media, quæ offerebantur, cum contumacia repudiantibus, certi, illos tandem fame perituros, à quibus tot modis læſi fuerant, Hiſpanis contra inedia laborare incipientibus, neceſſitate adactus Corteſius, clanculum, & ſi fieri poſſet, de nocte diſcedendi conſilium cepit.

Fabricatis igitur duobus pontibus ligneis, quibus duos fluuios tranſitu perdifficili ſterneret,

Repente noctis circiter meridiem

vt Varro ait, magno ſilentio collectis vaſis fugam adornauit, Sed nec hos effugere Nemeſis

cc 3

Hiſpani fuga deſerunt Mexicum. Nemeſis manus ſuas paſſa eſt. cum enim primo tranſito ponte potiſſimam difficultatem ſe eluctatos arbitrarentur, conſpecti forte à muliere barbarica proditique ſunt. Hæc enim, quantum potuit vociferata, Aufugere Hoſtes, omnem Indorum multitudinem clamore ſuo conciuit, qui arreptis feſtinanter armis abeuntes Iberos aſſecuti, tanta ferocia inuaſere, vt antequam ad alterum fluuium, qui ſolus adhuc ipſorum ſalutem morabatur, peruenirent, ad trecentos amiſerint commilitones, qui partim vulneribus confecti, partim fuſtim interemti, pedibusque protriti vitam amiſerunt. *Trecenti Hiſpani ab Indis cæſi.* Multi qui ſarcinas ſuas auro gemmisque graues ſeruare conabantur, dum tardius fugiunt, pro theſauris, non quod dicitur, carbones; ſed atram mortem inuenerunt.

Captiuorum ſors acerbiſſima fuit. ad aras enim rapti, diisque patriis ab Mexicanis crudeliſſimo mortis genere immolati cæſique ſunt. In hac tumultuaria Hiſpanorum fuga Motecuma & ipſe periit: eſtque incertum à quo aut qua ratione iugulatus fuerit. Id ſatis conſtat, inter cæſorum cadauera eius quoque corpus inuentum, pugione confoſſum.

Motecuma occiſus & crematum corpus eius. Sic pœnas ille dedit ſuperbiæ ac violenti imperii ſui, vulgari genere mortis ſublatus, præbuitque humanarum rerum & inſtabilis ſortis ſpectaculum, ſepultura etiam plebeia deſtitutus.

Nec enim vt rex, inter regia monumenta ſepulcrum inuenit, ſed nec mediocris ciuis more tumulatus eſt, ſed inſtar aſini aut alterius bruti abiectus, pene terræ exſors computruit.

Tandem quidam ex familiaribus eius repertum forte cadauer agnoſcens, ſtructa pyra combuſſit illud, cineribus loco vili & in honorato reconditis.

Si quis autem percontetur, quid reliquis Hiſpanis, qui fuga elapſi fuerunt, contigerit, (nec enim omnes cæſi ſunt) reſpondebimus id, quod Indorum Hiſtoriæ cum Hiſpanicis iunctim memoriæ prodiderunt. Occupaſſe illos collem, in quo tribus milliaribus ab vrbe Mexicana diſtante, etiam noſtro æuo ſacellum extructum cernitur, cognomine *Auxilium Diuæ Virginis*, in memoriam opis cœleſtis, quæ tum euidenter Hiſpanis contigerit. Ad hunc enim vſque collem eos Indi pertinaciter inſecuti fuerant, ſine intermiſſione lapides aut alia miſſilia in fugientium terga coniicientes: quamquam non magis ab hoſte barbaro quam ab fame affligerentur, adeo, vt grana aliquot Mayzi frumenti adepti, ea ſecundum numerum inter ſe diſtribuerent, ſolandæ potius quam pellendæ inediæ. *Hiſpani Tlaſcalenſium auxilio conualeſcunt.* Tandem ad ſocios & confederatos ſuos delati, Tlaſcalenſes dico, collectis viribus ac animis, vindictam ſpirantes, de nouo ad bellum Mexicanis inferendum ſe accinxere, quos non tantum terra, ſed & lacu inuaſere, ædificatis nauibus, ex eo genere quibus magna cum celocibus & myoparonibus affinitas ac ſimilitudo, quorum beneficio vrbem ab ea parta aggreſſi, qua aqua cingitur, ab terra autem pedeſtribus copiis admotis, cum plusquam ſexagies varia fortuna pugnatum fuiſſet, (victoria tamen in Hiſpanos & Tlaſcalenſes vt plurimum proniore) tandem poſt magnos labores die illo, qui iam olim S. Hippolyto ſacer eſt, numeraturque Auguſti menſis decimus tertius, Anno à nato bono publico milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo Vrbe totius Indiæ Occidentalis primaria potiti ſunt. Rex poſtremus, quem Mexicanorum proceres in trepidatione ac confuſione elegerant, dum fugiens ad ripam lacus cymbam grandiorem ingreditur, interceptus, adque Corteſium adductus eſt, ſtipatus magna manu primorum ciuium, quos par caſus Hiſpanis tradiderat. *Hiſpani denuo occupant vrbẽ Mexicon.* Is igitur, conſtitutus ante Corteſium, prolato pugione atque Marchioni porrecto, vltro ſic orſus eſt dicere.

Ego

Ego quidem hactenus dum fata ſiuerunt,pro populo meæ fidei commiſſo , quantum potui pugnaui. deſtitutus à fortuna nihil mihi reliquum eſſe ſentio,quam vt tibi in manus tradita hac ſica,ea vſus me celeriter conficias.

Bona verba,(inquit Corteſius) vir fortis, nec vnquam mihi in mentem venit, vita fortunisque te ſpoliare. quod autem iam à multo tempore tot detrimentis affecta fuerit gens tua,tot ſtragibus conciſa,tot modis afflicta,ne mihi tribuas velim, ſed veſtræ contumaciæ. Nec enim alio vtar teſte quam te ipſo , quoties vobis pacem obtulerimus, quoties amicitiam veſtram expediuerimus,ſemper contemti,ſemper repudiati.Non igitur mirum eſſe,ſi iam peruicaciæ ac ſtoliditatis ſuæ luant pœnas. Quibus dictis omnibus captiuis liberas poſuit cuſtodias,iuſſitque illos comiter ac benigne haberi , nactus non mediocrem inde humanitatis laudem & clementiæ.

HABES, Lector amice,breuem ſed veram Hiſtoriam præcipuarum rerum quas potiſſima pars & notiſſima Occidentalis Indiæ gignit: quibus addidimus narrationes ,velut eas ab Indorum ſacerdotibus maiores noſtri acceperunt,nobisque per manus tradiderunt,de Origine,migrationibus,incremento,republica,imperio,ſucceſſione Regum, duratione,ruina ac interitu vtriusque nobiliſſimi regni, Peruani & Mexicani. Et quia ab initio teſtificati ſumus lectori,nolle nos annales aut Chronica, resque Hiſpanorum aliorumque populorũ in India hac noſtra geſtas perſcribere,cum alii ante nos id copioſe & eleganter præſtiterint: confidimus,ea quæ de natura noui orbis nouo & ante nos nemini tentato modo cum cura perſecuti ſumus,placitura beneuolo lectori,cuius candido iudicio omnia libenter ſubmittimus.

FINIS.

36964

J
De Bry
GV
pt. 12
1624
Lat.


GAUDEO